


VIATOR
CHRISTIANUS

In

PATRIAM
TENDENS

Per

Motus Anagogicos;


Multò auctior, & locupletior.

SANDOMIRIÆ
Typîs S.R.M. & Collegii S. J.
Annô Domini MDCCLXIII.



Via eſt Vita præſens, quâ ad Patriam tendimus.

S. Auguſtinus de Conſolat: Mort: Ser: 1.



APPROBATIO

Liber ſub titulo: *Viator Chriſtianus in Patriam tendens &c.* ut reimprimatur, facultatem dedi Sandomiriæ D. 17. Julii Annô Domini 1763.

JOANNES CANTIUS LIGĘZA S. T. D. Inſignis Collegiatæ Sandomirienſis Canonicus, in Troyca Curatus, Librorum Cenſor. *mp.*

MARIÆ DEIPARÆ, SERENISSIMÆ Cœli terrarumquè REGINÆ, Ter Optimæ, Ter Maximæ IMPERATRICI.

Auguſtiſſima Domina.

O Puſculum hoc tenue, ſervitutis demiſſiſſimæ, obſequii humillimi, amoris ſtudioſiſſimi monumentum ſupplex ad Tuæ Majeſtatis aram appendo. Et ne mihi in Via vires animiquè deficiant, ad tuum o! MARIA

 Sinum,

Sinum, curſum hunc dirigo: quia à ſæculo non eſt auditum, quemquam ad tua currentem præſidia, tua implorantem auxilia, tua petentem Suffragia, à Te eſſe derelictum. Quamdiu advenæ & peregrini ſumus in regione longinqua, & procul à Patriæ finibus extorres degimus, ad Te omnes ô! Stella Maris, ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis, ſicut ad medium, ſicut ad præſidium, ſicut ad portũ, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt omnes viatores, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Tu Mater miſericordiæ de via feſſos reficis, ſi qui torpent excitas, benè currentes ad curſum conſummandum animas. Te ſequens Viator non deviat; Te rogans non deſperat; Te cogitans non errat; Te tenente non corruit; Te protegente non metuit; Te Ductrice non fatigatur, & ad portũ pervenit.

venit. Tu igitur Mater viventium, Virgo, via Regia, per quã ad nos Salvator venit, procedens ex tuo utero, tanquã Sponsus de thalamo, trahe nos post Te, ut deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatũ, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorẽ fidei & Consummatorẽ JESUM Filium tuum, ut non fatigemur animis nostris deficientes, (Heb: 12.) *sed fervidè, & constanter sub Tua protectione Cursum consummantes perveniamus ad Patriam. Ubi Tu Mulier amicta sole, gaudium omnium Cœlitum, post Filium Tuum, illuminas universum Cœlum, omnes lætificas stellas, accendis soles. Ubi tu Esthere felicior, formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium Sanctorũ oculis grata, & amabilis videris, & videberis, æternum decus cœli & delicium. Ubi Tu Juditha fortior, gloria Jerusalẽ, lætitia Isráël, honorificatio populi honorificati, æternum triumphabis.*

O Do-

O Domina! trahe nos omnes post te, & sicut Aquila, provoca pullos tuos ad volandum, ut assumentes pennas velut aquilæ, volemus & requiescamus in monte illo, ubi felix jucunditas, & jucunda felicitas (teste Augustino) Sanctos videre, cum Sanctis esse, & esse Sanctum: DEUM videre, & DEUM habere in æternum & ultra. Ubi vacabimus, & videbimus; videbimus & amabimus; amabimus & laudabimus.

Hæc vota mea & conatus, ut benignè accipias intra Sacrarium exauditionis Tuæ, humillimè obsecro.

Augustissimæ Majestatis Tuæ,

Minimus & indignissimus, Servorum,

A. K. A.C.

IN GENTILITIUM
ILLUSTRISSIMÆ
DOMUS DECUS.



Paſſibus ambiguis fortuna volubilis eſto;
Tutus in Oſoria nonne Viator erit?
Diſtrictus forti ſemper quem Marte tuetur
Enſis, & in Superas Crux vehit arte plagas.

ILLUSTRISSIMO,
A C
EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
ADAMO
PEŁKA
CASTELLANO
POŁANECENSI &c. &c.
MAGISTRO EQUITUM
LORICATORUM,
DOMINO,
BENEFACTORI
GRATIOSISSIMO.

Viator Illustrissimam Domũ Tuam petit MECÆNAS GRATIOSISSIME: Quem si cernis, Christianum esse haud dubita, quia Legum observatorem experierê. Vix etenim Avito Osoria Magnifica Tua limina conspexit, jam à se Tibi censum deberi negat minimè. Honorum nutricem imitatur fortunam, quæ quò magis evadat felicior, sese summis onustam dignitatibus Tibi tradidit tributariè dispensandam in cæteros, ut vel sic omnium Protoplastes ADAMUS permaneres. Non fecisti quidẽ satis tantis fortunæ votis, cum plùs fecisses, ubi non illa

Te, verùm Tu illam beâsti, non Tibi illa, ast illi Tu pretio extitisti, cæca olim, nunc plena lucis, cũ illam Majorum Tuorum illustrassent Ceræ, quia id solùm innatum Tibi. Miraris? Te Ipsũ de Te consule, & certè id Tibi inesse reperies, quod in Te prono cultu adoret universus. Eminet in Te pietas in *S*uperos, & jam hanc Divorum Parentẽ Tuam fecisti. Celebrant eam in Te complures ære Tuo constructæ Aræ, fovent Divino honori Ædes conditæ posteritati recolendam. Nec solitariã eam possedisti, cum singulas adjunxeris probitates, quas unicè in vitæ socias adscivisti. Vivit in Te fervens Patriæ amor, quo sic arserê

Majores Tui, Tuquè flagras, ut pro illius integritate mori, vobis vivere reputetis. *Satis* magni ducunt alii, si veri Patriæ nominentur Filii, vobis parum esset, Patres Patriæ coli, quā non tantum Heroico nutrivistis Sanguine, verùm ad feliciorem statum non semel victricibus regenerâstis armis, Gentilitiis vexistis Rotis, vehitisquè. Et nè sors illius infaustè volvatur amplius, his unā ademistis partē, triumphalē substituistis Ensem Tutores solertissimi. Primos, secundos nūquam Mars Lechicus assecutus Osorios, per quos nova semper suæ gloriæ legit spolia. Habuerat (numerosos silentiô permit-

tes

tes venerari) Perilluſtrem Pincernã Pilſnenſem, Cataphractæ Cohortis Colonellum, Genitorẽ Tuum, verùm ipſis invidendum Cœlis, ſapientiâ admirandum, dexteritate, atq; prudentia in rebus gerendis parem nemini, zelô boni publici præcellentẽ ſingulos. Hunc ad Comitia generalia Legatum venerari, intra Senatorias curules pro Orbe Polono perorantem audire, mirari non imitari oportebat. Os illud sũmi Oratorum expeterent, deſiderarent facundiam, eloquentiã exambirent. Legit hæc omnia in vivis adhuc Perilluſtribus Michäèle, Joanne, Joſepho, Georgio ſuis Fratribus, Tuis Patruis

univer-

universſus, lugetque in mortuis, immortali tantùm ſama Eorum triſtes detergens lacrymas, ſuosquè mærores leniens Te ſuperſtite, Qui omnia Eorũ ingenii animiquè dona collecta tenes, auges, ac *illuſtras*. Summa Tua de Republica merita ampliores Tibi comparaverê titulos, ſublimiores attamen iis deberentur, ni illos malles mereri, quã habere. Veriùs te ſuũ Palatinatus Sandomirienſis Theſaurũ, quàm Theſaurariũ agnoverat, illis præpollentem naturæ dotibus, à quibus ſua Patriæ æſtimatio. Adorat Te nunc Caſtellanum Illuſtriſſimũ, optatamq́; ſibi in Te locat ſecuritatem exploratè illã obtenturus. Junxit Tibi Sanguis Nobi-

lissimus suis ornatos Titulis Giełbutovscios, Bukovscios, Romerovios, Ustrzyccios, Błońscios, Maliccios, Brzescianscios, Bogdanovios, Chrząstovscios, Wasilkovscios, Zapłatyńscios, Mszanios &c. dignaquè Osoriis diffudit talenta, quibus perennaturæ Gloriæ currum Orbi Polono erexistis, onerâstis. Facundiores habe Magni Nominis Tui Oratores, præclara gesta Tua cũ in his celebrandis eloquio disertissimi sileant, in præmiandis Honôre, pauperẽ se dives fateatur fortuna. Hinc & Viator Christianus quali Te dignaretur munere minus comperit, præterquã si Tuæ innixus benevolentiæ, ipse in tributum Tibi a-

beat.

beat. Novit is perbellè, quod beneficium Tibi fieri existimes, cum illud præstas: unde Tuis erga se gratiis diffidit minimè, Tibi suam committit aleam. Nihil in Viatore hoc devium, quivis illius gressus, progressus in virtute, indubitatus terminus viæ ejꝰ vita sine termino beata. Tibi nihil amœnius, gratius nihil, quàm tanto gaudere domestico. Itaq; hunc eô, quo polles animo, in tuũ recipe, ut sub Avito Illustrissimæ Domus Tuæ Osoria tutus faustusq; quiescat. Et si quid in eo obscuri, Magno Tuo illustreetur Nomine, quod summis dicatum dignitatibus ubiquè geras maximum.

Ita vovet devinctum Tibi Monasteriũ Copriunicense S. Ordinis Cisterciensis.

EGo M. FRANCISCUS PRZEWOSKI, S. T. D. & Professor, Ecclesiarum SS. Omnium Crac: Præpositus, Scholasticus Curelovienfis, S. FLORIANI Clepardiæ Canonicus, Ordinarius Librorum per Diœcesim Crac: Censor, S. R. M. Secretarius. Librum cui titulus *VIATOR CHRISTIANUS*, Authore Perillustri & Reverendissimo Dño ANDREA ANTONIO KRZESIMOWSKI Abbate B. MARIÆ Virginis de Copriunico Sacri Ordinis Cistercien: per utramq; Poloniam, Prussiam, ac Magnum Ducatum Lithuaniæ Progenerali, S. R. M. Secretario: accuratè & diligenter legi, qui cùm nihil in se Orthodoxæ fidei, bonisq; moribus dissonum contineat: quin imò sit verè asceticus, ad mentem elevandam in DEUM, eliciendosq; omnium Virtutum actus, non solùm vitam monasticam & solitariam viventibus, verùm Omnibus Christi fidelibus summè proficuus: Eapropter eundem antea cum Licentia Superiorum jam impressũ, nunc magis auctum & locupletatum reimprimi, & in publicam lucem edi, do & concedo facultatem. Dat: Crac: in Collegio Majori, die 29. Jan: Año Dom: 1693.

Idem qui supra. mpp.



CAPUT I.

Manuductio Viatoris,

Cui recta via proponitur ad Pàtriam.

I.

Omnes, Viatores ſumus & Peregrini.

Omnis, qui ad ſupernam pertinet Civitatem peregrinus eſt mundi, & dum temporali utitur vitâ, in Patria vivit aliena. S. Auguſt:

SIcut omnes, quotquot naſcimur, ſive pauperes, ſive principes, mortales ſumus ita omnes Viatores, omnes Peregrini: Toto aberraret cœlo, qui ſibi Patriam in exilio fingeret, qui manentem Civitatem in itinere ſomniaret. Mundus omnibus diverſorium eſt.

Unde benè S. Bernardus: *Sancti Viri Peregrini ſunt & hoſpites in hoc ſæculo. Hinc reprehenditur Petrus, quòd tabernaculum in monte fieri voluerit: quia*

S. vectis in hoc mundo tabernaculum non est. Et S. Augustinus, cuivis diviti modum pecuniis utendi præscribens ait: *Utere nummô, quemadmodum Viator in hospitio, utitur mensâ, calice. urceo, dimissurus non permansurus.* Tract. 40. in Joan:

Quia omnes peregrinamur, imitemur homines peregrinos, & Viatores. Viator seu peregrinus sẽper ad Patriam suspirat, ad Patriã solicitè tendit, vestitum & victum habens: non vult aliis onerari. Peregrino diu stare, quiescere, sedere, epulari splendidè, moras hìc nectere, amænitatibus, aliisq; illiciis distineri non licet. *Nam stultus ille Viator est* (inquit S. Gregor:) *qui in itinere amæna prata conspiciens, obliviscitur ire, quò tendebat. In via es ô homo, ambula, ut pervenias, ne te nox in via occupet.*

Idem inculcat nobis mellifluus Doctor cùm dicit: *Peregrinus viâ regiâ incedit, non declinat ad dextram, neq; ad sinistram; si fortè jurgantes viderit, non attendit, si nubentes, aut choreas ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia Peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus.* Ser: 7. in Quadr:

Infelicissimam Viator fuge viam illorum, qui mundo & mente capti, hìc sibi præfigunt Patriã, hìc fines vanissimos, honorum, voluptatumque eligentes, homicidã animæ suæ præponunt Christo, voluptatulam pestilentem deliciis cœli, *hìc ob res caducas, animam suam & æterna bona* (teste S. Aug:) *vendunt diabolo, accepto tanquã pretio, dulcedine temporalis voluptatis, cursumq; eheu! miserè abripiunt.* O mortaliũ (exclamat B. Laurent: Justin:) lugenda conditio! quæ cùm sit exul à patria, exultat in via!

Cùm ergo vita nostra, sit brevissima in hoc mundo peregrinatio, (uti inclamat sæpiùs auribus nostris D. Paulus ad Corinth: c. 7. *Hoc*

itaq;

itaq; dico fratres, temp9 breve est. ut qaicunq; utuntur hoc mundo tanquã nonutantur) omnes dies peregrinationis nostræ, quos decurrimus, benè & fructuosè impendamus

Ubi in novissima hora exierit è corpore spiritus, mox ubi dicetur. Tempus non erit ampliùs. ut ergo in hac vita, quæ est Phase: (Exod: 12.) id est transitus, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna, imò ut novissimâ horâ cum Christo transeamus ex hoc mundo ad Patrem; sæpius insonet nobis vox ejusdem Pauli: *Hora est* (Roman: 13.) *jam nos de somno surgere.* Habes in anno. 12. Menses, 52. hebdomadas, 365. dies, 8. millia horarum & 760, in articulo illius diei, dum anima tua ibit in domum æternitatis recogitabis omnes annos, dies, omnes horas in amaritudine animæ tuæ.

De Mercatore quodam legitur, (apud Costerum in Domin. 21. post Pentec:) quòd dum morti proximus sanâ adhuc mente vigeret, in præsentia testium sequens condiderit testamentũ dicendo: Relinquo corpus meum terræ, animã verò diabolo consigno, quia hæc propter injustitias meas ad ipsum pertinet. Huic insuper consigno animas uxoris, & filiarum mearũ, quæ dum superbis indui voluerunt vestimentis, me còégerunt, ut ad illa requisita per fas & nefas congregarẽ pecunias, totum vitæ meæ tempus hisce impendendo. Commendo quoque eidem diabolo animam Confessarii mei, qui mihi absolutionem impertitus est à peccatis meis, nec tamen me ob illa unquam reprehendit, aut ad restitutionem iniquè partorum adstrinxit.

Chrysaorius ille, de quo magnus Gregorius, cum à dæmone citaretur ad reddendum flagitio-

fissimæ vitæ suæ rationem, magnis vociferationibus obtestari cœpit, ut modicum aliquid tẽporis indulgeret: *Inducias usq; mane*. Quid non obtulisset ad exigui temporis usuram? Non pepercisset opibus & facultatibus suis, si tam vili, tanta res venalis fuisset: sed non potest pretio vel breve tempus emi.

Tempore nihil pretiosius, ait S. Bernardus, cujus vel horam unicam felicitati totius mundi præeligerent Beati, & damnati omnes, hi ut salutem, illi ut augmentum æternæ gloriæ operari possent. Imò, tam pretiosum est (attestante S. Antonino p. 2. t. 9. cap. 1.) tempus, quòd damnati darent omnes thesauros mundi, si haberent in potestate sua, pro habendo momento temporis, in quo possent pœnitere: & evadere tantas pœnas.

O! vita præsens (ingemiscit S. Bernardinus t. 1. ser: 13.) quàm multos decipis, quæ dũ cognosceris, nihil es, dum videris umbra es, qui te quærunt non te cognoscunt, & qui te cognoscunt, non te quærunt. Vera non est via, quam tu ostendis, fugitiva est velut somnium. Aliis ostendis te longam, ut perdas in finem, aliis largam, ut fyciant quæcunque volunt.

Quanta tamen ô DEUS! fugientis & avolantis temporis vitæque habetur ratio. Transit inter crepundia infantia, inter levitates & libidines adolescentia, & juventus, inter vanissimas rerum caducarum curas ætas reliqua. Præsentis diei 24. horas in computum voca, quòt ex his sibi rapiunt somnus non necessarius, gula, otium, ludi, confabulationes. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremea-

remeabile, nec advertit insipiens, quid amittat.

Vade nunc ad aulas Principum, & quid in illis invenies, quàm homines nauci, qui DEUM offendant, tempus perdant. Exi in plateas, perambula vicos, & videbis ingentem erronum & vagabundorum turbam, qui amore suorum cadaverum capti spatientur, & iis placere concupiscant. O vitam miserrimam! ô gentem ingratam! ô immemorem! ecquid cogitas? quo vadis? hacne tu ratione te DEO satisfacturam arbitraris? ità sanguinem Christi remuneraturam?

O homines insensati! sequimini perfidos hæreticos, qui traducentes tempus otiô, voluptatibus, & oblectamentis nolunt bonum operari, inquientes: Christus mortuus est pro nobis, quod sufficit, sed in fine animadvertent: *Ecce venio cito, & merces mecum est reddere unicuique secundùm opera sua. Quia qui fecit te* (inquit S. Aug:) *sine te, non salvabit te sine te.*

Totum ergo illud tempus amittitur, quod DEI amori, ejusque obsequiis non impenditur. Animum etiam adverte ad Sacros Regum libros, ubi Saul nonnisi duobus annis regnâsse dicitur, cùm tamen manifestum sit, eum diademate coronatum publicèque Regem habitum, per annos omninò quadraginta. Utrumque istud Sacer textus asserit, quod tamen conciliari non potest, nisi D. Gregorio assentiamur, quòd cum Saul duobus tantùm annis amaverit DEUM, eique fideliter servierit, reliqui regiminis nulla in DEI volumine ratio habeatur, ità ut anni triginta octo

eva-

evanuerint, nobisq; insigne relictum est documentum, plures nos vitæ annos numerare non posse, quàm quot benè, utiliterq; impendimus.

Multos etiam reperies Religiosos, qui de viginti, aut triginta annis in religione traductis gloriabuntur qui fortè nonnisi horam, aut diē unicum vixêre, cum propter DEUM pauca, plurima verò propter usus suos, propter amorem proprium tepidè, ignavitérque peregerint. Quæ res à Thoma Kempensi has voces extorsit: *Multi computant annos conversionis, sed sæpè parvus est fructus emendationis.*

Pudeat meminisse illius, quod de Jacob dicitur (Gen: 29.) *Servivit Jacob pro Rachel septem annis*, & tu pro DEO nec septem diebus, imò potius neque septem horis. Tot ergo saltem consecra dies DEO pro tua salute, quot Jacob Labano annos pro sua Rachele. Dicebat ille, *Serviam tibi pro Rachele septem annis*. Quid tu? Serviam tibi ô DEUS! pro anima mea septem diebus! O verè sacrum septenarium! si per septem dies totum te impendas in DEI obsequium.

Illa Christi (Lucæ 9) ad Jerosolymam querimonia, sit tibi quotidiana meditandi materia. *Quia si cognovisses & tu, & quidem hac die tua, quæ tibi ad pacem.*

O si cognosceres! quæ tibi evenient super omnem fidem incredibilia, super omnem timorem horribilia, super omnem stuporem admirabilia, in articulo illius diei, quando recoles pavida mente, & repetes querula voce illa verba: (Job: 7.) *Dies mei transierunt!*

Ergo

Ergo infigatur menti noſtræ illud S. Bernardi monitum ep. 23. *Nunquam juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque juſtitiam. Ità, ut ſi ſemper viveret, ſemper quantùm in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus inſtar mercenarii, ſed æternum divino mancipat ſe famulatui.* Vis coronari? eſto fidelis uſque ad mortem. *Juſtorum enim ſemita quaſi lux ſplendens* (Prov: 4.) *creſcit uſque ad perfectum diem*,

Affectuoſæ Aſpirationes.

HEu! ingratitudo mea peſſima, Optime & Benigniſſime DEUS! æternis tibi beneficiis ſum obligatus, & nullo momento temporis, ut debui gratus fui. Tota vita mea, puriſſimum eſt donum tuum; omniaque vitæ meæ momenta, meriſſima beneficia tua. Creâſti me ad imaginem & ſimilitudinem tuam, ad gloriam tuam, & ſalutem meam, Conſervâſti me hactenus, tantis univerſi impenſis, & propter me omnia. Redemiſti me à morte æterna, vitâ & morte Unigeniti tui. Illuminâſti me fide tua. Juſtificâſti me toties gratiâ tuâ indignum. Pepercisti mihi toties, damnationis reo, & in ſpem ſalutis me revocâſti. Subduxiſti tot peccandi occaſionibus. Liberâſti me à tot malis, quæ evenire mihi poterant. Suppeditâſti mihi plurima ad ſalutem media. Benefactorem te agnovi, & non colui.

Utinam! ô Benefactor meus, liceret ad hoc punctum, totam vitam revocare, & quidquid neglectum est compensare! Utinam possem redimere, & excellentissimis excelsissimæ tuæ charitatis actibus implere omnes horas illas ô DEUS! qui charitas, qui ignis consummens es!

O! si à primo instanti usûs rationis ardentissimè summeq; te amâssem! si nullum vitæ meæ momentum sine tui amore præteriisset! ô si liceret retrovertere annos meos & peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere! Utinam omnia, quæ cogitavi, dixi, & operatus sum, ex tui ardentissimo amore semper fuissent!

O quàm serò te cognovit ô pulchritudo divina! ô quàm serò amavi te ô bonitas infinita! Eheu periit hora, periit momentũ, quo non amavi! Utinam nulla hactenus fuisset, nulla deinceps sit reliqua vitæ meæ actio, nulla corporis animiq; motio, nullum viriũ sensuum, aut potentiarũ mearu internarũ externarumq; exercitium aut functio, quæ non in quàm maximũ gustum tuum, oblectationemque cedat tibi.

Hoc volo, hoc desidero, hoc intendo, & incipiendo ab hac actione, quam hoc momento ago, omnes & singulas reliquas usque ad ultimum halitum vitæ meæ, imò per totam æternitatẽ, omnes inquam & singulas actiones meas, sanguine Filii tui aspersas, ac ipsius meritis unitas, tibi per Filium tuum offerre.

Omne momentum vitæ meæ volo, & opto, ac intendo, ut sit continuus amor tuus mi DEUS! quô Te amem, laudem, honorem, benedicam super omnia, omni possibili amore, quô te omnes amant, benedicunt, ac laudant.

Servi-

Seruiat tibi Domine Deus meus, & ad infinities, infinities, maiorem honorem, gloriamque cedat, quidquid cogito, quidquid loquor & quidquid totâ vitâ meâ agam, loquar, cogitabo.

Quam pænitet me, quòd alia extra te dilexi! O si tot hodie millena haberem corda, quot, annis, mensibus, hebdomadis, diebus, horis, momentis vixi, ut possem recompensare amorem neglectum Dei mei: saltem ex hac hora volo & desidero, quolibet anno, mense, hebdomadâ, momento, imò per omnem æternitatem, cor meum millies millesies. Christiformiter, Mariané, offerre in holocaustum tibi.

Sit in posterum omnis respiratio mea, & potissimum ultima exhalatio mea, viuum holocaustum amori tuo & honori tuo, altissima charitate oblatum. Scio tempus breue esse, igitur non patiar dies vitæ meæ, imò neque horas & momenta sine fructu præterire

Amem te Deus meus, quia dignissimus es, optima bonitas, pulcherrima pulchritudo, charitas infinita. Ament demum mecum, omnes tribus, linguæ, populi. O amo! amo, amo te Deus meus totâ animâ meâ, & totis viribus meis, & ab omnibus amari volo.

Utinam continuò eâ flamma amoris tui arderem, quâ ardent Seraphini, quâ ardet totum cælum, quâ ardes tu: Utinam possem Deus meus hoc momento, & quoad vixero omnibus momentis facere aliquid, quod tibi summé placet. Utinam innumera millia cordium, quotquot tibi placuêre, vel placere possunt, ipse possiderem, ut continuò immensis tui desiderijs æstuarem!

O mi Deus! da mihi continuum amoris tui incendium, trahe me post te, curram ad te & non deficiam. Accende ô Deus meus, viuam flammam beati amoris tui in medio cordis, mei,

II.

Viator, Quasi à facie Colubri fuge peccata. *Eccle 21.*

PEccatum mortale, non tantùm actu exteriori consummatum, sed sola interna deliberata, aduertente ad grauem Dei offensam, adeoquè voluntaria cogitatione, delectatione, vel assensu, Commissum importat, ingratam, injuriosam, impudentem, periuram, perfidam & sacrilegam auersionem, & conuersionem á Christo ad Antichristum, ab æterno Patre omnium Conditore. ad Sathanám orbis exterminatorem.

Nam peccatum est offensa & contemptus Dei summi boni. Est deinde sanguinis Christi conculcatio, & ad instar rei immundæ reputatio, quia peccans proiicit animam tinctam sanguine Christi in cænum peccati. Est rebellio creaturæ contra Supremum Principem, imò voluntas perdendi Deum si perdi posset eumquè perimendi quidam conatus, (ut ait S. Bernardus) *homo peccando vult interimere aut sapientiam Dei, volendo, ne suum peccatum videat, aut justitiam volendo ne puniat, aut omnipotentiam, volendo ne posset punire,* adeoque peccatum est quoddam in voto Deicidium, quo vult interimere Deum, qui sine sapientia & justitia esse non potest.

Hinc Spiritus S. testatur Prou 18. quod

impius

impius cum in profundum venerit contemnit. Ubi quia indefinitè dictum est contemnit, voluit idem Spiritus indicare peccatorem actu mortaliter peccantem, omnia excogitabilia in cœlo & in terra. & subtus terram, creata & increata (præter sui criminis obiectum) contemnere, diuina & humana, cœlestia & inferna. Videlicet tremendam SS. Trinitatis potestatem, Iesu Christi Salvatoris sui vulnera, passionem, mortem & sanguinem, Angelorum custodiam, Sanctorum intercessionem. Ecclesiæ triumphantis gloriam, militantis suffragia.

O *Deus!* quis non timebit quasi a facie Colubri fugere peccatum? quod simul ac semel tot pulcherrimorum spirituum milliones tam infanda fuligine tinxit, & transformavit in turpissima monstra, quibus nec tota natura creata, nec humanum vel Angelicum ingenium. aliquid fædius aut horribilius concipere, vel exprimere valeat.

Unde non immerito S. Joan. Chrisos: hom. 28. in Epistol. ad Rom. peccatum appellauit magnum dæmonem, dæmonem voluntarium dæmone maius, animamquè hominis per peccatum converti in dæmonem, non quidem substantiâ sed voluntate. S. Catharina Senensis peccatorem vocat. diabolum incarnatum.

Ea nimirum obstupescenda, quæ in vita B. Catharinæ Genuensis leguntur apud Lancic: opus. 26. n. 7. Certum habeo inquid illa, quòd si quis cerneret quam enorme unum tantùm peccatum sit, potiùs eligeret, animâ & corpore in succensa fornace viuus consistere, quam in se peccatum tolerare. Etsi universum mare ignis esset, ad effugiendum peccatum sese in medium

dium ejus usq; ad fundum demergeret

Eadem Virgo ostensâ sibi cœlitùs ad unicum temporis momentum minimæ actionis Deo displicentis, quasi umbratili deformitate ac turpitudine, adeo fuit consternata, ut in has voces proruperit: si hæc solá obscura visio, quæ nonnisi momentanea fuit, diutiùs durasset, licet corpus habuissem prorsus adamantinum, interijssem

S. Catharina Senensis impudicæ secum loqventis mulieris fœtorem non tolerans, nares obturavit: suo verò confessario Raimundo acasum hunc admiranti, dixit, se, ni hoc fecisset, præ animæ illius fætore vomituram. *Surius in vita.*

Legitur de quadam Virgine (uti testatur S. Antonin. p. 4. t. 14) quæ diu castè vixerat, & cum instigaretur â diabolo de luxuria ad experiendam delectationem ejus maximam, & quidam etiam vivens honestè nimis familiariter cum ea conuersaretur, etiam tentatus est ad similem actum. Demum victi â diabolo. commixti sunt simul. Quâ delectatione expertâ ad tantam amaritudinem devenit, quòd virginitatem amisisset. propter vilem & turpem & momentaneam delectationem, ut præ amaritudine mortua sit.

Hinc S. Anselmus Archipræsul Cantuar, non dubitavit, sequentia verba, tum voce tum scripto posteritati notificare & peccatorum cordibus insculpere: *Si hic peccati pudorem & illic cernerem inferni horrorem, & necessario uni illorum deberem immergi, prius me in infernum mergerem, quam peccatum in me committerem, mallem enim purus á peccato, & innocens gehennam introire, quam peccati sorde pollutus cælorum regna tenere.*

Sanctus quidam Eremita miraculis clarus, & in

in dæmones potens, ne vanâ gloriâ elatus Deum offenderet, ab eodem postulauit impetrauitq; ut ipse à dæmone possideretur. Ita Viro Sancto peccatum erat ipso dæmone formidabilius Surius 8. Ian.

Refert S. Hieronymus in vita S. Pauli Eremitæ, quòd cùm Decius persecutor Ecclesiæ grauissimè excruciaret Christianos, Iuvenem quendam uti callidus hostis occidere nitebatur, quem iuuenili ætate florentem in amænissimos hortulos adduci præcepit, & super stratum plumis lectulum resupinari iussit: & ne inde se excutere posset blandis serico nexibus irretitum, relinqui. Quò, cum recedentibus cunctis meretrix speciosa venisset, cæpit delicatis stringere colla complexibus. Quid ageret miles Christi, quó se conuerteret nesciebat. Et quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? tandem cœlitûs inspiratus præcisam mordicus linguam in osculantis se faciem expuit, sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.

Cum ergo te appetitus (uti nos S. Basilius magnus adhortatur) inuaserit peccandi, velim cogites *horribile illud & intollerabile Christi tribunal, in quo præsidebit Iudex in alto & excelso throno. Ad hæc cogites profundum barathrum, inexplicabiles tenebras.* Habitatio reproborum paucis describitur à misero ejusdem loci incola diuite Epulone Luc. 16. Est locus tormentorum.

Deinde cum in periculo versaris peccandi, illud bené scias ac consideres quia peccatum mortale tuis viribus committere potes, sed tuis viribus delere non potes, supernaturali auxilio opus est. Nam ad talem peccati detestationem, ejusque tam perfectum odium sicut per

fectum Dei amorem, uires naturæ nullo modo sufficiunt.

Opus est spiritus sancti gratiâ quâ illustretur intellectus ad peccáti malitiam benè apprehendendum. (iuxta illud Ierem 31. *Postquam convertisti me, egi pænitentiam. & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum confusus sum & erubui*) & voluntas excitetur & adiuvetur ad tantum malum dignè odio habendum.

Etsi verum est (quod docet S. Thomas 1. 2. q. 113. a. 9,) quòd iustificatio impij aut conversio peccátoris non solùm sit opus gratiæ excitantis & adjuvantis infirmitatem voluntatis humanæ, sed inter omnia Dei opera maximum & excellentissimũ & maius fit conuertere impiũ quàm creare cælum & terram (qui enim solo verbo creauit cælum & terram, ad delendum peccatum, & convertendum impium fecit potentiam in brachio suo, nec solum potentiam, sed & misericordiam suam infinitam adhibere debuit, neq; solo verbo usus, sed ipsum Verbum caro fieri debuit, quod & multa dixit & multa fecit, & multa indignissima tulit, ut perditus quæreretur & inuentus iustificaretur) si itaq; tanta res sit conversio peccatoris, quæ sit per actum contritionis, profectó solus homo ad hoc non sufficit.

Sicut aliqvis catenis ferreis constrictus, non seipsum liberare potest, nec cæcus natus se ipsum illuminare, sed solus ille, qui solvit compeditos & illuminat cæcos. Hæc est enim voluntatis humanæ natura ut dicit S. August. *Ut ad malum prior quidem sit; ad bonum vero eius. sive ut eam faceret, qua nulla erat, sive ut reficeret quæ lapsa erat, Creatoris eius.*

Ex his ergo motiuis Viator tanquam a facie Colubri

Colubri fuge peccatum, nam cum gustas paululum mellis, time ne postea cogaris absorbere Oceanum fellis, ac time ne pro unica gutta consolationis, accipias mare ærumnarum, & æternæ plorationis. B. Polycarpus ait Herodi Proconsuli rogum minitanti Octoginta & sex annos seruivi Christo, & in nullo me læsit unquam, quomodo ei maledicam? eum lædam? Euseb. l. 4. O Viator nemo tibi rogum minitatur, guttula mellis duntaxat proponitur, & Deo tanto benefactori maledicis. Audi S. Cyprianum de duplici martyrio ad Fortunatum Tam vili mercedula solicitatus sponte deficis ad eum, á cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit? cuius Sacramentis es initiatus.

Idem diabolum Christo & peccatori in die iudicij sic insultantem introducit. Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec regnum cæleste illis promisi, & tamen usq. ad lassitudinem multam, mihi in via iniquitatis seruierunt, pro una voluptatula carnem titillante, me audierunt, nonne ergo iustum est, Ut in eandem meam sortem descendant?

Affectus animi contriti.

Eheu! peccaui peccatum maximum! contremiscite omnes artus mei ad immane & horrificum hoc nomen, peccaui contra Deum Creatorem & Patrem meum, rem commisi, (ô non commisissem) commisi inquam rem adeò admirabilem,, quam infinito odio & detestatione persequitur Deus. Quid aliud possim velle, quàm lachrymas, gemitus, eiulatus, dolorem, pænitudinem,

Deus

Deus ipſe tametſi mutabilitatis expers ac beatus. ad quem accedere malum non poteſt, tamen peccati ſuper terram malitiam intuitus quaſi cum acerbo ſenſu ac gemitu tactum ſe dolore cordis intrinſecús fatetur. & proclamat, atq; opera ipſe ſua damnat; infectaq; vult eſſe: Pænitet inquit me feciſſe hominem & cum lacrymari per ſe ipſe non poſſit, cælum quodammodo ſubſtituit, ut ploratu & lacrymis, hominum ſcelere provocatis. terrarum orbem, totis laxatis, & effuſis imbrium habenis, totis cataractis apertis, etiam cum rerum creatarum interitu, innundet atq; obruat.

Quis etiam dabit capiti meo aquas & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte, O quam congruentes! quam optabiles mihi ſunt lacrymæ! O quis mihi det ut ſit magna velut mare contritio mea, ex quo lacrymarum flumina exeant! & in illud intrent, ut iterum ac perenniter fluant.

Peccavi, miſerum me! & peccatis meis Deo, Deo inquam, Deo) & auſim ego abominatio & execramentum nomen illud ſanctum & ineffabile pronuntiare?) ſummo illi & æterno ac infinito Nomini me hoſtem, plùs quam bello indicto conſtitui, Maieſtatem illam increatam violavi & ſpreui, illam Bonitatem, quæ ſola bonitas eſt, illam amabilitatem offendi! Multiplicatæ ſunt iniquitates meæ ſupercapillos capitis mei. & ſuper numerum arenæ maris ſupergreſſæ ſunt caput meum.

Vix inter homines homo (ſi tamen homo & non brutum aut bruto inſenſatior) comparui, vix libertatis arbitrio uti, cum ferè ſimul eo abuti cœpi. & Dei mandato ac voluntati, idq; penè continenter in ſingulos non modo

annos,

annos, & menses. sed etiam dies ac propè horas aduersari. quasi idcirco in hanc lucem prodijssem, ut Deum mihi aduersarium, contra quem agerem. proponerem, ad quem amandum laudandumq; conditus eram! Proh dolor! vix bene discretionis annos attigi, & iam primo ætatis illo vere, vitâ plane lacteâ tot pænales actus exercui, multiplices numero, uno alios atq; alios peiores.

Porrò quid dicam de annis maturioribus usq; ad hodiernum? nihil omnino intactum reliqui, quod non moverem in Tui. offensam, ah! quoties deliberatam! Dies diei, momenta momentis tradebant malitiam meam. contabescebam in fece peccatorum, & vulnera mea non sensi. multiplicatæ sunt iniquitates meæ super arenam maris, & tamen me securum reputaui.

Quæ? quot? & quales in districtum iudicium tuum, venient cogitationes, dicta, & actus mei, contra legem tuam. debitam urgentia vindictam Aderunt ex aduerso tot gratiæ tuæ prope infinitè neglectæ, si non contemptæ, tot instinctus tot diuvini pulsus. cordis mei dilati, vel reiect.

O quàm bonum erat mihi si natus non fuissem; & u quid etiamnũ viuo? aut moriendum mihi dolore, aut vivendum dolori est. O dolor! ô amaræ, & ô amatæ lacrimæ singultibus intermixtæ vos ego vos solas volo, obrui te me, & mergite. replete me amaritudinibus, Vos ô lacrymæ este mihi panes die ac nocte, Vobiscum ô lacrymæ potum meum miscebo, potum expressum ex uva fellis & botro amárissimo, Vobis lavabo per singulas noctes lectum meum, vobis stratum meum rigabo.

O vos imbres, sive qvi olim cataclismo mun

dum

dum obruistis, sive qui etiamnum in terras perpetim caditis, aut casuri aliquando estis, non iam è nubibus posthic vos abrumpite, sed ex oculis meis omnes decidite. O flumina! ô fontes! ne ex mari deinceps, sed ex oculis meis originem multò utiq; iustiorem ducite. O maria omnia & abyssi magnæ! ô collectiones omnes aquarum! in meo vos pectore, in meo capite colligite, & per hos infelices oculos exite! His demum lacrymis his undis mèrgatur mundus. his, si ita vult mecum intereat, neq; ego illi neq; ille mihi superstes.

Quanquam quid hæ lacrymæ? quid hi gemitus? quid hi dolores criminibus meis eluendis expiandisque sunt? si mille mundos fletibus meis operiam ne unicum quidem abluam aut abstergam scelus.

Heu me mi Iesu! quænam potest esse abyssus doloris, ut incam me coniiciam? quæ possibilis animi acerbitas, ut sufficiat sceleri meo? O inferni ignes & flammàrum verticès, frigidi etiam vos estis ad mea urenda scelera O quanto melius fecissem si priùs quàm peccassem, in vos potiùs sine peccato cum D. Anselmo insilire voluissem.

Ergo deprehensus coram te, in delicto meo & opertus velut diploide confusione mea, pronus in terram, & procumbens in faciem meam, hoc unum ore confuso, oculis lacrymantibus, spiritu contrito & humiliato, hoc inquam unum inclamo: Pater! ô Pater! Ergonè te patrem voco? ita est, tu Pater, sed ego non filius ô Pater mi! & plús quam Pater! ò Pater peccaui in cælum & coram te, peccaui in omnem iustitiam tuam, iam non sum dignus vocari creatura tua, fac de me quod vis, tantum dele ini-

qui-

quitatem meam. & á peccato meo munda me.

Mereor equidem, mereor repelli á te, & in mortem, ac omnia mala detrudi. sed tu moriens pro me expandis brachia, & manus tuas ad me quantumuis contradicentem, & áduersantem tibi, ut dulcissime amplexeris & stringas me. imò & caput tuum inclinas sive ut svavissima mihi oscula figas, melle dulcissimi cordis & amoris tui illita, sive ut hæc postrema verba mihi moriens in aurem insusurres: En morior amore tui. tu vicissim ama me!

O amo! amo te totâ animâ meâ, & totis viribus meis mi Deus! O Pænitet pænitet me, pænitebitq; semper! ô doleo iterumq; doleo, & si possem infinito dolore dolerem O si quod factum est, possem infectum reddere! ô si tempus præteritum reuocare!

O millies iterumq; millies doleo, neq; aliam obcausam doleo, quam quia te offendi, summum Bonum, adeoq; mi Deus, si scirem quód annihilare me velles, aut ad æternas pænas detrudere, dolerem etiam de peccatis ob ejus amorem. Propono cum gratia tua omnia in posterum subire mala potius, & millies mori, quam tibi peccare.

Actus breviores Pænitentis.

DOmine qui es summum bonum meum, quàm longè per peccatum reeessi à te, & habito in regione hac longinqua miseriarum, ubi perdidi me, indignus planè quem terra sustineat. Miserere mei & salua me.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te nonsunt abscondita. Delicta iuventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine Deus propitius esto mihi peccatori, Iesu Fili Dei

viui miſerere mei. Ablue me Domine ſanguine tuo, ſana me vulneribus tuis.

Hic ure Domine hic ſeca, ut in æternum parcas, hic me caſtiga, & noli in futurum reſeruare mala mea. Domine ne in furore tuo arguas me, nequè in ira tua corripias me. Non intres in iudicium cum ſerno tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Verè, verè, agnoſco commiſſa mea, & paveſco. ne me proijcias ô Deus meus! ut iratus Pater à facie tua, neq; me tantis meis enormibus malis irritatus hereditate cæleſti prives & velut inutile terræ pondus, imò diaboli mancipium æternam tradas ad pænam. ſed parce pijſſime Saluator qui latronem in cruce exaudiſti, & Petrum lacrymantem ac Magdalenam pænitentem ſuſcepiſti.

O *Deus* meus! amo te amo! & ideo doleo quòd te offenderim Deus meus! amo, amo, amo te ex toto corde meo, ex tota mente mea & ex omnibus viribus meis. Et ideo doleo doleo ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis de omnibus etiam occultis peccatis meis.

Amo & ideo doleo, & doleo quòd non magis amem doleo, quòd non magis doleam, amo & deſidero plus amare, doleo & deſidero plus dolere. ô *Deus* amoris *Deus* doloris, & deſiderij mei, ſine me aut amore aut dolore, aut potiùs utroq; abrumpi & mori.

O quántum hoc eſſet mihi bonum vel, hoc exiguo modulo. compenſare quadantenus amorem tuum. & indulgere dolori meo Famula tua Thereſſia ex amoris erga te vehementia mortua eſt, O invidenda beatitas! ô mors optabilis

bilis & beata! Altera itidem magna ferua tua Magdalena de Pazzis amanti te animæ dicebat martyrium effe; quoddam. quòd videat te á fe, non tantùm amari, quantùm amandus es.

Quale igitur martyrium & omni acerbius morte tormentum effe debet mihi, qui fic te amabilem, quemq; nunc prout poffum amo, non modo non amaui, fed offendi, fed fpreui, fed occidi?

Formula propofiti emendationis.

REgreffus fum ó amàntiffime Iefu, ficut filius prodigus ad brachia & amplexus tuæ bonitátis ahmiferum me! quæ nubes tam denfa affe ctûs deprauati efficere potuit, ut non viderem & amarem te. Solem veritatis? Cæcus fui, cum te offendi, & amavi cæcitatem meam.

O infelix tempus in quo te non cognoui? ô mifera cæcitas, in qua te non vidi! ô nefanda furditas in qua non audiui voces tuas! ô durum & infatuatum cor quod fe immifcuit pulchritudini & amori corruptibili tuarum creaturarum, te deferens. qui es pulchritudo, & bonitas æterna!

Sed ô bonitas infinita, tu mihi oculos aperuifti ut agnofcerem & horrerem peccata mea omnia propter te, ut cognofcerem & amarem te fuper omnia, ferò quidem te amaui amor æterne,, meliùs tamen eft ferò quam nunquam, faciam quòd nunquam feci, exhibebo me ex tota anima tibi gratum.

Procul hinc efto vita vetus, procul profanæ deliciæ, procul honores vani, procul omne peccatum. Nunquam ô mi Deus ampliùs recedam ab amicitia & gratia tua. nunquam per ullum peccatum elongabor à te,

Si vis mi Deus! potes me ita mundare. ut te non offendám amplius, dic mihi obsecro, quod dixisti olim leproso, volo mundare, dic mihi quod dixisti Paralytico! Ecce sanus factus es iam noli amplius peccare. Ita propono, ita profiteor, & protestor coram tua Diuina Majestate, coram Beata V. Maria, & tota cælesti curia. nolo amplius peccare, in æternum non peccabo, cum gratia tua.

Ne quæso sinas Domine Iesu, & tu Sanctissima Mater. ut in posterum tam immani scelere me obstringam. Voluntate libenti præeligo infernum, & omnium dæmonum ac damnatorum etiam possibilium cruciatus, cum gratia tua mi Deus! quàm cœlum cum omni sua amænitate, jucunditate, delicijs existendo in peccato.

III.

Via recta ad Cœlum Via Crucis.

Per quam viam ascendemus? 4. Reg 3.

Maximus ille & amabilissimus Gigas, paratus ad currendam cælestem viam, duas commemorat vias, quibus Viatores tendunt ad felicem vel infelicem terminum. *Spatiosa* (inquit Mat. 7. *via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Arcta via est, quâ ducit ad vitam & pauci sunt. qui inueniunt eam.*

Spatiosa via quâ currunt cæco impetu homines reprobi, quorum Deus venter est, qui ducunt in bonis dies suos, & eheu! in puncto honoris in momento lætitiæ, in exultationis exiguo fluxu ad inferna descendunt, est plenissima omni fraude & dolo, plena reptilibus ac bestijs omnium scelerum, nimirum auaritiæ,

luxu-

luxuriæ, odij, superbiæ. Per hanc viam mundus mercator perduellis. suis spargit misera solatia, fallaces spes, breuem vilemq; fortunam, quæ vix afficit, & deficit, vix proficit & proijcit, vix exponit & deponit, vix concedit & recedit.

Omissâ hoc loco spatiosâ ac periculosâ viâ in omni pio statu ac professione, non tantum scilicet Religiosorum, sed etiam cuiuscunque conditionis sæcularium arcta via est eligenda, nimirum via crucis, quia in genere omnibus dictum est: *Per multas tribulationes, oportet nos intrare in regnum DEI.* Deinde, *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Non vinolenti, non somno, gulæ, luxuriæ, aut deliciis dediti. Frustra existimamus obtineri cælum posse, nihil patiendo & carni indulgendo, quidquid illa appetit. *Impossibile est* (inquit *S.* Hieronymus) *ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hic ventrem, & ibi mentem expleat, ut á deliciis transeat ad delicias.*

Hâc viâ Dux & Antesignanus noster Christus præivit. Primus ille crucem baiulavit, primus passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius. Neq; tantum passus fuit ad finem vitæ suæ, quando fuit crudelissimè cæsus spinis coronatus, & cruciaffixus, sed ab instanti suæ Incarnationis, tota ipsius vita fuit passio fuit continua crux.

Post Christum Ducem nostrum transierunt hâc viâ Crucis & virgines. transierunt Martyres, transierunt pueri & puellæ. Tu solus hâc viâ Crucis ire renues? Christus portauit spinas tu vis te blandis rosis coronare? innocentissima Christi caro tam diris cruciatibus lacerata est amore tui, tu Dei amore non vis carnem

tuam

tuam rebellem, nisi indulgenter tractare?

Deum serio amare, est unicum compendium, ne commoda nostra quæramus, ut secundûm Deum non secundum nos viuamus. D. Prosper, de vita Contempl. l. 3. c. 1. hæc omnia scitè ita complectitur depingens hominem suis commodis inhiantem: secundúm se ipsum viuit, qui si potuerit est cum quibus vult, pergit quò vult, dormit quando & quamdiu vult, loquitur quæ vult & ubi vult, manducat & bibit, quando & quod vult Qui autem secundùm Deum viuit, non quod eum carnaliter delectat, sed quod ædificat spiritualiter facit, & omnia desideria carnis spiritualis desiderij delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit.

Indulgenter tractare carnem est illam immortaliter odisse, ac ad æternum, quod cruciat ducere per momentaneum, quod delectat. Unde S. Bernar. (epist. 2.) Commoditates porcorum siliquas vocat, quæ cælestium famem extinguunt. Quomodo potest inquit esurire vel sitire Christum, plenus quotidie siliquis porcorum? Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt, ita spirituales & carnales deliciæ. Verè ait aureus ille Asceta Thom. de Kem. 1. c. 24. *Nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus.* Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris, tantò duriùs postea pænas lues, & maiorem materiam comburendi reseruas,

Unde Hosius Cordubensis Episcopus ex mente S. Hilarij se perdidit; quòd sepulchri sui nimium amans fuerit, id est nimis corpus suum coluerit, totque cum illo alij æternum periere, quód carnem suam luxu eduliorum, & vestium,

um, alijsq; ſenſuum delicijs & voluptatibus nimium indulgenter habuerint. cum obſequi. D. Paulo debuiſſent dicenti (2. Cor. 4.) *ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, ut & Ieſus manifeſtetur in corporibus noſtris.*

Multi etiam ſunt alij filij tenebrarum, qui carnem ſuam ſuaviantur ut filiolam, qui iugiter & molliter fovent, qui rectâ in Epicuri hortulos & delicatæ inertiæ umbram feruntur. Et illâ nimiâ corporis curâ fit, ut homines toti pulpæ fiant & tanquam ſues, non animam habere alia decauſa videantur, quàm ne caro & pinguedo putreſcat. Illi nihil ſapiunt altum, nihil cogitant diuinum, nunquam ſe humo attollunt, mens omnis & cogitatio apothecæ cancellis definitur, donec vita finiatur.

Diogenes uno in dolio cubabat, illi totos dies peregrinantur inter dolia & ollas, totas noctes volutantur inter plumas & roſas, animus totus eſt in patinis & potiùs in paropſide quàm in obſide, plùs in foro quam in choro, plùs in macello, quàm in ſacello deniq; in cæno, quam in cælo.

Quam tu delicatus es miles, ſi ſperas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. Stat ſanguine palma, dolore lætitia emitur, ſola in Chriſti caſtris patientia coronatur. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet.* Silex niſi inter verbera non ſcintillat, aurum niſi ab igne non lucet, adamas niſi ſectus atq; detritus fulget.

Crux ergo ſeu mortificatio eſt arcta via, per quam cælum ingredi contendamus. Qui verò Crucem ſeu quamcunq; mortificationem fugit in quocunq; ſtatu, fugit viam arctam, ſemitam ſalutis, & incidit in vias difficiles.

Duplicem verò communiter Ascetæ assignant mortificationem nimirum continuam, & discretam seu discontinuam. B. Albertus magnus (Paradisi animæ c. 38.) macerationis seu mortificationis continuæ actiones has ponit. primo, sponte castigare corpus ieiunijs, vigilijs, humicubationibus, orationibus, cilicijs, disciplinis, abstinentiâ cibi & potûs delectabilis, ut in omni bus caro spiritui subiaceat. Secundo carni nullam voluptatem, sed solam necessitatem impendere. Tertiò non tantùm ventrem, & os suum coercere à cibi & potûs voluptate, sed & linguam compescere à verbis illicitis: & tactum refrenare à delectationibus. & cor a cogitationibus & affectionibus voluptuosis.

Continuàm mortificationem suadent nobis authoritates & exempla.

S. Paulus monet: semper mortificationem in corpore nostro circumferentes. Et de se ipso alijsq; ait. Propter te mortificamur totâ die, non habuit requiem caro nostra. Et S. Bernardus suadet ad fratres de monte Dei scribens, *Semper exhibere corpus suum hostiam Deo placentem,* Hanc hostiam per continuam mortificationem Deo amor sacerdos immolat, quando corpus ieiunio, somno parco, cilicio, flagris, duro inter orandum, vel lecto, situ, alijsq; actibus, affligat.

In vitis Patrum iu ea regula, quam Angelus dedit Pachomio Macarij successori de mortificatione ita præscribit Deus per Angelum: *Corpora vestra affligatis per omnia, quia hæc est delectatio bonorum operum orantes semper ac ieiunantes, ut possimus scaturientium dæmonum superare naturam.*

Hoc

Hoc incitamento monet filios suos magnus ille mortificationis urgendæ Author S. Franciscus de Paula sic scribens opus c. 7. *Mortificate membra vestra, salutari pænitentia, quia taliter immunes eritis, ne in laqueos & tentationes sathanæ cadatis, qui nisi pigros, nescit vincere.*

Primum exemplum continuæ mortificationis seu crucis accipe in B. Virgine, de ea scribit Gregorius Turonensis, quòd ex quo templum ingressa est, semper sit usa cilicio, somnus illi super nuda humo, vel duris tabulis parcissimus fuerit.

De S. Bernardo in uita ipsius legitur: Beatus Bernardus in afflictione corporis sui usq; adeò sibi mundum, seq; mundo reddidit crucifixum, ut confidamus Martyrum quoq; eum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimoniâ vitæ tam longum constat duxisse martyrium,

Scribitur de Iuditha l. 4. quia *habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter festa domus Israël.*

Ioannes Rhod de magna virgine Ioanná à S. Cruce refert, quâ se industriâ cruciavit: ait illam ingenti cruci adhæsisse, apprehensiq; prominentibus è stipite clauis, diductis late brachijs diu pependisse suspensam, ac volutatam fuisse inter spinas à flagris iam ante cruentatam.

Aiunt S. Ludovicum Galliæ Regem, si quando Confessarij iussu consuetum cilicium deponebat, obvaletudinem afflictam ad tempus, eo die concessam hanc ut ipse dicebat, corpori suo indulgentiam, erogatis quadraginta scutis in pauperes redemisse.

Robertus Galliarum Rex, quintâ cuiusuis hebdoma-

domadis feriâ, veſtem regiam exuebat, & cilicio ad carnem coopertus centum ſexaginta pauperum pedes abluebat, ac prolixo ſuo capillo tergebat, Lyræus l. 2. c. 3.

S. Paula etiam in grauiſſima febri. mollia lectuli ſtrata non habuit,, ſed ſuper duriſſimam humum ſtratis ciliciolis quieſcebat de ea S. Chris. ep. 103.

Lectus S. Martini erat nuda humus.

Tiberius *Biſiniani* Princeps ſæpiùs nonniſi pane veſcebatur, aquam bibebat, ferreâ catenâ collo circumdatâ, quâ ſe *Deiparæ* mancipium teſtabatur.

Gratum ſibi eſſe S. Edmundi noſtri cilicium oſtendit *Deus*, quando illud abigne ſeruavit illæſum. Dum enim eius cubicularius (inquit Surius) cilicium & femoralia cilicina, quæ uſu diuturno contriuerat, ab eó comburenda accepit, & ille quidem miſit èa in ignem, ſed ignis lambens ea conſumere non potuit, tanquam vereretur ſacriſegij notam ſibi inuſtum iri, ſi læderet ea, quæ beati viri carnem attigiſſent.

S. Eligius de ſua prædeſtinatione anxius animi, hanc ſibi vocem (nempè dæmonis inſtinctu) audire videbatur: Quidquid agis inutile eſt: caſurus es, quia de numero es reproborū. At ille inconſueta mortificationis exercitation e pergebat. Et verò inter cilicina lìntea orantem noctu vox è cælo lapſa recreavit,: ſecurus es, ſi ita ad finem perſeveraveris.

S. Thereſia poſt obitum cuidam apparens dixit Si qua ex cauſa vellem carere beatitudine tantiſper, certè ut ampliùs pati poſſem, cuius nunc tantam mercedem in cælis video.

Eidem Sanctæ notus à dira & varia corporis afflicti;

afflictione S. Petrus de Alcantara post mortem apparuit, ac lætus dixit: *O felix pænitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam!*

S. Agapitus ardentes prunas capiti impositas sentiens, sic se animabat: Age anime mi, ne graue putes, si modò caput ignem ferat, quod paulo post coronâ redimitum immortalitatis, æternum triumphabit.

Abbas Olympius aliquando interrogatus, qualiter speluncæ suæ inhabitare posset angustias, & excessivos supportare calores, præter apum, muscarum, & culicum sanguinem continuò elicientium morsus & puncturas? Respondit; culices sustineo, quia vermem timeo immortalem, flocci facio calorem, quia ignem pertimesco æternum. Hæ afflictiones finem habebunt non illæ. S. Climacus in scala paradisi.

Altera mortificatio est discreta seu discontinua, quam in varijs actionibus totius diei & in omni occasione possumus facere, videlicet in sensibus externis, & internis, in potentijs tribus animæ, in linguæ usu, in prauis consuetudinibus; in mortificatione honoris, amoris proprij.

Ita dum egrederis in publicum, oculorum cohibe curiositatem: ne aspice quod desiderare non licet. visum modestum & depræssum gere. Magdalena Redonia tertij Ordinis S. Dominici professa per Urbem incedens, nihil præter silices & lutum intuebatur. Vidit aliquando S. Mechtildis, dum in festo S. Ioan Euang sacris interesset. B. Virginem & hunc S. Apostolum illustrem radio splendoris admirabili, qui ex oculis emicans, in faciem Deiparæ dirigebatur, dumq; hæret isto prodigio attonita, audit à Ioanne, illum dum intra mortales uiueret,

eâ fuisse erga Virginem Matrem reuerentiâ, ut defigere in illam oculos nunquam fuerit ausus.

Cum S. Franciscus in quodam domicilio prope Assisium valde stricto cum fratribus suis moram traheret, accidit ut Romæ coronandus Imperator Otto cum magna pompa illàc transiret. At Vir sanctus cum secus viam maneret nec aliquis fratrum saltem aspicere de tugurio voluit, præter unum ex ipsis, qui gloriam huiusmodi modicùm duraturam Imperatori constanter nunciari præcepit. Marip. ex v. visus.

Offert se aliqua curiositatis occasio? adhibe mortificationem. S. Carolus Boromæus nunquam per ullam fenestram prospiciebat. Pia Magdalena Redonia, quando ad eam filij literæ deferebantur, ad tres quatuorue dies tenebat obsignatas, tum ut curiositatem suam frenaret tum ut teneritudinem affectus materni compesceret.

Aliquis te verbo, repulsâ, contemptu, aut alia ratione offendit, optima adest te mortificandi occasio. Argumento est illa historia, quam sanctus Bernardus de maledica muliere posteris reliquit. Pessima hæc assueta quibus vis obtrectare, ausa est aliquando in publica plurium corona calumniari S. Malachiam Episcopum, & præsentem injurijs petere, caluum. hypocritam, alijsq; nominibus compellans. *At Ille nil respondit* (inquit S. Bern.) *quia mitis erat & verecundus.*

Versaris in periculo, violandi silentij, aut regulæ alicuius. aut præstandæ inutilis & otiosæ urbanitatis? Generoso recessu & mortificatione declina. Memoriæ proditum est de Ioanna Celersia Attrebati Religiosa, quod raró ad locum congressûs seu colloquij veniret, ne unquam

nisi

nisi de rebus necessarijs loqueretur. Unde ab aliis quibusdam sororibus maiori licentiæ deditis, soror sylvestris appellata est, sed illa tali conuitio immobilis á sua cosuetudine non recessit.

Cibum sumis? etiam hic in quo franges appetitum tuum invenies, siue a qualitate ciborum, siue quantitate. Nunquam sine aliqua victoria recedendum est. Franciscus Arias affert è B. Petro Card. Damiani, Abbatem, qui allatum sibi piscem, cuius edendi desiderio tenebatur, cum pauper ád portam peteret sibi pro elemosyna dari id, quod Abbati appositum est, audito eo, illi unâ cum scutella misisse pro elemosyna, ut seipsum mortificaret, seu peruinceret, pauperem autem, unâ cum accepta scutella in conspectu plurium è terra sublatum in cælum.

Dum graviter à carne, mundo, & diabolo tentaris: generoso animo recede, eligas cum S. Casimiro millies mori, quàm fædari & in Deum tuum peccare. Refert Iacobus de Vitriaco, sanctimonialem quandám pulchram fuisse facie, quam Princeps diues & potens, (in cuius potestate fundatum erat Monasterium) concupiuit, & cum nec precibus nec muneribus eam sibi usurpare posset, mandavit per nuntios Abatissæ, ut unum ex duobus eligeret, aut scilicet Monialem illam sibi corrumpendam transmitteret, aut ipse totum Monasterium ignibus succenderet. Terretur vehementer Abbatissa, ut potè quæ sciret, quoniam nisi quæ desiderabat obtineret, faceret peiora quam dixerat. Pauida igitur Moniali illi sanctæ, Regis edictũ crudele denũciat. Quæ tremens & dolens cæpit inqvirere, cur eam præ cæteris Monialib? sic amaret?

audiuit

audiuit ex nuntijs: propter pulchritudinem inquiunt oculorum tuorum in te ardenti amore succensus est. Exhilarata illa, atquè segregata parum à cæteris, ambos sibi oculos piâ crudelitate euulsit, atq; componens in disco præsentauit ministris Principis dicens: Ite & Principi vestro hæc præsentate ex me, ei dicentes: Ecce sagittæ, quæ cor tuum importuno ardore confoderant. Habes quod desiderasti, nunc eis utere pro libitu atq: oculos cordis mei intactos atquè illos relinque. Specul exem. 20.

Nunc ergo & nobis gemendum est, subjugo mortificationis, nunc morificemus membra nostra, quæ sunt super terram, ut illa collocemus in cælo, ubi gaudebimus de amaritudine, de molestia, de dolore, diuini amoris causa suscepto. *Magnum* prædestinationis pignus est assidua corporis mortificatio. Nam sicut reprobi mirum in modum quærunt ea, quæ postea, carni in sartagine inferni cruciandæ, immortaliter torrendæ, commoda blanda, grata sunt, ita prædestinati contra carni suæ infensi hoc agunt, quod nunc illam cruciat *In novissimis en m*) Eccles. 6.) *invenient in ea*, id est mortificatione, & convertetur in oblectationem,

O quam felix est ista mortificatio (ait Thom à Kemp. op: 8 n. 2.) quæ mihi aperit ianuam æternæ vitæ, id quod sit inportis mortis, per quas eximus è tugurio temporis, & intramus per angustam mortificationis portam in immensum æternitatis palatium. *Tunc mortificatio quasi myrrha electa dabit nobis suavitatem odoris.*

Hâc te Viator consolatione solare, crucem unius horulæ, æterno præmio & solatio compensari. *Curramus ergo* (ut Anselmus urget) *credendo, sperando, diligendo corpus affligendo, bene operando.*

operando. Certè abstinentiæ, lacrymæ, preces, vigiliæ, ipsæ sunt viæ, quæ in cælum ducunt, teste Ephrem.

Actus desiderij patiendi pro Christo.

QVis me separabit à charitate tua mi Deus? non timor mortis, non fames, non nuditas, non persecutio, non gladius, non flagella, crux; ærumnæ, mors, & quæ dura, horridaq; mortalibus videntur.

Tibi mi Domine me totum addico, totum in tui amorem concedo, totus tibi adhæreo, quod tu amas, meq; amare vis, amo, quod non vis, nolo, quod de me disponis, accepto, sive in vita, sine inmorte, siue in tempore, sive in æternitate, sequar te quocunq; ieris, ibo quo duces, si per spinas & cruces, per inopiam & contemptum. perlabores & ærumnas, per sanguinem & mórtem.

Patiar quia tu præcipis, quem ardentissimè amo super omnia. Tibi me totum in holocaustum consecro ô Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum! Nolo vivere sine vulnere, quia te mi Iesu video pro me totum vulneratum.

Quidquid unquam perpessus sum, & quidquid patior, patiarque, omne illud ex motivo sanctissimi amoris tui offero gloriæ tuæ. Amor tuus perficiat dolores meos, efficiatq; ut quantum me cruciant, tantum delectent.

Tu Rex & Dominus meus passus, es amore mei tanta pro me! & ego sub spinoso capite membrum ero delicatum? Sensit hoc orbis & ingemuit, sensit terra & contremuit, & ego non sentiam? Ecce paratum cor meum ire extra castra, & improperium tuum portare, ferre crucem tuam & sequi te.

Amo te Deus meus, & paratus ſum pro te omnes morbos & dolores omnes cruces & tormenta, famem & ſitim, dæmonum tentationes quamlibet ignominiam & iniuriam, quemlibet mei contemptum tolerare, inſuper pro te pati & mori millies millies, millies.

O ſi poſſem pro tui amore & honore vitam & ſanguinem profundere, ac perferre univerſa Martyria quæ SS. Martyres pertulerunt, ac omnes labores ſubire, Utinam ſaltem omnes habitus mei ſint gemitus dolentis ac pænitentis cordis mei.

Inſuper mi Deus! Si tibi placeret, advoca ipſas etiam tartareas poteſtares inferni vires omnes dæmonesq; euoca, qui quidquid posſunt funeſtum, dirum, horridum, atrox, exaggerent. Neq; cupio ut animam meam mihi ut Iobo facere coacti ſunt, feruent, ſed ut eam etiam cruciatuum immanitate à corpore ſeparent En collum & pectus. Exige ſanguinem, exige ſpiritum, mille gladijs: ignibus, rotis exhibebo ſingula membra, & membrorum articulos.

Accipe Domine cor ſerui tui in holocaſtum gloriæ tuæ, ſim tibi totus hoſtia diuini tui bene placiti. Diſpone de me liberè et de tuo proprio iumento pro gloria tua.

IV.

Compendium viæ cæleſtis eſt breuiſſimum per Heroica.

Vidiſti Virum velocem in opere ſuo Prou 12.

Viator, viâ Regia, ſeu viâ crucis incedens ad patriam, ſi velit quandoq; breviſſimo tempore iterſuum conficere, & peruenire ad terminum, inſpiritu fervoris, ſeu per actiones heroicas.

heroicas progredi debet. Per has citiùs summum attingitur, & quod alij diuturno tempore, Viator heroicus breuissimis momentis assequitur.

Præstantissimus est talis feruor eorum. qui incumbunt actionibus heroicis, generosis, insolitis, & ita celeribus, ut incredibili velocitate sua, omnes alias vulgares transcendant actiones & ad thronum gloriæ magni Dei pervenientes Angelos omnes & ipsum Deum in sui admirationem & amorem abripiant.

Talis fuit actus Abrahæ. qui ad unicam vocem Domini, exnunc voluit unicum filium suum immolare. Unde audiuit. *Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi.*

Eius generis fuit actus heroicus S. Bernardi. Clericus quidam veniens ad hunc sanctum Abbatem importunè instabat, ut in Monachum reciperetur. Dum eidem suaderet S. Pater, ut ad suam reverteretur Ecclesiam homo ille velut insanus, totâ vi percussit maxillam sancti Patris, ad hunc tam gravem ictum, ne minimū Pater sanctus edidit impatientiæ signū l.3.c 6

Alexius prima nocte nuptiarum, sponsam intactam reliquit, paupertatis propter Iesum experiendæ studio, & amore castitatis S Casimirus' maluit vitam amittere, quam Virginitatem

Charitate inter se contenderunt apud Antiochiam Theodora Virgo; & quidam miles. Illa ob Christi confessionem ab infidelibus in prostibulum truditur: miles verò eam primus adiens persuadet, ut mutatis secum vestimentis virili habitu evadens, virginitatem intactam conservet, Cumq; ipse cum muliebri vestitu deprehensus, pro Virgine ad supplicium traheretur,

non

non sustinuit illa, ut cuius ope pudicitia tutata fuerat, ei necis causa fieret: palam proclamat, se esse ei pœnæ addictam, non ipsum: è contra ille, se iudicis sententiā damnatum, non illam: certârunt, uterq; alterum sua morte redimere cupientes. At verò quoniam Christum confitentibus, mori, vivere erat, Deo disponente, ambo simul capitis obtruncatione gloriosum Martyrium peregerunt. S. Ambros: l. 2. de Virg: sub finem tom. 3.

Eximius ille vir Cæsar Buzius, dum quodam tempore videret Augustissimum Sacramentum deferri adædes ægroti, statim nudato capite, facem manu præferens contempto nobilium virorum occursu, à quibus se videndum & vilipendendum sperabat, præibat ad ædes ægroti.

Theodosius Imperator magnam sanctimoniam & perfectionem consecutus est vnico actu heroico. Nimirum in ludis theatralibus frænando oculorum licentiam & curiositatem: quotiescunq; enim occurreret aliquid aspectu iucundum, gratumq; & populus magnis lætitiæ vociferationibus, spectaculo acclamaret, tum se demittere, aut omnino claudere oculos solebat, ne quid eorum cupiditati indulgeret.

Considera Viator quia Deus à creaturis suis vinci humanitatis officio non vult. amat illas, blanditur & longè alia ratione, quàm soleant terrarum Domini suorum subditorum agnoscere obsequium, remunerat.

Discimus ex Historijs Ottomanorum, quendam Machometem, qui intimus & carissimus Solymano fuit, non aliter peruenisse ad tantos honorum & fauorum gradus, quàm actionis unius feruore animosoq; plenæ officio epistolam

Iam legebat Solymanus innixus fenestræ, quâ in viridarium erat aspectus: hæc legentis manibus excidit, & viridario illapsa est, illico tota nobilitas aulæ ad gradus currere, volare ad chartam: ut quisq; prior referendarum literarum honorem occuparet. Quid fecit Machomet ut anteverteret cæteros? præcipitem se de fenestra dedit; sublatamq́, epistolam primus Principi suo retulit. Actus ille tam acceptus fuit Solymano, ut statim Machometem, authoritate dignitate; præ cæteris átq; per omnem vitam habuerit in deliciis.

Ament sanè Solymani & orbis moderatores tam illustrem, & amore plenam actionem facilius tamen & admirabilius capitur diuina bonitas, unicum opus plenum affectu & feruore, obitum in eius seruitio, tales amantes non solúm in hac vita, singularibus favoribus, verum etiam in altera magno gloriæ incremento prosequatur.

Unus actus heroicus & extra ordinem fervens diuinam maiestatem (si ita loqui liceat) rapit in admirationem, & incredibilia elicit reciproci amoris argumenta. Ob hanc rationem surrexit è throno Iesvs. stansq́, Stephanum pro inimicis toto ardore supplicantem spectavit, veluti huius stupore prodigij attonitus.

Fecerat aliquando S. Theressia illustre & fervens nescio quod opus: crederes Deum sibi imperare non potuisse, quin diceret: Theressia, si mundum non condidissem, illum iam tui gratiâ & ex propensissimo erga te affectu, crearem.

Sic accipio illud Cantici Canticorum, ubi sponsus affirmat se abreptum esse unica cogitationum illius: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*

in uno

in uno crine colli tui. Prima B. Virginis cogitatio qua se sub immaculatam Conceptionem suam, integre Deo dedicabat, sic diuinum cor, & affe-ctum rapuit ut illico favores omnes & gratias in illam congesserit.

Mariam aliam adeamus videlicet Magdalenam, hæc ob unicam heroicam actionem, & feruentem insolitum illum Christi favorem & benevolentiam consecuta fuit En puella nobilis ad pedes Iesu prosternitur, præsentibus conuiuis. *Pia impudentia* inquid Augustinus, *quæsivit sanitatem, irruens importuna convivio, opportuna beneficio.* Vocet ille piam impudentiam, ego feruorem indagitare malo, & assero hoc unicum opus fuisse fontem, ex quo admirandi illi diuini amoris riui, quibus deinde affluxit emanârunt.

Hæ nimirùm nobilissimæ ac generosæ actiónes, mirum in modum accelerant iter ad egregiam sanctitatem. Hæ actiones sunt, gratiæ prodigia, & germina spiritalis feruoris, ita ut subinde unus actus heroicus, non solùm aucupari soleat, singulares favores diuinos in hac vita, sed etiam in altera incredibilia consequantur amoris diuini & gloriæ argumenta.

Affectus animæ ad heroica anhelantis.

O mi Deus! ô amor infinite! ô diuina bonitas quid dicam, aut quid respondebo tibi? non possum respondere unum pro mille, imò infinitis excessibus charitatis tuæ, qui me in admirationem rapiunt.

Quid non egisti? quid non agis ut ameris? ut corda nostra tibi deuincias atq; alliges? Prior enim mirabiliter dilexisti nos, sic ut filium tuum unigenitumdares. O nimia charitas! ô in immen-

ſum exceſſus! Ergonè amoris tuì in nos conteſtatio ac teſſera, imò pretij, quo noſtrum amorem licitaris, quaſi auctarium eſt Filius tuus Vnigenitus?

O amor mundi & gaudium cæli, quid tibi & mihi, qui debeo odium eſſe & horror totius uuiverſi ſimilis ſimilem amat, quid tu optimus diligis me peſſimum: quid tu ſapientia amas ſtultitiam potentia infirmitatem? miſericordia miſeriam? pulchritudo turpitudinem? quid deniq; Tu Bonitas amas me malitiam?

Qua verò in re animum meum & ingenium occupo, ſi non excogito modos, quibus teſtificer me diligere te? O ingenioſe amor, nunquam te tantùm amabo, quantùm dignus es!

O ſi omnibus actionibus meis & operibus tam feruenti, tam heroïco affectu & obſequio poſſem te glorificare, amare, recreare, & exhilarare dulciſſimum Cor tuum, puriſſimè & perfectiſſimè propter te Deum meum, propter gloriam tuam, guſtumq; tuum quàm maximum, & conſolationem dulciſſimi & beatiſſimi cordis tui!

O ſi poſſibile foret, deſiderarem agere, heroicè, Marianè, Chriſtiformiter, & egiſſe quidquid actum, quidquid agitur, agi potuit, ageturq; placitè ac digne te Deo meo, á quocunq; ubicunq; in omni intenſione & intentione, ac extenſione poſſibili in omni multiplicatione replicatione & modo quovis poſſibili, & exoptabili, ac deſiderabili.

Utinam mi Deus! agendo ſemper, aut quod tibi omitti placet, omittendo, patiendo item quæcunq; in anima & corpore propter te, ad quæ omnia in tui gratiam, amorem & guſtum, paratum promptumq; exhibeo, utinam inquam
tibi

tibi totus ac penitùs secundum omnia in purissimum acceptissimumq; holocaustum cedam, & totus instar thuris? aut thymiamatis tibi in suavissimum odorem consumar, imò & annihiler!

Utinam haberem omnium Martyrum animas, omnes vellem exspirare pro te martyrio doloris & amoris tui ô Deus, digne pro quo per martyrium omnis vita omnium mortalium immoletur. Pro te mì Deus semper & ubiq, colliquari, guttatim interire & omnes tyrannicas Antichristi, ac diabolorum persecutiones sivoluntas tua aderit, volo pati.

Hæc sunt vota, hæc suspiria, quæ sacrifico tibi, hæc desideria cordis mei, quœ offero tibi. Accende quæso cor meum mi Deus! in amorem tui, ut diligam te ex penitissimis cordis mei medullis.

CAPUT II.

De prædestinatione Viatoris, quæ est scopus. & terminus viæ nostræ, & medijs ad eandem consequendam.

I.

Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris. S. Augustinus. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis* 2. Pet. 1.

Cogitanti mihi de inscrutabili prædestinationis diuinæ mysterio, silere magis liberet, quam loqui,

loqui, (habendo præ oculis mentis effatum illud à Salomone prolatum Prou: 25. quoniam; *qui ſcrutator eſt Maieſtatis opprimetur à gloria*) & quod olim Ezechieli Prophætæ,, hoc mihi humilitèr profitendum eſſet, hujus torrentis aquas ita profundas & altas eſſe, ut tranſuadari omnino non poſſint. Vnde meritò exclamat Apoſtolus Rom. 11. *o altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius!*

Certùm tamen eſt (ut cætera omnia inſcrutabili Dei ſapientiæ, & incomprehenſibilibus iudicijs relinquamus) quòd prædeſtinatio nihil eſt aliud, quàm æterna & omne tempus præcedens deſtinatio, quâ Deus ante mundi conſtitutionem creaturas aliquas ad gloriam, & beatitudinem cæleſtem elegit & deſtinauit. Unde dicit eo ſenſu Apoſtolus Ephes. 1. *Elegit nos in iſpo ante mundi conſtitutionem.*

Ita S. Auguſt: lib: de bono perſeuer, cum dicit; quòd predæſtinatio *eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei: quibus certiſſimè liberantur quicunq; liberantur.* Ex his autem verbis S Aug: colligitur ad completam rationem prædeſtinationis, prout ab illo & SS. Patribus ſumitur, debere per eam intelligi, non tantum electionem & deſtinationem ad gloriam &beatitudinem, ſed etiam præparationem omnium mediorum, ad illam conſequendam, propoſitumq; ac voluntatem media illi tribuendi, ita ut prædeſtinatio non tantúm reſpiciat gloriam conferendam, ſed etiam ſimul omnia grátiæ dona, quibus ad illam gloriam homines perducuntur.

Et ſic tres præcipui effectus prædeſtinationis numerantur, nempè vocatio, iuſtificatio, & glori

ficatio iuxta doctrinam Apostoli Rom. 8. *Quos prædestinavit hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Ad gratiam vocationis reducuntur omnia auxilia & adiumenta, non solùm interna, sed etiam externa, quæ ad iustificationem suo modo simul cum internis concurrunt: ut externa Evangelij prædicatio, à parentibus Christianis ortus & educatio, occasionum peccandi remotio, cum pijs & bonis conversatio fraterna correctio, & his similia. Ad gratiam iustificationis pertinent omnes alij habitus supernaturales, qui simul cum ipsa gratia habituali infunduntur, ut habitus fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum supernaturalium, item dona Spiritûs Sancti, gratiæ Sacramentales, ac donum finalis perseverantiæ.

Duo autem sunt effectus reprobationis, Primus est permissio peccati, unde dicit Apostolus Rom. 9. *Quod Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Et ad hũc effectũ reducitur obduratio, seu excæcatio reprobi: Cum nihil aliud sit quàm ipsa peccati permissio, quatenus Deus permittendo peccatum, simul iusta aliquâ ex caussâ subtrahit reprobo peculiare aliquod gratiæ suæ auxilium, quo eius cor emolliretur, vel illuminaretur intellectus. Secundus veró effectus reprobationis est, æterna ipsius reprobi punitio, ut patet ex illis Christi verbis. Matt. 25. *discedite a me maledicti in ignem æternum.*

Firmiter ergo tenendum est, & fide Catholicâ credendum, neminem à Deo reprobari & ad pœnã æternam damnationis deputari, nisi ratione

præ-

præviſorum demeritorum. Huic veritati oppoſitus eſt error Caluini, qui lib: 3. Inſtit:. c 23. parag. 5. aſſeruit Deum ante præviſionem cuiuſcunq; peccati, non tantùm excluſiſſe aliquos à cæleſti gloria, ſed etiam efficaci voluntate eos ad pænam æternam deputaſſe. Unde c. 23. parag: 9. ait; Deum ut ipſi reprobi efficaciter ad hunc finem à ſe intentum perveniant, non tantùm eos gratijs ad ſalutem neceſſarijs privare, ſed etiam inijcere ijs peccandi neceſſitatem, quam evadere non poſſint.

Hæc blaſphemia refellitur, & veritas noſtræ fidei probatur authoritate ſcripturæ varijs in locis, in quibus teſtatur Deus ſe nolle, ut ullus pereat, ſed ut omnes peccatores ad pænitentiam convertantur, & ſic vitam æternam conſequantur. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dominus Deus, & non convertatur à vijs ſuis & viuat?* Et c. 33. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed ut convertatur impius à via ſua & vivat,* Mat: 18. *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, ut pereat ex his puſillis.* Luc. 11. *Quis ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* Axioma Theologicum eſt. *facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.*

Docet etiam S. Thomas q. 14. de veritat a. 11. ad 1. Si quis in ſiluis nutritus ductum rationis naturalis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſime eſt tenendum, quod Deus ei vel per internam inſpirationem revelaret neceſſaria, vel ad eum prædicatorem dirigeret.

Imo ſi Deus revelaret per Angelum, quód quis ſit futurus ex numero damnatorum, non ideó eſſet deſiſtendum á bono faciendo, quia neſciret, an illa revelatio ſit abſoluta vel tantúm

conditionata. v. g. Petrus certò damnatorum erit ex numero, nisi se emendaverit, hoc fecerit vel omiserit, Ista locutio fuit conditionata, quâ per Ionam Deus fuit usus ad terrendos & ad pænitentiam movendos Ninivitas: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Ionæ. 3. c. Quid inde? Deus quia prædixit per Ionam non parcet? nequaquam, pro locutione acceperunt conditionata: Crediderunt viri Niuivitæ in Deum & prædicaverunt ieiunium & vestiti sunt saccis &c. Nisi ergo Deus adderet, se non loqui conditionatè sed absolute, tunc necessariò seu in fallibiliter sequeretur damnatio.

Communiter itaq; docent SS. Patres, electionem absolutam & efficacem prædestinatorum ad gloriam factam esse, nonnisi post prævisionem meritorum ac finalis in gratia perseverantiæ. Clare patet ex scriptura hæc veritas Matt. 20. ubi Christus dicit: *Sedere ad dextram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Quibus verbis (ut SS. Patres docent) Christus innuit, non favori & gratiæ, sed laboribus & meritis paratam esse sessionem in regno suo. Ita hunc locum explicant S. Epiph. hæresi 69. S. Cyrill. l. 10. thesauri c. 16. & Hieron. lib. contra Iouinianum, ubi ait ideo Christum Dominum ibi dicere Non est meum dare vobis ut noverit unusquisq; mansionem sibi in cælo non ex sola Christi largitate, sed etiam ex proprijs operibus esse præparandam.

Item S. Math. 25. *Venite benedicti &c: possidete paratum vobis regnum &c. esuriui enim &c.* quibus verbis apertè insinuatur, regnum cælorum ab æterno esse iustis præparatum ob prævisa

corum

eorum bona opera, quod patet ex particula causali. *enim*. S. Ambrosius l. 5. de fide c. 3. expressè concludit: *Quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit*. S. Augustin. Ser. 7. de verbis Domini ait; *Quos voluit hos Deus elegit, elegit autem* (sicut dicit Apostolus) *& secundum illorum iustitiam*.

His SS. Patribus adiungi potest Franciscus Salesius, qui in opusculo de amore Dei l. 3. c. 5. id expressè docet & probat ex verbis cuiusdam Collectæ, in qua Ecclesia Deum alloquens dicit, illum misereri omnium, quos suos fide & opere futuros esse praenoscit. Quibus verbis (ut ille dicit) fatetur Ecclesia, gloriam ijs esse destinatam, quos divina sapientia prævidit gratiæ suæ vocationi obtemperaturos, & per illam ad fidem viuam, quæ per charitatem operatur, esse perventuros.

At verò non paucos intricata hæc quæstio potest anxios reddere, & non abs re, si illud in mentem venerit, quod dicit Apostolus: *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat, Voluntati eius quis resistit? ô homo tu quis es qui respondeas Deo? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas &c.* Et. 2. Tim.. 2. *in magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam*. Unde S. Augustin. dicit super Ioannem: Quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle dijudicare si non vis errare.

Hæc tamen omnia & similia Sacræ scripturæ loca intelligenda sunt de divinis decretis ex prævisione bonorum vel malorum operum provenientibus, quod docet Apostolus: *Quos præ*

ſcivit, hos & prædeſtinavit, id eſt quos præſcivit bene victuros, hos prædeſtinauit. Ubi Deus dicitur priùs præſciuiſſe, deinde prædeſtinaſſe. Porrò præſcientia ante prædeſtinationem nulla alia rectiùs intelligitur quam præſcientia meritorum, puta fidei, dilectionis, pænitentiæ, ut exponunt SS. Patres in hunc locum. Cyrillus Chryſoſtomus, Theodoretus, clariſſimè autem S. Ambr. de fide c. 3. lib. 5. *Quos præſciuit prædeſtinauit, non enim ante prædeſtinauit, quam præſciuit, ſed quorum merita præſcivit, eorum merita prædeſtinauit.*

Hoc ipſum expreſſe ipſa æterna Veritas inſinuat *Mat.* 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.* ex quibus verbis Chriſti patet, merita eſſe motivum prædeſtinationis, ac conditionaliter fieri prædeſtinationem Dei, nihil enim ſine aliqua prædeſtinatum eſt conditione. Prædeſtinatum eſt ut ſalvetur mundus, ſed per aquam baptiſmatis & mortem filij Dei. Prædeſtinati ſunt omnes boni ad gloriam; eâ tamen conditione, ſi fidem tenuerint, ſi charitatem, ſi humilitatem, ſi miſericordiam, pietatem & his ſimilia habuerint, atq; perſeveraverint in via pia & Sancta: tales enim futuros eos prævidit, quos *Deus* ad vitam prædeſtinauit, & quaſi prædeſtinando eis diceret. Ego quidem ad vitam vos prædeſtino, ſi tamen mandata mea cuſtodieritis & ſi in bono tandem ſine inventi fueritis.

Communis etiam S. Patrum eſt doctrina, noſtram prædeſtinationem non eſſe ſimplicem, ſed eſſe compoſitam ex duobus, prædeſtinatos videlicet nos eſſe ad Crucem Chriſti & regnum, ad patientiam Chriſtj & ad gloriam Dei. Ad primum ceu medium, ad poſterius ceu finem. I

I nunc, quisquis es quære, si paucis sunt vel plures, qui salvandi erunt. Videbis paucissimos ad gloriam. propter huius conditionis defectum videlicet merita, prædestinatos. Hæc salvandorum paucitas omni æuo proposita, nobis est ad cautelam.

Ante diluuium ex tanta hominum multitudine octo solùm animæ in illo nauigio sunt servatæ. Sodomæam terram Dominus eversurus nec decem reperit probos Cùm Moyses sexcenta millia virorum absq; parvulis & mulieribus educeret Ægypto, duo tantùm è tanto numero in terram promissionis pervenerunt exceptis Sacerdotibus.

In amplissima Ninive solus Tobias cum uxore & filio: in Babylone Daniel cum tribus socijs ambulabant coram Deo & erant perfecti: In omni terra unicus Iob inveniebatur iustus Non minus flebili Ieremias Propheta questu hanc pro borum paucitatem defleet: *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci?*

Deplorat eandem beatorum paucitatem ipse Christus: *Væ vobis diuitibus qui habetis hic consolationem vestram. Væ qui saturati estis, væ vobis qui ridetis.* Inuitati ad lautissimam cœnam, cæperunt simul excusare E tot diuitibus, onustis scilicet camelis, unicus Zachæus depositâ gibbi sarcinâ, (sic Beda loquitur) hoc est opum onere relicto Christum sequitur. Unica Magdalena è vitæ prostibulo ad Vitæ innocentiam transit.

S. Chrysostomus ausus est quondam dicere de Urbe Antiochia populosissima, idq; eo tempore, quo spiritus primæuæ Ecclesiæ nondum intepuerat: Quot esse putatis in civitate nostra, qui salui fiant, infestum quidem est, quod dicturus

ctūrus sum; dicam tamen: Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur, quin & de his dubito Quanta enim in iuvenibus malitia, quantus in senibus tepor.

Mirabilis & stupendus casus refertur à S. Vincentio Ferrar: qui postquam (ut Deo liberius vacaret) resignauit sua beneficia, petiit desertum, ibiq́, pié ac sanctè vivens postea obijt. Nocte sequenti suo Episcopo apparuit lumine coruscans, eiq́; dixit: Reverendissime Domine age pænitentiam. emenda vitam, alioqui æternâ privaberis gloriâ; & scias velim, quod heri eodem, quo discessi momento, ante Iudicem meum mecum comparuerunt triginta animarum millia, ex quibus ego & S. Bernardus statim obtinuimus cælum, tres aliæ venerunt ad purgatorium, reliquæ omnes damnatæ fuerunt ad infernum: Et hoc dicto disparuit.

Horrendum est, quod Franciscanorum historiæ referunt: Bertholdum virum eiusdem familiæ insignem, in Germania inter verbi divini promulgationem ex cathedra in vitium quoddam ita acriter intonasse, ut mulier quædam eodem vitio detenta, & ab alto, dolore intrinsecùs tacta, in mediá concione exanimis conciderit, omnibus viso spectaculo, & in genua procumbentibus, mulierem revixisse, & inter alia dictu audituq́; horribilia retulisse: Unâ secum ad districti Iudicis tribunal adducta simul esse sexaginta animarum millia ex diversis mundi partibus, & ex omnibus ijs, tres tantùm purgatorio adiudicatas, cæteras omnes ad supplicium æternum damnatas.

Omnibus etiam Religiosis illud sit bené impressum; Vidimus multos & audivimus à patribus

bus nostris (quod non sine timore confiteor) ascendisse primitus quodammodo usq; ad cœlos, & inter sydera nidum suum collocasse, post modum autem cecidisse usq; ad abyssos. Quæ cum considero, contremiscunt omnia ossa mea: Quoniam non securatur homo viuens super terram. S. August. Soliloq c. 9.

Multi enim sunt vocati ad statum religiosum, sed horresco dicere, pauci electi! dicam ergo pro maiori consolatione nostra: Non omnes electis Verè enim non omnes electi! si enim ex duodecim Apostolis, omnibns à Christo ad Apostolatum vocatis, non omnes erant electi, Iudâ videlicet prævaricatore; quis credet, quis sibi imaginabitur, omnes, quotquot ad statum Religiosum vocantur, electos esse? Si inter duodecim membra sacratissimi illius Collegij cuius caput ipsemet Christus, putridum unum inventum est, quas reflexiones facere poterimus, super ea religiosa habitacula, in quibus non duodecim tantum, sed triginta, quadraginta, quinquaginta imó cētū quã doq; Religiosi cohabitant?

Audite Bernardum nostrum: Nusquam est securitas fratres, neq; in cœlo, neq; in paradyso, multò minús in mundo: In cœlo enim cecidit Angelus in præsentia divinitatis. Adam in paradyso de loco voluptatis: Iudas in mundo de schola Salvatoris. Hæc idcircò dixerim, ne quis sibi de illo blandiatur, quia dicitur: Locus iste Sanctus est: *Qnia non locus homines sed homines locum sanctificant.*

Miserabilem Iudæ lapsum considerans D. Hieronymus omnibus terrorem incutit in Psal. 108. *Episcopatum eius accipiat alter*, ita discurrens: Non solúm illo tempore de Iuda dictum est, sed usq; hodie

hodie dicitur, & usq; in iudicii diem: Si ipse Iudas Apostolatum perdidit, custodiant se Sacerdotes & Episcopi: Si Apostolus cecidit; faciliùs potest Monachus cadere.

Ad cautionem ergò & terrorem aliorum permisit Deus tragicos in quibusdam religiosis casus, ut discamus secundum doctrinam Pauli, cum metu & tremore nostram salutē operari. Quantū enim displiceat Deo in religioso tepor, neglectus regulæ contemptus obseruantiæ regularis patet ex hac historia.

Fuit in quodam Monasterio Frater quidam, qui suâ regulâ neglectâ exorbitauit per modum continui. De suis admonitus excessibus hæc elatis reposuit superciliis: *quod fieri debet, fiet infallibiliter.* Non ero in fine vitæ alius, quàm me Deus, quòd sim & qualis sim futurus, prævidit. Sic monasterio valedicens ac omnibus peccatorum sordibus se inquinans orco cessit præda August: lib de bono perseverant: In eiusmodi aliò in loco ait: *Quorum cor si non esset fatuum, non crederet fatum, &c.*

Quantum etiam Deo displiceat, sibi attribuere donum perseverantiæ, & quàm Deo recedente simus fragiles expertus est inter alios Monachus ille, de quo Discipulus in serm, de tem. Ser. 107. In solitudine Angelicam ut ita dicam duxerat Monachus vitam, nihil in eo desiderari poterat, nisi quod bona à se acta sibi adscriberet, quasi hucusq; suâ perseuerasset virtute in bono, non revocans ad mentem Christi effatum *Sine me nihil potestis facere Ioan* 15. c. Dæmon ingruente (nocte fæminam mentitur, a via per eremum aberrantem. Tam ad motum (multa prætēdens, ut intromittatur, motiua)

dixit,

dixit, ut voti sui fuerit facta particeps. Intuetur monachus hospitem, speciosæ. quæ præferebat fæminæ, speciem. Hæc ornatè loquendo, ridendo. ita inescauit solitariũ, ut in turpes abierit ac consenserit amores. Extendit brachia, in amplexus fictæ ruiturus Hælenæ. At dæmon se retrahens unâ cum aliijs dæmonibus eum irrisit in aère. Monachus verò in malo, qui longo prius tempore in bono fixerat, luxuriosè vivendo, pedem fixit, de conversione omnem abijciens spem, quamuis, pessimè.

Quid ergo consilij, quid remedij ad hoc ut, non tantum Vocati sed & Electi esse possimus? Dignẽ nimirum ambulandum vocatione nostra. Quod ipsum innuit Apostolus: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis* Coincidit, quod monet D. Angelicus: Prædestinatis conandum est ad bené operandum & orandum, quia per eiusmodi prædestinationis effectus, certitudinaliter impletur. Quod etiam expresse insinuat Mellifluus Bernardus: Ipsa cælestis regni prædestinatio ita ab omnipotenti Deo præordinata est, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus mereantur precibus & meritis obtinere, quod ipse Omnipotens *Deus* ante tempus disposuit donare.

Affectuosæ aspirationes ad DEUM ut est prædestinator.

ACtum esset de nobis, Christe Redemptor amantissime. nisi tuo interuentu & sanguine ab interitu erepti, spem vitæ haberemus. Gratias igitur tibi habeo, quia hæc redemptio tua sufficientissima est ad saluandum omnes quantùm in se est. modò velimus, nostrum flectere arbitrium, & adniti quantùm in nobis est, ut cum

gratia

gratia tua salvi fiamus. Quia tu ore Prophetarum dixisti: *Quid ultra potui facere & non feci? Perditio tua ex te est.* Et ut Augustinus testatum reliquit: *Creare te potui sine te, salvare te, non possum sine te.*

Quôd sim capax æternœ vitæ tu dedisti, perfice quod dedisti, dispone, transmitte me ad finem illum quem proposuisti mihi, & ad quem viribus meis pervenire non possum. Potero vero & spero, perveniam, per te. qui fecisti me ad te Tu scis quâ mihi eundum sit ad te Tu nosti finem tu media, Tu dispone ascensiones in corde meo è valle lacrymarum ad te Da mihi gradus, da scalas, per quas ascendam, tene me ne excidam, duc ne errem, firma me, ne lubricè præcipiter, ne superbia, morsus diaboli me infelici vertigine deorsùm agat in præcipitium superborum, in abyssum impurorum, in barathrum æternum. & igneum carcerem damnatorũ.

Et cum non simus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, nec ullum possit quod cogitationem antecedat principium reperiri, non est à nobis sed à te salutis nostræ initium Tu das gratiam ut gloriam mereamur, Quidquid est in me ordinans me ad salutem, comprehenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. Præpara me ad gratiam, & per hanc ad gloriam tuam Da ut obediam inspirationibus tuis. Quia dum illis non pareo, timeo, ne me subtraham á gratia illa, quam mihi præparabas, & per quam me ad gloriam disponebas in mirabili serie prædestinationis tuæ.

Da ut quidquid ad prædestinationis felicis statum pertinet, nunc statim exequar. Hoc erit signum,

gnum quod dilexeris & elegeris me, si docueris me bene semper id eligere, quòd tu magis diligis.

Domine sit cor meum lingua mea, omnia ope ra mea calamus manus tuæ velociter in libro tuo scribentis me. Doce cor meum, cogitationes, verba opera mea, manus meas, quomodo inscribere me etiam illa debeant in libro tuo sancto O qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, viuam per te in nôtitia & albo electorum.

Ne me omitte, ne me proscribe, vivã in gratia hic semper, ibi æternum in gloria; non in morte ignominiæ ac odij tui. Ne permittas ut me deleam, vel merear deleri de libro vitæ. Qui enim a gratia tua per mortiferum peccatum deficiunt delent se, quantum in illis est de libro gratiæ & gloriæ. Neq; in te Deus est illa mutatio, sed in illo, qui liberè consentiens peccato, se delet de libro tuo & inscribit se inferno. Tu autem scis illum ordinatum ad gloriam, dum est in gratia si perseveret: non ordinatum, dum excidit, si non redeat. Doleam Domine, ac deleam quid quid est in me, quod me potest delere de libro viventium, & cum iustis non scribi me facit. Tu iuva tuâ gratiâ me præveniente, comitante, sub sequente coronante.

Tu convertis nos ad te & convertimur. Ne ergo permittas ut sim inter vasa iræ tuæ apta in interitũ, sed inter vasa misericordiæ, Osten de divitias misericordiæ tuæ in me Dirige, accipe meã libertatẽ, serviat illa tibi, & sit mihi salutis non æternæ perditionis istrumentum.

Non sum solicitus an tot simus salvandi quot Angeli remanserunt, an verò tot, quod rebelles Angeli ceciderunt & quot Angeli sunt creati,

Tibi

Tibi soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitatè locandus. Fac me ita de me solicitum, ut sim in illo numero beatorum? da ut ad id consequendum nihil plane omittam.

Da mihi talem hac in re tam perplexa solicitudinē, quæ tibi maximè placet, ut hâc solicitudine non piger, spiritu feruens, tibi serviam Domino prædestinationis meæ à quo pendeo.

Iuvet me obsecro ad felicem illam vitam janua cæli & Regina, quæ amabili elogio vocatur Mater primogeniti, ac Regis prædestinatorum, ac Mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei, tessera prædestinationis nostræ; per quam dedisti nobis Iesum, cuius sanguine spero me inscribendū libro tuo; per illam te rogo, ut illo sanguine deleas de corde meo quidquid potest me delere de libro vitæ Move tuos omnes qui tecum sunt & qui mecum sunt, move corda omnium, qui aliquid in hoc possunt ut me adiuuent.

Adoro in hoc etiam infinitam misericordiam bonitatis tuæ, quod aliquos è stercore in illám salutem erigas, á qua plurimi deficiunt, secundùm communem cursum & inclinationem naturæ in perniciem æternam pronæ. Tremo ad ista ego ideoquè dicam cum publicano; *DEUS propitius esto mihi paccatori!* Dicam cum cæco: *IESU Fili David miserere mei! Domine ut videam*, ut videam te in æternum, ne sim inter cæcos æternùm,

Quamvis verò etiam mi Deus! à merito redemptionis me unicum tanquam indignum super quem effunderetur divinus sangvis tuus amoveres. & libro salvandorum deleres, tamen amarem te, desiderarem desiderare te. amare te, propter eundem te, prout & nunc scio incertus licet an amore, an odio dignus sim, & hunc actum

meum

meum continuo ac in æternum continuari cupio

Plùs ahbuc ultra dulcissime Amor meus me resolvo & declaro, si voluntatis tuæ esset mihi unico nutu significare me isto temporis momento vivum cum corpore & anima ab inferni faucibus absorbendum. & solum pænas omnes damnatorum (illis liberatis) æternaliter sustinere debere: ah! horreo quidem & tremo secundùm naturam, tamen ex divinæ gratiæ motu, ad tuæ voluntatis beneplacitum adimplendum statim dicerem: *Dominus es quod bonum est in oculis tuis, hoc facias.*

II.

Pactum cum Deo Viatoris.

Pactum sempiternnm erit eis. Ezech. 37.

INter alia media ad finem prædestinationis consequendum, est etiam hoc efficacissimum, cum sæpiùs mente ad Deum evolamus. Nam frequenter cogitare de Deo ac ex toto corde amare Deum, est negotium maximum, & pretiosissima omnino occupatio, quâ nihil nobilùs etiam in cælo agitur. Christus ipse Mechtildem (l. 3. c. 2. spir. grat.) docuit optimum cordis negotium seu occupationem esse, Deum toto corde ferventer amare, & desiderare, atq; in meditatione dulciter de ipso cogitare.

Expende tenerrima illa, & tibi quoq; (Deutor. 10.) à Deo dicta verba: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus petijt à te nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & diligas eum ac servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo:* Et Eccl. 7. idem nobis inculcat. *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit.* Ubi legunt alij: In omni potentia tua, omni vi, omni

tempore,

tempore, Deus & quod Creator, & quod summum Bonum ac ultimus noster finis sit, amari à nobis debet.

Notum est illud de mellifluo nostro Bernardo sibi sæpius dicente: *Bernarde ad quid venisti?* Idem tibi dic: Ad quid existi de nihilo? ad quid venisti in mundum? ad quid creatus es ad quid natus? ut otio torpeas? ut cibo, potui, somno, voluptatibus te dedas? Pecori quod bonum est quæ natura eius est? nonnisi complere ventrem, dormire, gestire tale tu bonum quæris? coheres Christi quid gaudes, quia socius es pecorum? Duc in altum ad quid existi de nihilo, & venisti in mundum, ut Dominum Deum tuum laudes continuo, & reverearis eiq; servias, tandem saluus fias.

Mente revolve similia Augustini verba: ut amor Dei inte ampliùs excitetur, & crescat, considera diligenter, à quo, quare, vel ad quid, creatus sit homo. Ad laudandum Deum, ad serviendum ei, ad fruendum eo Ipse Christus hoc incitamento usus est dicens S. Brigittæ l. 1. c. 1. *dilige me ego creaui te:* S. Chrysost. *homo ideo factus est, ut Deo placeat,*

Beata Catharina Genuen: dicebat: *Ego sum creata ad amandum Deum & eum oblectandum.* Eadem sæpiùs exclamabat! ô Deus! ô amor! ô Domine mi! cessa, cessa tantopere amare. Amor quo hanc creaturam amplecteris nimius, est, & ille quo te creáturæ diligunt, nimis exiguus.

Audiamus Angelicam S. M. Magdalenæ de Pazzis vocem, sic in æstu suavissimo exclamantis O animæ creatæ ad amorem, quare non amatis Amorem? Quid est Amor nisi Deus? ecquid est, quod nobilissimâ hâc occupatione

feré

ferè neglectâ, nos amore rerum, amore nostro indignarum destinemus? Miratur etiam S. Philippus Nerius, cum quærit: *poteſtne fieri, ut homo qui Deum credit, poſſit aliud præter Deum amare.*

Nec immeritó B. Petrus Card. Damiani Iuditham Virginem ab hoc laudat: *Iudith igne divini æſtuabat amoris* in populosa urbe artifex, amor solitudinem reperit. Et Agneti Imperatrici scribebat idem: *Mens humana intra ſilentium in amore Dei per ardorem ſpiritûs inflammatur.*

Considera quód aliquando Deus dixerit Philippo Nerio in Metropoli orbis habitanti: *Philippe in urbe Roma tanquam in deſerto viuendum eſt.* Id enim clarè docere erat, posse vbiuis locorum haberi illam cordis solitudinem, ita. ut nec impedire eam possint occupationes ex charitate susceptæ, neq; conversatio hominum, quam status cuiusq; exigit, & cui se hic sanctus ex instituto Ordinis sui impendebat.

Vt ergo inter mundanas varietates per amorem Dei, ibi nostra fixa sint corda, ubi, est finis noster, ac nihil sit in nobis vanum, nihil casu ac temere factum, sed quidquid est, sit actus humanus & supernaturalis, ac á nobis tendat ad Deum tali obsequio dignum, anima cum Deo inire fædus societatis non trepidet.

Deus dignatus est olim pactum inire cum homine, ac etiam ipsi mali sæpiùs pangunt fædus cum inferno iuxta illud Isaiæ: *Cum inferno fecimus pactum,* quidni etiam nos cum cælo & Deo illud ineamus? Fiat hoc pactum coram Beatissima Virgine Seraphinis, & omni amantium Deum choro, per quos petamus gratiam, ut sicut pauper illa vidua dando duo minuta plús omnibus dedit, quia desiderabat dare,

quidquid diuites dabant, & plús, ita nos modicum id quod facimus, offeramus cum desiderio faciendi, quidquid gratissimum Deo esse potest.

Non tantúm verò generatim omnia, sed exemplo S. Gertrudis minutim singula ut consecrentur, Deo consecres & offeras videlicet voces singulas, quas lecturus, characteres, quos scripturus, bolos, quos confecturus, verba, quæ prolaturus, gressus, quos facturus, anhelitus omnes quos dormiens, vigilans, ducturus es. Hoc non tantùm est Dei gratiam habere, sed cum gratia perpetuò operari.

Pactum Dominicæ.

VNde mihi ut præsumam loqui ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis, imò verò execrabilis & abominabilis peccator? ignosce Domine, & fac mecum misericordiam tuam, ac simul dignare pactum amoris mei admittere, quo paciscor tecum.

Quoties hâc die, horâ, & quovis momento vitæ meæ dixero: Benedictus Deus! vel Laus tibi Domine! ille actus sit interpres cordis & amoris mei, quo vellem tibi inclinare cælum terram, cum omnibus abyssis, ô Trinitas sancta! Trinitas supermirabilis, & superinenarrabilis, & superinaccessibilis, superincomprehensibilis, & superintelligibilis, exsuperans omnem sensum, omnem rationem omnem intellectum ac intelligentiam, omnem essentiam super cælestium animorum.

Toties volo omnia, quæ debentur tibi Deo nostro à creatura omni perfectione ac intensione, itē quæ tibi unquā exhibita vel exhibenda sunt,& quæ à te ipso fiunt,te comprehensivè cognoscente-

Toties omnibus cogitatis, dictis, ac factis meis hoc nomen tuum Deus! seraphico quopiam com pendio complecti vellem. ac in hoc nomine De us! collectas omnes infinitæ æternitatis laudes offerre.

Sæpe sæpiùs corde procidam ante te, aut dicet tibi lingua mea. Domine ego seruus tuus! vel Dominus meus & Deus meus.

Toties agnosco te Deus meus principium meum, propterea toto animo & corpore te, prostratus, adoro. in centrum nihili mei, ac infra omnes me demitto, & Maiestati tuæ in persona cælestium, terrestrium, & infernorum inclino, omnes omnium creaturarum affectus assumo, ijsq; te colo, veneror, adoro, hancq; adorationem in æternum continuare cupio

Toties corde protestor, quod si plures animas haberem. plures vitas, plura corda, adeòq; infinita, ea omnia tibi in holocaustum lubens darem; & si ego pluries essem ego, adeoq; innumerabiliter, quoties essem ego, toties pro te vellem esse.

Quoties signum Missæ vel elevationis Sanctissimæ Hostiæ percepero: tunc volo ac desidero conglobare ac congregare omnia omnium sacrificia, cultumq; tui & omnes sacrificantium affectus & celebraturorum usq; ad diem iudicij, etiam à sacerdotibus novi orbis.

Toties compensare cupio omnes superstitiones & adorationes subtractas tibi Deo uni & vero, impensas lapidi & falsis, numinibus. Hoc eodem actu te mi Deus præfero, & exalto appretiativè super omnia, ac demum me scabellum pedum tuorum ac totum mundum tuis pedibus profundè subijcio.

Toties omnes pios affectus, quos unquam Iesus & Maria singuliq; electi tui elicuerunt, eliciunt & in æternitatæ elicient, tibi offero, quos universos approbo, ronovo, gaudeo, pro illis gratias ago, & tanquam meos tibi præsento, & & in æternum continuo.

Quoties pectus percussero: aut dixero. Peccaui Domino! vel: pænitet me peccasse! Omne tunc odium detestationem, dolorem, omnes intensissimos compunctionis, contritionis, affectus assumo, quos unquam verè pænitentes, & sua vel aliena peccata deflentes elicuerunt, imò exhibitis etiam omnium actibus amoris alijsq; possibilibus, volo cum oblatione satisfactionis Christi, & eius actuum infiniti valoris, implere momenta actionum peccaminosarum.

Toties doleo, quod peccatores, præsciti, condemnati, & reprobi omnes te non diligunt, ô si exilis amor meus & minutus suppleret, amorem, odia & defectus illorum! ô si irritare, annullare, possem omne malum ab omni creatura commissum!

Toties doleo dolore Sanctorum & ipsius Beatissimæ indolentis ad offensas Dei, & hoc parum est, doleo dolore tuo Theandrico.

Quidquid cogitatione agitauero, quidquid de te dixero, audiero, legero: toties desidero suspirare ad te, atq; totis medullis cordium amare te, amare te cordibus, omnium hominum & Angelorum, mille obsequijs seruire tibi, mille millenis laudibus delectare te, omnes guttas sanguinis mei mutare in corda, & immolare eadem tibi Deo meo igne amoris tui, ac demum omnes actus sanctissimos cuiusvis cræaturæ intellectualis & possibilis, ad gustum tuum concentrare in cor meum

Toties

Toties opto clamare die noctuq; Benedictus Deus! Te decet laus, te decet hymnus tibi benedictio & claritas, honor, virtus, & fortitudo Deo nostro, in cælo, Eucharistia, ac ubiq; præsenti in sæcula sæculorum.

Non verò corde solo, non linguâ solâ te amo mi Deus, & ad te feror, sed omni gestu, omni passu, omni actu animæ meæ, omni motu corporis mei, omnia mea in holocaustum offero tibi. Tua hæc est anima, tuum corpus. Tuum hoc est caput meum, ut cogitem de te, oculi ut non videant nisi quod delectet te, aures, manus, pedes; & reliqua omnia, ut suis munijs non alia de causâ fungantur, nisi propter te. Tibi serviat omnis creatura tua, omnis cogitatio mea, omnia membra ac momenta mea.

Qvia verò vitæ meæ necessitates & occupationes me non sinunt, huic semel expressæ intentioni actualiter semper intentum esse, idcirco cupio & declaro hanc meam oblationem toties pro renovata & actuali valere debere, quoties oculis in cœlum aspexero, aut suspiravero: dicens: Renouo omnia: vel ô amor: ô Deus meus! vel quid simile; protestando expressè contra omnes diabolicas tentationes, suggestiones fraudes: & contra omnes distractiones obliviones, cogitata, dicta, vel facta huic meæ intentioni & pacto contraria

Quæ omnia mea & totius mundi opera licet abiecta & inutilia sanguine Iesu aspergo, meritis Beatissimæ Virginis & omnium Electorum unio, in corde Iesu depono, ac per manus ipsius tibi Deo meo vivo & vero dono, offero consecro ad purissimum gustum tuum, ad nullum præmium meum, eo solo respectu, quia dignus es coli, laudari, amari, ac ideo, quia Deus meus es!

Pactum feriæ secundæ.

O Corde toto mente tota, viribus totis, totâ animâ & fortitudine spiritûs corporisq; amabilis & amans bonitas amantissimi Dei mei nunquam cor ullum exhauriet te amando! nunquam tantùm amabit quantùm es amabilis, quantum amas, & quantùm bonus es!

Ab æterno mi Deus fuisti! & ego te necdum amabam! sed amabas te! gaudeo, nunc saltem effice, ut in æternum amem te tecum. qui ab æterno amasti te sine me & me tecum. Utinam ab æterno incepissem amare, adorare, delectare te! Utinam nunc suppleam ea tempora omnia, quibus non amavi te, utinam, quamdiu fuero, amem te.

In manibus tuis tempora mea, ô Deus æternitas! serviant tibi, ament te, ancillæ horæ meæ ac ultimæ potissimum! Da mi Deus, ut nihil perdam temporis mei, sed illud impendam tibi, ac redimam horas meas, & momenta temporis infelicis, quo te offendi.

O alpha & omega temporum, ac rerum mearum omnium. Dies meus totus est quoddam alphabetum vigin i quatuor horis uelut literis totidem constans, è quibus variè compositis universum æternitatis meæ volumen colligitur: Fac tibi ex his horis, velut literis laudem tuam, orationem talem quotidie, qualis tibi maximè placet super omnia Deus meus! ut singulæ meæ horæ sint ad te, sint laudes tuæ,

Utinam in uno corde cordibus infinitis, per momenta singula sæculis in uno actu bono infinitis bonis actibus possim amare te Deus meus! ô si per possibile, impossibile liceret mihi hodie per æternum continuandam, Theandricam te

dignam

dignam, ſtatuerem gratitudinem & amorem tibi! O ſi maieſtuoſo tuo honori impendere quovis ſuſpirio & reſpirio poſſe, quidquid ſupernæ mentes & electi tui impenderunt, impendent poſthac & ſi ſuperare liceret, in id pia æmulatione intenderem.

Utinam mi Domine! quotieſcunq; hoc tuum nomen Deus! mente, voce, calamo expreſſero, illa ipſius memoria ſit humillima, & cordialiſſima gratulatio, quód ſis Deus! ſit deteſtatio peccatorum meorum & totius mundi quibus iniuria irrogata eſt à nobis tibi Deus! ſit effuſio cordis mei, quia amo te toto te!

Sit immenſum deſiderium meum, vellem omnium idololatrarum atheorum, politicorum dis fidentium, & omnium te verbis vel factis negantium, & vacuum quoddam Dei nomen in ore gerentium malitiam fide mea, ſpe mea, charitate mea, æterna & exaggeratiſſimâ reverentiâ reſarcire! imò in perſona omnium dæmonum ac damnatorum, & omnium irrationalium creaturarum, procidere ante te, in omnibus locis adorare te, ita ut omne genu flectatur, dum flectitur meum.

Et quia Particeps ego ſum omnium timentium te, ideo quoties etiam orantes alios videro, aut Religioſos intentos tuis laudibus canentes & pſallentes audiero, toties verto me ad quatuor mundi climata, & clamo amoroſo affectu: Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino! Benedicamus Patrem & Filium cum S. Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula: Laudent illum glorioſum, cæli & terra & omnis creatura quæ in cælo eſt ſuper terram, mare & quæ in ea ſunt, & laudent, & ſuperexaltent eum in ſæcula.

Quoties horologij sonitus vel arteriæ meæ pulsus animaduersus à me fuerit: toties quidquid in toto orbe boni actum est, approbo & renovo: toties majori, quàm unquam feruore spiritûs millies; & millies majori ac majori proportione illius ad purum gustum tuum, ad nullum præmium meum vellem mi Deus! te omni amore dignissimum, amare mille millibus cordium, millibuscogitationum suspiriorum, desideriorum, amore tuo, & igneferuentissimorum Seraphinorũ.

Deus meus per omne quidquid in IESU, MARIA, in omnibus electis tuis; & in te ipso amas, offero tibi singula momenta vitæ ac mortis meæ, cum omnibus, quæ agam ullo sensu interno vel externo, ad summam super omnia gloriam tuam.

Eadem singula mea, & si tibi placet. Deus meus, omnium creaturarum opera tibi sacrifico, & illa coniungo cum omnibus meritis Christi. Beatissimæ. & Ecclesiæ triumphantis, aspergo illa Sanguine IESU.

Pactum feriæ tertiæ.

O Amabilissime Deus! tu es Dominus meus, & ego subditus tuus, quid iam imperas Domine? aliud nihil quàm amorem. O quale regnum Dei mei! in quo regit bonitas, in quo lex amor est, & amare tributum est, quàm bonus es mi Domine! cuius imperium amor est,

O amantium Rex! tantine est amor meus, ut nisi amem oderis me, & morte afficias me, eâq; æternâ? ita scilicet sum carus, ut tantis minis ad amorem me tui, id est ad felicitatem meam compellas. Quid possum aliud mi Deus, quàm amare te, non quia minaris, sed quia ex amore minaris?

Quæ verò est impudentia mea, si hoc unum

cor

cor quod habeo, & id miſerum; non totum amori tuo impendam? non conſecrem? nunquid dignus ſum tot infernis, quot in cælo ſtellæ micant, ſi non totum cor meum, vitam & animam meam tibi dedicem?

Beati in cælo Deus meus videntes, potiùs paterentur inferni flammas, & omnes poſſibiles alios cruciatus, quàm ceſſarent vel momento à te amando.

Ac proinde mi Domine, ſive ſaluandus, ſive damnandus ſim, omni poſſibili modo te etiam exnunc volo colere, amare, delectare. Nam ſi ex miſericordia tua, quod ſpero, ſalvabis me, poſſumne tam bonum non amare? ſin ob peccata mea, adeoq; iuſtè damnabor, ſaltem tunc amabo te amore digniſſimum. Amo te non tantùm quia bonis tuis me cumulas, ſed etiamſi his retractis omnibus, malis nunc & in æternum me ſubijceres te, amarem, quia te amo non tam ob id, quod ego ſum ex munere tuo, quàm ob id, quod tu es ex natura tua.

Quoties igitur Vivens dixero Paciſcor, vel: Benedicam Dominum in omni tempore, aut quid ſimile, tunc omnia excogitabilia & poſſibilia amoris, honoris, laudis, glorificationis, ac ſeruitutis obſequia præſtare, non attentâ etiam futurâ mea damnatione, in æternum volo ac conſtituo Eo etiam pacto, ut me poſtea ad inferorum ſupplicia relegatum, præſerues ab illo exitiali dæmonibus ac damnatis infixo tui odio blaſphemijs, ac maledictionibus rabioſis ac deſperatis.

Hanc enim gratiam corde & corpore proſtratus, peto à te mi Domine! ut ſicut ab omnium beatorum cœtu iudiciorum tuorum rectitudo in-
finitis

finitis laudibus celebratur in cælis, ita si ego (stante tali & quidem æternùm de me duraturâ dispositione) in profundissima illa voragine constitutus fuero, incessabili laudis & benedictionis præconio valeam, correspondere (etiam frendentibus contra me diabolorum & damnatorū catervis) ita ut unus & solus ego in medio illius maledictæ cohortis, approbem, adorem, & laudem fines ac motiva rectissimorum iudiciorum tuorum, quibus me & omnes infernum meritos damnasti, ac solus ego tot tibi benedictiones rependam, quot in te a ceteris maledictiones evomentur.

Tu scis Domine desiderium meum, quia amo te, amo in vita, in morte, in æternitate, Ad unicum honorem, laudem, gloriam & gustum divinissimi cordis tui dono & offero tibi animam meâm, cor meum, & corpus meum, cum uniuersis potentijs, membris, ac sensibus internis atq; externis? videlicet intellectu, memoriâ voluntate, visu, gustu, auditu, odoratu, & tactu, cum carne, ossibus, vita, sanguine, venis, arterijs, respirationibus, atq; gemitibus.

Omnes insuper cogitationes, verba, opera, gressus, gestus, motus, & singulos oculorum ictus, & nutus: deniq; omnes animæ & corporis functiones, usum, motus & operationes in vigilia, & somno, bonas & indifferentes; omniaq; temporis mei momenta: mortem meam, æternitatem meam, ac totum meum esse in natura, & gratia in obsequium servitutis, laudis, glorificationis amoris, ac beneplaciti tui tibi dedico.

Et hæc omnia, quæcunque per gratiam tuam sum dicturus, cogitaturus, & facturus, agere volo eodem affectu, spiritu, & intentione, quibus

Chri-

Christus filius tuus operabatur in terris, ita ut tibi omni actu respirio, ac suspirio, omnem laudem, cultum, honorem, & gloriam tribuam, quam tibi suis ille actionibus theandricis exhibuit.

Pactum feria quarta.

QVid petis à me Deus meus? audio suavissimam tuã vocẽ: Præbe fili cor tuũ mihi: Ecce habes! tibi sponte & hilariter dono, quidquid mihi dedisti, cor, animam, vitam, sanguinem, intellectum, & voluntatem, meam,

Nolo cor meum nisi tuum; nolo amare nisi te, nolo vivere nisi in te & propter te, nolo sapere nisi te, nolo velle nisi te, jam tuus sum, nonsum meus.

Quia verò mi Deus vivo ego, quasi non ego, sed tu vivis in me; utinam mi Domine, qui es omnia in omnibus, per quamcunq; hypotesim in me fungereris vice cordis, mentis, animæ, virium, fortitudinis meæ, quàm bene ex toto corde, mente, anima viribus fortitudine amarem te!

Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: (Isai: 20.) Tibi ergo sit unicè, tibi gloria ex me, non mihi. Tu ergo tui amorem in me operare. Tu te in me ama & hoc sit exaggeratissimum solatium meum! nam licet ego te amare non possum, quantùm mereris, tu certe id potes, & vis, & facis semper, semper es in me, & in me existens, non minus amas: te, quàm existens in empyreo illo gloriæ tuæ throno.

Ament etiam & loquantur tibi oculi mei: quoties illis toto vitæ meæ tempore cælum aspexero, toties desidero tibi offere omnia illa cordium sanctorum desideria, quibus, accendebantur sancti, cum cælum aspicerent: toties offerre

tibi desidero totum illum amorem, quo amaris in cælo à te ipso, à MARIA, & ab omnibus electis tuis. & desidero illis adiungi, ut amem: toties eo dilectionis ardore omne bonum volo tibi, quo filius tuus suo divino humanoq; vult de tuo bono, gaudio ipsius gaudeo.

Amet te & benedicat tibi lingua mea; quoties illam movebo, toties vellem omnia membra mea convertere in corda & linguas ardentissimorum Seraphinorum, ut ament & laudent te: toties desidero loqui linguis omnium gentiũ, imò omnes guttas arenas atomos in choro,& cælos te laudantium convertere omnium Sanctorum, possibili affectu ac brachijs amoris te constringere, huncq; amorem & adorationem in æternum continuare.

Amet te cor meum, & amore tui ardeat, quia dignus es, ac simul dolore, quia offendi te, disrumpatur. O si in hoc actu amoris simul & doloris non immorer tantùm, sed etiam immoriar! O si hoc instanti cor istud perfidum obrueret pudor, disrumperet dolor, Doleo millies, doleo infinities, quia ex toto corde diligo te o amantissime Deus! Ah! utinam optime Deus offense á me? utinam quidquid temporis, quidquid operæ, quidquid cordis impendi amandis alijs rebus, tibi unice impenderem

Ament te omnes cogitationes meæ, & quoties illas ad te direxero, toties mi Deus mente procido ante te! pronus ac supplex adoro te, factorem meum, ego figmentum tuum, toties opto corde Iesu filij tui te laudare, per quem majestatem tuam laudant Angeli, cum quibus laudo, & adoro cum Dominationibus tremo cum potestatibus, concelebro cum Virtutibus, amo cum Seraphinis.

Ament te omnes reſpirationes meæ, ſed ultima potiſſimum, dum exſpirabo, ſit holocauſtum amori tuo & honori, ſit gratulatio, ſit compendium omnium bonorum actuum, qui unquam ab ullo vivente facti ſunt vel fient, Nunc offero, & millies ac millies oblatas volo meas omnes reſpirationes uſq; ad ultimam, ad ſummam gloriam tuam.

Inſuper quidquid dixero, quidquid cogitavero, & fecero, totum opto, ut tuum, ut & ad maiorem tui gloriam, cum omni pura & ſimplici ac deiformi intentione, quam unquam habuit Beatiſſima Virgo, & omnes ſancti, & ipſe Sanctus Sanctorum Redemptor noſter IESUS CHRISTUS.

Deſidero omnibus actibus ac operibus meis, ac totius mundi addere numerum & pretium infinitum ac fines omnes, qui unquam in divina tua mente ſunt optimi, ac augere numerum ſingulorum bonorum operum & intentionum bonarum quovis momento infinito quibus, à me vel ab ulla creatura honoraris. Imo opto ſingula, quæ facio ád ſupremum tibi placendi, ſeu intentionis eminentiſſimæ apicem elevare.

Pactum feriæ quintæ.

OBſecro Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, liceat mihi pauca quærere, ô bonitas. quid eſt quod me ames, & ſic ames, cum odiſſe me deberent omnes creaturæ? quid eſt quòd amari cupis à me, inter amatores tuos me ſeligens, qui indignus ſum, qui ſim inter dæmones ſervus eorum factus.

Imò verò præcipis bone Deus! ut te amem, & niſi

& nisi faciam, minaris, an opus est his vinculis, ut ad tui amorem obstringar? an careo corde, quo te infinitum bonum amem? iam si amor amore compensari debet, quis amor amori divino par esse potest?

Ab æterno amasti me, cùm necdum essem aut redamare possem, mundum creasti & conservas etiamnum mei causa: Angelis mandasti, ut me custodiant, merces mea magna voluisti nimis, peccantem ad pœnitentiam & gratiam revocas, sed illud amabilius, quod volueris Deus Homo fieri, tam dira pati ac deniq; in cruce mori pro me, insuper vicinus morti corpus & sanguinem tuum in Sacramento reliquisti, pignus tui amoris admirabile.

O IESU plusquam amabilis! post tantum amorem non amabo te? aut non amabo te intensius, quàm aliqua tuarum creaturarum? imò in testificationem amoris mei, vellem omnes excedere te amando. Vellem omnibus actibus simul sumptis totâ æternitate elicitis, ac eliciendis aut uno aliquo illis omnibus, præstantiore eoq; in infinitum multiplicato & aucto te Deum meum colere, amare, & exhilarare.

Sit tibi satis Deus meus! amo te toto me, toto te! amo te millies omnibus momentis vitæ meæ, plus quàm me, plus quam satietatem animæ meæ, plùs quàm ipsam beatitudinem meam in hoc morior: amo te!

Et quia magis ac magis opto amare te, hoc cum anima mea pactum ineo, quotiescunq; dixero, amo te, paciscor, peto à te, laudo te, rogo ut intelligas omne id quod hactenùs dixi, & quod ulla creatura & omnes in cælo in terra simul sumptæ tibi gratum egeruut, agentq; tanquam denuo repetitum & millies approbatum, Obsecro

Obſecro ut intelligas, quia eo momento, quo ad te ſuſpiravero, intendo tibi Domine omnes laudes dare & offerre quæ dantur & dari poſſunt, quovis modo, libris, voce, ſilentio admiratione, amore, obedientiâ, opere, quaſq; tu ô Sanctiſſima Trinitas unus Deus tibi das in æternum & ultra

Opto tunc omnes actus meritorios & quicunq; tibi Deo meo grati fuerint, & erunt in Chriſto, in Virgine Beata, in Sacrificijs, Martyrijs, converſionibus animarum mortificationibus, eleemoſynis, actibus heroicis, approbare, ratificare, offerre, cuivis actioni includere, replicare in momentis & atomis rerum

Quoties ſignum Miſſæ vel elevationis Sanctiſſimæ hoſtiæ percepero, toties in perſona omnium hominum, quicunq; fuerunt, ſunt & erunt, volo mi Deus procidere aute te, agere tibi gratias pro inſtitutione huius Sanctiſſimi Sacramenti. Ubi vera fide credo, & profiteor te eſſe vivum Deum, & hominem ſub ſpeciebus panis & vini, per verba tua conſecrativa, ore Sacerdotis, habentis intentionem agendi, quod tu egiſti prolata Credo & profiteor, quod ſit vera realis tranſubſtantiatio panis in carnem tuam divinam, vini in ſanguinem, remanentibus ſolummodò accidentibus panis & vini per tuam omnipotentiam.

Toties ago tibi gratias, pro abyſſali, ac imperceptibili bonitáte tua, quâ hoc Sacramentum tuum inſtituiſti, ut in hac lacrymarum valle exiſtentem, divinitatis tuæ quodammodo faceres participem. Gratias tibi pro ſtupenda, in æternitáte revelanda, patientia tua, quâ tam execeranda toleras à Paganis, idololatris, hæreticis, ac malis catholicis. Ac inſu-

Ac insuper benedico te pro magnificentissima invisibili quidem oculis nostris, certissima tamen assistentia, quam præstant tibi in Eucharistico Sacramento beatorum spirituum ordines.

Eadem verò singula mea, & si tibi placet Deus meus omnium creaturarum tibi opera sacrifico, & illa coniungo cum omnibus veteris legis & novæ sacrificijs cruentis & incruentis, cuperemq; omnibus, quæ facta sunt, vel fieri possunt missæ sacrificijs interesse, omni omnium sacrificantinm, eisq; assistentium, adeoq; ipsius, IESU & MARIÆ pietate.

Utinam etiam singulis momentis possem IESUM in Eucharistiæ Sacramento percipere cum illo apparatu, quo illum ulla unquam anima, vel re ipsa vel etiam desiderio accepit unquam! ac te Deus ipso corde IESU amare infinitis modis in infinitum

Pactum feriæ sextæ.

O Deus! si me ad thronum illum gloriæ tuæ vel semel evocares ad te, ad unam quasi horam, quomodo istic ego, quâ reverentiâ me prosternerem, te adorarem, te amarem, veniam peterem. Ecce nunc idem es in me intimè, qui istic es, nec esse minor potes, da ergo, ut ita, uti tunc facerem apud te, hic adorem, amem, deprecer te, dum es apud me, in me.

Quia verò mi Deus tu idem es semper, ego verò tædio, alijs cogitationibus, ex alio in aliud eo ambulatoriâ inconstantiâ voluntatis, adeoq; non sum semper is, qui sum nunc, nec semper ita expeditus, ut de te cogitem, & excogitem actus, qui tibi placent exquisitæ ac profundæ humilitatis, contritionis, gratulationis, amoris,

amoris, intentionis, quâ vitam totam,, ultimum vitæ punctum & ipsam æternitatem meam offeram tuæ divinitatis amori & honori æterno, illô modô, qui tibi maximè placet. nunc petita à te suppliciter veniâ, hoc tibi Domine de me certum esse velim.

Quoties respiratione aut motu cordis ad te suspiravero, vel hoc nomen tuum DEUS pronunciavero, ille actus sit interpres cordis mei, quo vellem, ut nomen tuum pronuntiatum sit instar voluminis, vel bibliothecæ infinitæ continentis omnes actus placentes tibi: significetq; desiderium meum, omnibûs illis actibus, qui unquam fuerunt vel erunt tibi grati te amandi, laudandi, adorandi, gratulandi, pro te patiendi!

Quoties mi Redemptor amantissime! tuam imaginem aut crucem aspexero: toties supplex corde & spiritu procido ante te pro me Incarnatum, in horto orantem, ac sanguinem sudantem, positum in agone, ab Angelo confortatum, osculo Iudæ proditoris traditum, comprehensum, vinctum, per tot tribunalia tractum, tota nocte incarceratum, productum ad Pontifices, ferreâ militis manu colaphizatum, reum mortis condemnatum.

Procido ante te crudelissime flagellatum, dolorosissimâ spineâ coronâ redimitum, innocentem sceleratissimo Barabbæ postpositum, ad infame supplicium damnatum, extra portam Caluariæ locum cruce onustum protractum, vestimentis nudatum attritis clauis cruci affixum, felle & aceto potatum, tot blasphemijs illusum, pro crucifixoribus exorantem, capite inclinato expirantem, ex aperto pectore aquam & sanguinem, profundentem, ac demum de cruce depositum, nouo sepulchro illatum.

Quotiescunq; signum SanctissimæCrucis fronti, ori, cordi impressero: toties gratias tibi ago dulcis JEZU qvia cum potuisses propè infinities modo longè faciliori, genus humanum saluare, tamen elegisti, usq; adeo difficilem, plenum doloris & ignominiarum, usq; ad ultimam guttam sanguinis pretiosi in ara Crucis effusi.

Gratias tibi Domine, quia ab æterno ita dilexisti me (dum illo momento æternali & decreto ab æterno facto resoluisti te, ut assumptâ naturâ humanâ in personam Verbi, hominem, DEUS factus homo à peccatis redimeres, mortis chyrographum deleres) ut si totum genus humanum esset immune à peccato nec ullâ egeret redemptione, & solus ego ac unicus prævaricator essem, tu pro me solo, vitam & sanguinem æterno Patri exposuisses.

Quoties mediator efficacissime, de tua passione, sanguine, morte, dixero. audiero aut cogitavero vel scripsero: toties in persona omnium Ethnicorum de te nescientium, aut scire nolentium, in persona omnium in peccato mortali existentium, ac demum omnium Schismaticorum Hæreticorum, Persarum. Iaponiorum, Turcarum, Sinensium & quicunq; infideles sunt & erunt ad orientem & meridiem ad occidentem & septemtrionem, ac demum nomine cælestium, terrestrium, & infernorum adoro veneror & exalto te ab his omnibus adorari & exaltari cupio. dignus enim es Domine ut à toto mundo adoreris & ameris in æternum.

Quoties mi DEUS! tua recolendo beneficia, cor meum intra me incaluerit, aut ad te suspiraverit: aut lingua dixerit: ô mi DEUS! ô amor! quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tu tri-

buisti mihi? toties cupio millies millesies in mille dividi partes, & tot millenis cordibus te amare: toties opto omnibus omnium quæ a te creari possunt, cordium viribus & amoribus, ad te ferri.

Imò toties libentissimè cor meum totum transcribo, cedo, dono, ut iam non sit meum, sed tuum cor; ut iam nihil sui aut mei amoris habeat, sed tantum tui; imò, ut iam non tam ego te amem, quam tu ipse te corde meo ames. iam non meo O ama, ama te illo ardentissimè! Creator meus, & omne bonum meum, ama te quia dignus es, utere illo ad omne arbitrium tuum, posthabito omni arbitrio meo, quod in tuum transfero, & cuius tibi clauem, iusq; omne permitto, resigno, trado.

Hæc omnia & singula tibi mi DEUS offero in unione perfectissima, & inseparabili omnium sanctissimarum cogitationum, verborum, operum, actionum, virtutum, laborum, dolorum, passionis, mortis, & effusi pretiosissimi sauguinis, de vivifico & amabilissimo latere & corpore tuo.

Pactum Sabbathi.

HÆc est voluntas tua, tuo Bernardo dicente ac revelante Deus, qui nos totum voluisti habere per MARIAM, ut illam totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus veneremur. Fiat voluntas tua mi DEUS! da quod iubes, da ut illam tuo exemplo amem, qui illam adeo honorasti, da ut illam plùs amem, quam illam oderint omnes diaboli, & omnes hæretici, omnesq; inimici tui.

Indignus quidem sum Virgo Beatissima ego peccator homuncio, ut labijs pollutis loquar de

te & colam te. Fac me tamen obſecro ſaltem unum de mancipijs tuis. Summa felicitatis meæ hæc eſt, eſſe aliquid tui. En habe me corde & corpore proſtratum tuis pedibus! calca hunc aſpidem, quia tibi dictum eſt: ſuper aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, De meo ſcriptum accipio: Ipſa conteret caput tuum.

In ſignum ergo perpetuæ ſervitutis meæ & amoris mei, liceat mihi nunc vobiſcum ô IESU, ô MARIA, perpetuum inire pactum.

Quoties de tua MATRE loquendo, ſcribendo dixero, Domine gratias ago: toties pro omni bus donis naturæ, gratiæ, gloriæ. Virgini Beatiſſimæ conceſſis laudo & benedico te, quam immaculaté concipi atq; naſci, licet generis noſtri filiam, omnipotenti imperio tuo iuſſiſti ac voluiſti.

Gratias tibi SS. Trinitas pro decreto redemptionis humanæ à te facto, idq; per Incarnationem Verbi æterni. Pro eo, quod DEUS Verbum ſuſcepturus hominem non horruerit Virginis uterum, ſed cum novem menſibus diebus ducentis ſeptuaginta ſex eundem inhabitare dignatus ſit, ſimilis per omnia nobis factus eſt.

Gratias liberalitati tuæ mi DEUS! pro omni donorum theſauro, quem in Sanctiſſimam puriſſimam ac pretioſſimam Matrem tuam effudiſti, præcipuè pro amore illo, quo eandem amas, pro omni dignitate in cælo & in terra, & quid quid miraculorum, imaginum, librorum eſt, quidquid illius honori fiet vel factum eſt unquam, ac pro beneficijs orbi univerſo per MARIAM conceſſis ac deſtinatis.

Quoties de te Virgo Beatiſſima dixero, aut imaginem tuam aſpexero, aut alios loquentes de te audie-

te audiero: toties credo ô veritatis Mater MARIA, quidquid de virtutibus, gloria, beneficijs tuis revelatum unquam, aut credibiliter assertum fuit. Speciatim verò credo te DEO magis placere, atq; apud eundem preces tuas plùs posse, quàm omnium electorum simul tam Angelorum quam hominum. Credo te solis tuis precibus in cælo pro animabus purgatorij fusis à purgatorio eas liberare, & pænis illarum mitigare. Credo dolorem tuum in passione filij omnium Martyrum tormentis intensiorem fuisse. Credo te cum glorioso corpore in cælos assumptam Filio tuo proximam exorare, quidquid oras.

Quoties te salutavero & dixero: Aue gratia plena. Rogo clementissima, pùrissima, ut intelligas ac si dicerem.

Ave ancilla Trinitatis humillima.

Ave Maria præelecta Dei patris Filia sublimissima.

Ave Maria Sponsa Spiritûs S amabilissima.

Ave Maria Mater Domini nostri Iesu Christi dignissima.

Ave Maria sponsa Sanctissimi Ioseph castissima

Ave Maria Soror Angelorum pulcherrima.

Ave Maria promissa Prophetarum desideratissima.

Ave Maria Regina Patriarcharum gloriosissima

Ave Maria Magistra Evangelistarum veracissima.

Ave Maria Doctrix Apostolorum sapientissima.

Ave Maria confortatrix Martyrum validissima.

Ave Maria fons & plenitudo Confessorum suavissima.

Ave Maria honor & festivitas Virginum iucundissima.

Ave

Ave Maria consolatrix vivorum & mortuorum promptissima.

Ave candidissimum lilium, fulgidæ semperq; tranquillæ Trinitatis, rosaq; præfulgida cælicæ amænitatis, de qua nasci, & cuius lacte pasci, Rex cælorum voluit.

. Cupio te revereri omni eâ reverentiâ, cuius es capax, quâ te in terris honoravit Filius tuus obedienter tibi subditus, quam idem tibi exhibet etiamnum in cælo, quam exhibent omnes pijs tuis imaginibus præcipuæ miraculosis, in toto orbe aut nomini, & exhibebunt in sæcula.

Laudo te omni illâ laude, quam tibi exhibuit in terra & in cælo Filius tuus Deus: omni laude quâ te unquam laudarunt devoti tui, seu verbo, seu scripto, & quâ laudabunt te in omnem æternitatem, tum illi, tum omnes Angelorum chori, & quâ te laudarent singulæ maris guttæ, terræ pulvisculi, herbulæ, arbores, si linguam & loquendi facultatem haberent.

Saluto te ex affectu Gabrielis Archangeli, omnium cælestium spirituum & electorum Dei, omnium qui te iam salutarunt, salutant, & salutabunt, imò vellem salutare corde & ore filij tui, modo tibi gratissimo mihiq; possibili te saluto, ac in persona omnium cælestium, terestrium, & infernorum ante te Dei Matrem procido. Affectus, & amores, ac honores omnes tuos approbo, de illis gaudeo.

Quoties dixero amo te toties ita te diligo ô dilectissima Deo & hominibus MARIA, ut paratus mihi videar gehennam pati prius! quam culpâ mea minimum gloriæ tuæ detrimentum pati Desidero amare te si fieri posset, amore quo te amat SS. Trinitas, humanitas tui IESU, quo omnes

omnes Angeli hominesq; te amant vel amabunt, desiderando, ut orbis terrarum universus te noverit, amet, colat perfectè, etiamsi ad hæc tibi procuranda, sine spe ullius præmij deberem pati ingentia, & mori millies.

Qnoties dixero: offero tibi; toties ô Domina mea, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, & in sinum misericordiæ tuæ, hodie & quotidie, & in hora exitûs mei, animam meam. & corpus meùm tibi commendo, omnem spem meam & consolationem meam, omnes angustias & miserias meas, vitam meam, & finem vitæ meæ, tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem. & per tua merita omnia mea dirigantur & disponantur opera, secundùm tuam tuiq; filij voluntatem.

Omnes has, ac indifferentes actiones meas, & totius mundi, ad tuam gloriam mi Deus offero, ut omnia & singula vitæ meæ ac mortis momenta, fiant mihi, tibiq; æterno solatio IESU & MARIÆ æterno honori, & amori, in felici beatorum Angelorum æternitate.

De cultu Magnæ DEI Matris.

Inter omnia DEI creata, nihil est DEI Matre excelsius. *Hæc est enim honos totius creaturæ & præcipuè generis nostri, quæ nec primum similem visa est, nec habere sequentem* ait S. Bernar *Hæc est, qua minus est, quidquid sub Deo magnum est.* S. Anselm. Si ergo Deum amas, & semper plùs amare vis, ama etiam id quod maximè amat DEUS Ergo post DEUM æstima, ama cole, super omnia Virginem, Sicut enim DEUS summè collendus est, quia sūmè bonus & dignus est ita, unumquodq́ aliorum, prout magis minusuè ad primam bonita-

nitatem dignitatemq; accedit, æstimandum. & observandum est.

Hæc enim dignissima Mater DEI, est advocata, Patrona & Mater nostra, *tam pia, tam potens, ut omnem ad eam conversum & ab illa respectum impossibile sit perire* S. Anselm: *Imo nullus est qui salvus fiat, nisi per hanc Sanctissimam: nemo est qui liberetur à malis, nisi per hanc purissimam; nemo cui celeste donum conferatur, nisi per hanc charissimam* S. Germanum.

Si à dæmone infestaris, si criminum immanitate turbatus, iudicij horrore pertertitus, tristitiæ & desperationis barathro incipis absorberi, cogita MARIAM, MARIAM invoca. Si Filij DEI in hac vita gratiam & consolationem ambis, eiusdemq; aspectu in vita altera beari quæris, Matrem, honora. Si demum corporalibus premeris necessitatibus, si quibuscunq, in hoc oceano iactaris fluctibus, respice stellam maris, voca MARIAM. Suadet S. Bernar.

Deinde SS. Doctores censent, puculiarem devotionem erga Beatissimam Virginem MARIAM, probabile admodúm prædæstinationis seu electionis esse signum. Ita expresse S. Bonav; in speculo Virgi: *Qui dignè coluerit illam, justificabitur, & qui neglexerit illam, morietur in peccatis suis.* Reddit rationem S. Bernardus; *Quia quando pro homine peccatore exhibet Filius Patri latus & vulnera, Mater Filio pectus & ubera, non potest fieri repulsa, ubi tot concurrunt charitatis indicia.* Nec tamen illibati aut felices statim dici debent, qui leve aliquod obsequium Virgini Beatissimæ impendunt, & mores eius, vestigia & virtutes imitari negligunt. tales enim non incongruè, qui quotidie peccata peccatis accumulant, & Virginem

nem aliquibus colunt precibus, assimilari possunt Philistæis, qui genu unum coram Arca Domini flectebant, alterum coram idolo Dagon.

Affectuosæ salutationes Virginis Beatissimæ.

SAluto te humillimè Domina mea clementissima, purissima. Quæ es ab æterno Patre in filiam electa ante sæcula; à DEI Filio electa in Matrem, à Spiritu Sancto electa in sponsam. Promissa & expectata à constitutione mundi. Impetrata precibus sterilium parentum, concepta citra omnimodam labem, ab omni actuali peccato præservata: Omnibus virtutibus maternitatem divinam decentibus exornata. Nata ad orbis decus & salutem: insignita Sacro nomine MARIÆ, decimo quinto die à natali.

Laudo & glorifico te Sanctissima Virgo, quæ es, trimula in templo oblata, Virginitatem prima voto firmans. Vitam in templo cælestem agens usq; ad 14. ætatis annum. Purissimo Patriarchæ Josepho cælitus in sponsam data A Legato supremæ TRINITATIS submisse salutata & compellata. Responso pudoris atq; obedientiæ pleno tuum assensum exhibens. DEI Filio gravida facta. Elisabetham invisens, & Baptistam necdum natum implens divino spiritu, Pro sponsi angore ad virginei uteri tumorem stupentis piè solicita A JOSEPHO divini arcani conscio facto longè magis dilecta magisq; culta.

Ave MARIA expectans & desiderio desiderans horam salutari partûs. Bethlehemum veniens & ab omnibus diversorijs exclusa Sanctam spelun-

speluncam DEI ortu nobilitandam reverenter subiens. Nixa Virgineis genibus ad orandum, altaq; imminentis Mysterij contemplatione suspensa Virgo quem genuisti, adorans & amplectens. Sitibundum parvulum Hominem DEUM lactans. Hebræorum Pastorum pietati offenso recens nato Messiâ, satisfaciens Circumcisi Puelli gemitibus ingemiscens. Nomen IESU imponens, idq; cum summa veneratione pronuntians. In barbaris Regibus Natum adorantibus gentilis ecclesiæ primitias comiter excipiens.

Procido ante te, Virgo Deipara purganda legali ritu templum ingrediens, & Primogenitum tuum offerens. Dans IESULUM Simeoni amplectendum ac funestas vaticinationes audiens Fugiens in Ægyptum, dum innocentes obtruncantur Rediens post septennale exilium in Palestinam Commorans in Nazareth & tanti Pueri divino contubernio fruens. Subtractum sponte Filium duodenem solicitè vestigans. Post tres dolore plenos dies, repertum in templo Filium una abducens. Charissimo Sponso JOSEPHO morienti, oculos claudens. Primum miraculum in nuptijs Canæ à Filio impetrans. Filium Apostolicis laboribus occupatum assiduè affectans, eiusq; divinas conciones observans.

Amo te, clementissima ac purissima Virgo Filium dilectissimum ad cœnam ultimam & mortem properantem supremùm salutans. Compassa Filio comprehenso, à discipulis deserto, per varia tribunalia raptato, flagellato, spinis coronato, iniquissimè condemnato Occurrens Filio crucem bajulanti & ad Caluariæ montem succedenti. Audiens crudeles ictus malleorum,

Spectans

Spectans Filium latrones inter medium penden tem, Ioannem tibi à Filio commendatum acceptans, & in Joanne nos omnes. Filium DEI ac tuum in medijs doloribus exſpirantem intuens. Cernens Filio iam mortuo lanceâ latus aperiri. Depoſitum è Cruce ſancto gremio dolenter excipiens. Tumulo, divinum Corpus inferens, tum in mæſtam cubiculi ſolitudinem te abdens.

Sis in æternum benedicta MARIA Redivivi Nati conſpectu & amplexu prima exhilarata. Filium cælos penetrantem contemplata. Spiritum ſanctum tibi atq; Apoſtolis ſuperfuſum excipiens, Inter Apoſtolorum Miſſas Filij cruentam mortem incruento ſacrificio recolens Filium ſæpè in Euchariſtico Pane præſertim Ioannis manibus ad Materna viſcera revocans Solicita de fidei propagatione & populorum converſione ad fidem, curam gerens ſub vitæ mortalis finem ad Filij perpetuum in cælo conſpectum, ardenter aſpirans ſuaviſſimè in mortis ſomnum connivens ex Sanctiamoris vehementiore impetu. Exequijs celeberrimis Apoſtolorum Virgineo feretro ſuccolantium humeris elata E tumulo excitata, corpore & animo glorioſa in cælum cum triumpho illata. Coronam ſupremæ poteſtatis accipiens ab æterno Patre.

Brevior ſalutatio Beatiſſimæ.

Ave MARIA gratia plena Dominus tecum. Ave Filia Dei Patris, Ave Mater DEI Filij, Aue Sponſa Spiritûs Sancti Ave templum totius SS. Trinitatis In Patris potentia, Filij ſapientiâ, Sdiritûs S. gratia, SS. Trinitatis efficacia; ex affectu Gabrielis Archangeli omnium ac ſingulorum cæleſtium Spirituum & electorum

rum DEI, corde & ore Filij tui; modo tibi gratissimo, mihiq; possibili te saluto.

Beatam te dicant omnes generationes, & magnificent in æternum, quia te Ancillam humilem respexit DEUS, ac fecit tibi magna qui potens est, ut esses Mater DEI, Regina cæli Domina mundi.

Concludo oratione S. Bernardi. serm. 2. de aduentu Domini.

PEr te accessum habeamus ad Filium ô benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua, culpam nostræ corruptionis & humilitas DEO grata, nostræ veniam impetret vanitati Copiosa charitas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fæcunditas gloriosa fæcunditatem nobis conferat meritorum Domina nostra, mediatrix nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo nos Filio commenda tuo Filio nos repræsenta. Fac ô benedicta per gratiam, quam invenisti; perprærogativam, quam meruisti; per misericordiam quam peperisti: ut qui te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoq; intercedente, participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis suæ. IESUS CHRISTUS Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia DEUS benedictus in sæcula Amen.

Actus gratitudinis ad finem septimanæ eliciendi.

QVid retribuam tibi Domine, pro omnibus quæ hisce diebus, & omnibus momentis vitæ

meæ

meæ tribuisti mihi? quid merui, quia inter tot milliones hominum quos pro uno solo peccato, alios pro paucis admodùm, iusto iudicio tuo damnasti, æternis pænis addixisti, á Tu visione beatifica elongasti, mihi post tot innumera peccata, abyssali decreto, ad resipiscendum pænitendum, spatium ad usq; hodie, ad id momentum misericordissimè contulisti?

Quid pro bonis publicis & privatis, pro conservatione, cooperatione, & gubernatione omnium creaturarum retribuam? Quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus, te donante à me conceptis referam, quippe qui nihil boni cogitare possum, nisi te largiente! Quid pro auxilijs & inspirationibus tuis? O Domine pro his omnibus sis benedictus in æternum.

Quid autem pro his omnibus reddidi tibi: Eheu! reddidi mala pro bonis, quia toties ausus sum gravissimis peccatis meis te offendere, te contristare O utinam ea nunquam commisissem, non corde, non ore, non opere.

O amabilissime DEUS! amorè tui solius, odi, execror, & abominor omnia ab annis adolescentiæ meæ, usq; in hanc horam commissa facinora mea, ac totius mundi, specie diversissima, qualitate infanda & pudenda, quantitate immensa, frequentatione assidua numero inexplicabilia malitiæ autem gravitate per omnem æternitatem & mille inferno inexpiabilia.

O si præ infiniti doloris & contritionis magnitudine, propter hos enormissimos excessus meos perpetratos contra te, cor meum intra me colliquesceret ô si mi Deus eadem peccata mea & me, in pulverem & in nihilum redigeres, eo præcipuè motivo, ut infamis & infernalis ille chara-

character, macula, & offensa, oculis infinitæ bonitatis tuæ in æternum ampliùs non appareat, sed maneat obliterata ac funditus extincta.

Ac demum in supplectionem amoris & laudis, quam tibi ut debui non impendi, offero tibi mi Domine, innovo omnia obsequia iustorum, omnes devotiones, ieiunia, vigilias: omnem pænitentiam, mortificationem & austeritatem Religiosorum: omnia vota, omnes cultus adorationes, & omnia SS. Missæ Sacrificia ac demum si quæ facta sunt Martyria. Offero tibi incendia amoris omnium Angelorum omnes laudes Sanctorum totius triumphantis Ecclesiæ. Hæc omnia quasi mea essent, dono tibi, offero.

Suppleo omnes defectus meos sanguine Domini mei, meritis Beatissimæ & Sanctorum omnium.

III.

Docet Viatorem semper & ubiq; DEI sui meminisse.

In omnibus vijs tuis cogita Dominum & ipse diriget gressus tuos. Prou. 3.

VIator aspirans ad Patriam, ne erret in terra deserta invia & inaquosa, semper ambulet coram Deo, & cogitet DEUM sibi intime præsentem: quia *in Deo vivimus, movemur, & sumus.*

Unde nos admonet S. Bonav Attende ut quid quid agas, & ubicunq; steteris, & quibuscunq; negotijs impliceris die ac nocte, omni momento & hora DEUM semper habeas in memoria, credens

credens & cogitans te esse vere coram eo & ipsum cogita te ubique aspicere Hæc autem cogita cum magna reverentia ac timore pariter & amore.

Quidquid semper operor (inquit S. Aug: c 14. soliloq) *tu pariter semper præsens ades, ut potè perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum & operationum mearum.* Idem ser. 46. de verbis Dom: Ipse timendus est in publico, ipse in secreto? procedis? videris Lucerna ardet? videt te. In cubile intras? videt te, In corde versaris? videt te si peccaveris, quære ubi te non videat, & fac quod vis S. Franciscus Xaverius) Mansi disc. 8.-n. 1.) dicere solebat: *ubicunq; fuero, meminero, me in orbis terræ theatro cælestis Regis & superum oculis versari.*

Præliantes nos, & fidei congressione pugnantes spectat DEUS, spectant Angeli, spectat & Christus. Quanta est dignitas, quanta felicitas, præsente DEO congredi & Christo Iudice coronari! S. Cyprianus ep. ad Tiburt. Ergo non tàm sæpe respirare oportet, (concludit S. Gregorius Nazian) quam DEI sui meminisse. DEUS enim contiguo & continenter nobis benefacit.

Certè continuo. DEUS benefacit quia per eum nobis terra stat, fluit aqua, diffunditur àér, ardet ignis, lucet sol, cælum vertitur, nobis bruta animalia vivunt, serviunt Angeli. Verbo quæcunq; sub visum, gustum, odoratum & tactum cadunt, omnia munera tua comperies, quibus DEUS te pascit cum esuris, potat cum sitis, operit cum nudus es, fovet cum frigges, reficit cum deficis, sanat tum ægrotas.

Unde est summa infelicitas hominis, quod raro præ oculis Authorem bonorum habeat,

quód

quòd in huiusmodi actione supinè neglige n sit, perinde ut bruta pisces, cùm in mari vivant, moveantur, & sint, se tamen ibi vivere & moveri & esse ignorant.

Expende tecum, quia tu in mente Dei ab æterno eras, & iam te amabat, ac tibi beneficia destinabat. Sit etiam Deus in mente tua. Tobias Filio suo (Tob. 4) dicebat: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe. Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum.* Sit hoc fundamentum vitæ tuæ Spiritualis, ut præsentis Dei memor in mente habeas Deum, qui te in mente habuit ab æterno. Nunquam fuit Deus, quin te amaverit. Et tu quando incipies amare DEUM? Vel iam serio incipe, ita ut qui ab æterno illum amare non potuisti iam nihil amittas temporis, quo eum nonames.

Et sicut nullum est momentum, quo homo non utitur vel fruitur bonitate ac misericordiâ DEI, sic nullum debet esse momentum, quo eum non præsentem habeat (inquit S. Bernardus) in memoria Sicut enim assiduè respiramus, ita deberemus amare assiduè ac orare Est qui putet (inito numero) se intra horæ spatium millies centies & ferè quinquagesies respirare. Toties corde saltem orandum esset, ac tot actus amoris ergá DEUM edendi essent, si id fieri posset.

Est & summè periculosum homini non meminisse DEI sibi præsentis, quia sicut pisciculus ex aqua extractus mox perit & moritur, ita homo ex DEI præsentia per oblivionem egressus, necesse est, ut subitè pereat. *Non est*, *ait Propheta*, *Deus in conspectu eius* (ideo) *inquinatæ sunt*

vim

ria illius in omni tempore, ideo homo sine præsentia DEI sæpiùs in gravissima ruit, & labitur peccata, in mentis cæcitatem, cordis obstinati-duritiem, ac demum cæco impetu ruit in præcipitium infernale. Nam sine præsentia DEI homo fit, aut per luxuriam velut bestia, aut per superbiam velut dæmon.

Idem nobis inculcat Clemens Alexandrinus, *lib:* 3. de Pædag; c 5. *Hâc solum ratione fit, inquit ille, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.*

Susanna ad adulterium invitata dicebat: Dan. c. 13. *Meliùs est mihi incidere absq; opere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Hoc remedio S. Paphnucius Thaidem meretricem sanavit.

S. Ephrem Syrus in cella sua herbas quasdam legens & mundans, vidit lasciuam quandam fæminam per fenestram cellam suam introspicientem; quæ, ut illum ad illicita permoueret, interrogavit eum, an quidpiam ei deesset; qui respondit illi calcem sibi deesse, & lapides, quibus fenestram illam obturare, & claudare posset. Petulans verò mulier non cessabat verborum blanditie illum sollicitare ad illicita, protestando, quod indè recessura non esset, nisi eius obtinuisset consensum. Cui Ephrem respondit: Agedum igitur, contentus sum & condescendo tecum ad peccandum, cum hac tamen conditione, ut in potestate mea sit eligere locū, ubi pessimæ tuæ cōcupiscentiæ satisfacere possim; locus autem hic alius non erit, prætérquam urbis Edessæ publicum forum. Cumq; illa hunc locum repudiaret eó, quòd tantam nollet subire confusionem, in conspectu omnium

hominum peccando: S. Ephrem confestim subiunxit: Tu hominum times præsentiam, nec tamen in conspectu Angelorum, imò ipsiusmet DEI verecundaris? an ignoras DEUM ubiq; locorum præsentem, cunctorumq; operum tuorum spectatorem esse? Quæ verba, impellente cor eius Spiritu sancto, eam ad compunctionem veramq; perduxerunt pœnitentiam, adeó, ut deinceps castam omnino sanctamq; egerit vitam Mansi n. 2.

Iugis præsentiæ DEI memoria est compendium. & summa perfectionis in hac vita; Docuit ipse Deus Abrahamum (Gen 17,) hanc veritatem dicens illi: *Ambula coram me, & esto perfectus.* Maximè placuerunt DEO illi servi DEI, ob memoriam præsentiæ ipsius, qui sunt reservati ad certamen cum Antichristo, hoc de illis refert scriptura. *Ambulavit Henoch* (Gen. 3.) *coram Deo.* in ore Eliæ, hoc frequentissimum fuit, intuendo mentis oculis semper præsentem DEUM: *vivit Dominus, in cuius conspectu sto.*

De Pretiosissima Filij DEI Matre innuitur in Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat* c. 5. Quæ verba multi SS. Patres explicant de *B.* Virgine, dicuntq; eam etiam in somno DEI memorem fuisse. Unde pluribus Sanctis revelatum est, quòd B. Virgo integras fere noctes orando & meditando traduxerit, ut adnotat Cornelius in hunc locum. Et S Bernardinus ait tom. 2. ser. 51. Somnus, qui abyssat, & sepelit in nobis rationis & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi, non credo, quòd talia in Virgine operatus fuerit. sed anima eius liberè ac meritorio actu tunc tendebat in DEUM

Maximam utilitatem viatori adfert divina

præ-

præsentia. præcipuè verò quia nos arcet à gravioribus peccatis, puritatem cordis adfert, & in timore DEI conservat.

Sanctus Antonius Abbas cum in fine certaminis cum dæmone habiti dixisset: ubi eras ò bone IESU? Dominum sibi respondentem audivit. Hic eram, sed expectabam videre certamẽ tuum Mans. die 3. n. 8. Idem sanctus habendo quovis tempore præ oculis semper intimè sibi præsentem DEUM, insigne pudoris exemplum reliquit, qui Lycum flumen vado transmissurus, cum nudandi essent pedes iussit Theodorum vitæ comitem longiùs à se abesse. sed ne hoc quidem pudori eius facto satis fuit. siquidem ipse aliquid sui nudum videre erubescens, veste se exuere non potuit: Id quàm superis gratum esset, DEUS miraculô testatus est. qui famulum suum unô momentô in aliam ripæ patrem intactâ aquâ transuexit. S. Athan in vita.

Simile patet exemplum pudicitiæ in mellifluo nostro Doctore S. Bernardo: Contigit, ut Bernardus adhuc adolescens apud Matronam quandam hospitaretur. Considerans mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueô oculorum suorum. & in concupiscentiam eius exarsit. Cumq; adolescens quiesceret, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum, quam Bernardus sentiens, nec consilij inops exnunc clamare cæpit. *Latrones, Latrones.* Et ita usq; tertió improba mulier fuit repulsa Quônam hic invictus Heros scutô munitus de carne. & diabolo tàm generosè triumphauit? certè scutô divinæ præsentiæ. Et verò quis coram Iudice præsente peccare audeat?

Huc spectat Innocentius tertius (l. 3. de cont. mundi

mundi c. 14.) cum ait: Quis non timeat Iudicem potentissimum, sapientissimum, iustissimum? potentissimum; quem nemo potest effugere; sapientissimum, quem nemo potest latere. iustissimum, quem nemo potest corrumpere? iuxta hæc, quis est, qui videns talem potentiam, tàm magnum Dominum offendat?

Deinde præsentia divina in nobis flammas divini amoris succedit. *Vis DEUM amare?* quærit S. Thom. op. 61. c. 2. & respondet: *Prius oportet cognoscere.* Summum delectabile oportet præapprehendere cogitando, ut possimus diligere appetendo. Vide ergo intellectu semper DEUM, ut concipias affectu. Ad maiorem in dies, & momenta flammam amoris divini concipiendam ex continuo obtutu quasi præsentis DEI. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis frequentissimum fuit, cursare per domum obvias Sorores apprehensâ dexterâ ardentibus verbis ad amorem DEI excitare, hortum ingredi, spatia citato gressu conficere identidem succlamare: O amorem! ad æris campani turrim accurrere, illudq; totis obnixè viribus pulsare, cum illis vocibus: Excitemus mortales omnes, ut amorem hunc ament. O amor! si mihi ferrea vox foret, quàm inclamarem? Amate hunc amorem mortales amate!

Insuper præsentia DEI nos ipsis Seraphinis assimilat. Pulcherrima Seraphinorum occupatio est coram DEO stare, clamando, & amare, ut Isaias vidit c. 6. Quisquis DEUM amat conatur illum ferre ubiq; in oculis imitando Seraphinos. Unde S. Gregorius Seraphin ex singulari propinquitate Conditoris sui incomparabili ardent amore. Tantò magis ardent, quantò viciniores hunc vident.

Cùm

Cùm ergo præſentem DEUM ſemper habemus Angelorum ritu vivimus, quamuis enim illi ad noſtram tutelam deputati, curandis noſtris negotijs intenſiſſimi ſint, non omittunt tamen DEUM aſpicere, de illo cogitare, illum continuò ſtabiliq; amore complecti Ità Raphaël Angelus Tobiæ comes, & inter homines verſatus, omnia peragebat more aliorum, differebat, loquebatur, cibum ſumebat: interim tamen ver ſabatur cum DEO, eundem ſibi ſemper præſentem habebat, alio cibo, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt utebatur, & Angelus erat.

Quidquid ergo facis, ſive legis, ſive oras comedis, bibis, loqueris, ambulas, in omni loco, & actione accede ad DEUM viator, ad DEUM intimè tibi ſemper præſentem. Accedere autem potes, triplici viâ, vel ut reus de peccatis ingemiſcens, per viam purgatiuam, vel carens virtutibus per viam illuminatiuam, aut velut ſponſa ardens amore per viam unitiuã.

Viã purgativã vocant viri ſpirituales, quando intellectus animæ peccati fæditatem proponit, ut illud deteſtetur, atq; exterminet quibus ipſa permota affectuum ſuorum pedibus (ut ſic loquar) per voluntatem abit in timorem DEI, & à peccatis cum magna deteſtatione recedit

Via illuminativa eſt, quando intellectus voluntati proponit amandam pulchritudinem virtutis, omniq; ſtudio quærendam maximè Chriſti & ſanctorum exemplo.

Via unitiva dicitur, quâ beneficiorum DEI, & perfectionum conſideratione voluntas in DEUM fertur per amorem, eiusq; voluntati ſe conformat, atq; ad perfectam cum eo unionem aſpirat

Hinc

Hinc apparet triplex affectuum genus, quod triplici viæ respondet, in partes plures dividi posse.

Affectus viæ purgativæ sunt pudor, & confusio de peccatis, dolor de ijsdem, timor divinæ iustitiæ, atq; hinc mortificationis desiderium, ut homo illi satisfaciat.

Illuminativæ: virtutum omnium amor, spes, ac desiderium eas acquirendi, rerum terrenarum & voluntatis propriæ abnegatio, imitatio CHRISTI, & Sanctorum.

Unitivæ: amor DEI, gratiarum actio, Zelus animarum, lætitia & admiratio de perfectionibus divinis, suspirium ad cælestem gloriam. Hâc ergo triplici viâ, seu affectibus iaculatorijs, sæpiùs per diem potest viator ad DEUM, & patriam Beatorum accedere.

Orationes iaculatoriæ, & Motus Anagogici quid sint? exemplis Sanctorum Patrum approbantur.

Dicuntur orationes iaculatoriæ, quia instar iaculorum seu sagittarum velocissimè transeuntium, in cor Divinum, tanquam in scopum iaciuntur, ut ab eo dona cælestia obtineamus! De his S. Augustinus ad Probam ep. 121. dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, eas tamen breuissimas, & raptim quodam modo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras euanescat atq; hebetetur intentio. Et Cassianus in collationibus: *Frequenter, sed breviter orandum est, ne immorantibus nobis inserere aliquid cordi nostro insidiator possit inimicus,*

Hunc

Hunc brevem orandi modum per orationes iaculatorias ſeu motus Anagogicos exemplo ſuo nos Chriſtus docuit. In horto enim iterabat hæc verba: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Sancti in cælo continuò clamant: *Sanctus Sanctus.* Baſilius ſuadet peccatori ut ad imitationem Chananeæ identidem inclamet illud: *Miſerere mei fili David.* Thais olim meretrix edocta à Paphnutio Abbate ſic orabat, *Qui plaſmâſti me, miſerere mei.* Beata Clara de monte Falco millies quotidie DEUM adorabat genua flectens, & totidem fundens Orationes iaculatorias. S. Franciſcus tota nocte orabat hæc ſola verba repetens: *DEUS meus, & omnia.* Narrat Theodoretus l. 9. Simeonem ſtylitam, innumeras quotidie adorationes peregiſſe adeò, ut unus numeraverit aliquando mille ducentas quadraginta quatuor, alias omittens, quia lapſus deſtitit numerare.

Dicuntur motus Anagogici, id eſt ſurſum ducentes, nimirum quia illis à rebus terrenis abducimur, & ad ſuperna levamur, ac tandem ad beatam cum DEO vnionem evehimur.

Exercitium Aſpirationum in via Purgativa.

O Miſeram animam meam peccatricem! ah quid feci, quid cogitaui, quid dereliqui, quantum bonum offendi, quid amiſi?

Pater mi! quid feci? peccavi in cælum, & coram te, peccavi ſuper numerum arenæ, quæ eſt in littore maris.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte?

Tibi

Tibi soli peccavi Domine! & malũ corã te feci,
Qui plasmâsti me miserere mei.
O me infelicissimũ! qui omnium peccatorum sum reus
Quo ibo à spiritu tuo, & quo à fecie tua mi DEUS fugiam?
O mi DEUS! si me ejicis, quis me recipiet?
Delicta iuventutis meæ, & ignorantias ne meminreris Domine.
O IESU sis mihi IESUS.
Hîc ure, hîc seca, modo in æternum parcas.
DEUS propitius esto mihi peccatori.
Non audeo mi IESU! in cælum oculos levare propter peccata mea,
DEUS in adiutorium meum intende.
Sancte DEUS, Sancte Fortis, Sancte & Immortalis miserere mei.
O Domina mea monstra te esse Matrem!
Quæ utilitas mi IESU in saugvine tuo, & meo; si descendero in infernum?
Non mortui laudabunt te Domine! sed nos qui vivimns, benedicimus tibi.
Quid mali fecisti mi Domine, quia offendite
O mi Deus! malo in posterum in ipso inferno ardere, quam te offendere.
Peccavi Domino!
O IESU! ô summum bonum meum, cur unquam offendi te?
Væ tempori illi, quô te offendi mi Deus!
Pactum facio mi Domine! tecum! ego tuus, & tu meus eris in æternum.
Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.
O Domine respice in me, quia ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ.

O Domi-

O Domine etiamsi me occideris in te sperabo.

Ah! doleo, doleo, quod aliquando ità me habuerim atq; si nullus esset DEUS! aut, atq; si dissimularem credere vel aduertere, quòd sit DEUS!

In Via Illuminativa.

O Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

O Domine miserere mei, Non enim est volentis, neq; currentis, sed tui miserentis.

Serò te cognovi pulchritudo tam antiqua, seró te cógnovi bonitas infinita.

Ibo, & ibo, quæram, quem diligit anima mea

Domine IESU, noverim me, noverim te, nec aliud cupiam, nisi Te.

Quôcunq, locô fuero, mecum IESUM desidero

Viuat IESUS! & exaltetur DEUS salutis meæ.

Væ tempori illi, quó te mi DEUS! non amavi.

Loquere Domine quia audit servus tuus.

Domine, ante te omne desiderium meum.

Adjuva me, & saluus ero Domine.

O Domine ego servus tuus, & mancipium ancillæ tuæ MARIÆ.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Nolo vivere mi IESU, sine vulnere, quia te pro me video totum vulneratum,

Gaudens gaudebo in Domino, exultabo in DEO IESU meo.

Ex te, in te, & pro te mi DEUS! sint omnia mea

Benedic mihi ô SS. Trinitas, ô Dulcissima Virgo Mater, ô Angele mi Custos, ô Patroni mei

Eia

Eia quæso multiplica in anima mea virtutes Domine DEUS virtutum.

In Via Unitiva.

MIsericordias Domini in æternum cantabo. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

O ignis qui semper ardes accende me! Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum!

Quis mihi det, ut diligam te mi DEUS, amore Seraphico, & Theandrico, & Divino?

O patria nostra! patria secura! à longè te video, ab hoc mari, & exilio te saluto.

Cupio dissolui & esse tecum mi IESU!

Tædet animam vitæ meæ, quia lumen cœli DEUM meum non video.

Unam petij à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Quid mihi, & tibi ô IESU Fili MARIÆ Virginis?

Amo IESUM amore MARIÆ, amo MARIAM amore IESU.

O patria quando revertar ad te?

Vivat IESUS in corde meo.

O mi DEUS! quando transibo in te? quando abibo in cineres dilectionis tui?

Vulnerâstis cor meum ô IESU! ô MARIA! vulnerâstis cor meum.

O felix hora quando liberabor de corpore mortis huius.

O amor meus! ô DEUS meus? vellem te amare mille cordibus si tot haberem, & amore ardentissimorum Seraphinorum.

Cupio mi DEUS transire in te, transformari in te, perire propter te!

Nihil

Nihil cupio mi DEUS extra te, quia inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Moriar mi IESU moriar! modo inter desideratissimos, & suavissimos amoris tui amplexus.

Age age bone IESU: tolle amorem meum totum à me, & converte ad te, accende, & rape, flagra, & dulcesce, iam amem te iam rapiar in te.

O liquescam! ô conflagrem amore *DEI* mei!

Utinam vivere possim ego, sed non ego, sed vivat in me DEUS, amor meus.

IV.

Viatori per creaturas ad Creatorem ascendendum.

Cor hominis disponit viam suam Prou. *16.*

VAriæ Viatori aspiranti ad Patriam solent occurrere creaturæ DEI, & opera eius, si ergo Viator noluerit errare sciat, & curet per eas DEUM investigare, & per omnes semper amoris gressus ad Creatorem tuū aspirare, Viatori creatura non sit Remora.

Philo disertissimus Iudæorum lib. de præmijs. scalas ad DEUM esse omnia creata asseverat, Via etenim patet nobis ab his quæ videmus, & contrectamus, ad opificem DEUM, quem non videmꝰ: Consonat Basiliꝰ Seleu Episcopꝰ orat 1. dicens *Cum Deus res creatas in morem scalæ Viatoribus ad aptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit*

Per creaturas DEUS tuum ô viator venatur amorem, cui capiendo, toto orbe, creaturarum ponit laqueos, Utinam & tu capiaris! utinam sis amoris Divini præda, ne fias alterius amoris præ

do

do. Omnis Creatura inclamat tibi hæc tua. Accipe redde, cave. Accipe creaturas, ut beneficium, redde Creatori earum officium, cave abutens illis supplicium.

Cur amas hæc terrena, nisi quia pulchra & bona sunt? possunt esse tam pulchra & bona atq; ipse à quo facta sunt? quis sic delectat quàm ille, qui fecit omnia quæ delectant? Interroga creaturam, si à se ipsa est, remane in illa, si autem ab illo est, non ob aliud est perniciosa amatori nisi quia præponitur Creatori.

Ad hanc piam ergo DEUM affectionem & continuum accessum omnes Viatorem Christianum creaturæ hortantur. sive enim rationales illæ, sive non; laudem tamen *DEI* sui, vel apertè vel occultè enuntiant.

Nulli ergo dubium, quin facillimè possit, quicunq; huic studio animum applicaverit, ex aspectu cuiuslibet creaturæ in Deum assurgere, & pijs affectibus ad DEUM aspirare. Habemus huius rei exemplum in Sanctis.

Scribitur de S. Fulgentio Ep. Ruspensi. Videns quondam hic Sanctus in generali conventione nobilium Romanorum toto Dominorum præsentium splendorem, Theodorico Gothorum Rege concionante, exclamavit: O DEUS! quàm pulchra oportet, ut sit cælestis illa civitas Ierusalem, si hic in terris sic splendet Roma terrestris, *Et si* in hoc mundo tantus splendor concessus est amatoribus vanitatis, quanta gloria reservata esse debet contemplatoribus Divinæ Majestatis.

Constantinus Magnus honorificè quondam scripsit S. Antonio Abbati, quod factum Religiosi, qui cum illo erant, valde admirabantur. Tunc inquit Sanctus ad illos: Quid admiramini

Regem

Regem scribere homini? potius admiremini DEUM æternam suam legem scribere mortalibus, imò in persona Filii illis locutum.

S. Franciscus videns ovem solam inter hædos derelictam: Ecce inquit ut misera ista ovicula mansueta est inter capellas, sic Salvator noster inter Pharisæos mansvetus erat Idem S. videns quodam tempore agnellum à porco comestum; Ah parve agnelle, (inquit plorans) quàm ad vivum Salvatoris mei amarissimam mortem exprimis.

Anima quædam devota intuens fluvium, cui cælum cum stellis, nocte serena repræsentatum erat, exclamavit: O mi DEUS eædem illæ stellæ sub pedibus meis erunt, quando recipies me in Sancta tabernacula tua.

Francisca considerans pulcherrimum fluvium in ripa in qua ipsa flexis genibus sedebat ad orandum. in extasim rapta aliquoties, hæc verba lenta voce repetijt: Tam dulciter & suaviter fluit gratia DEI. sicuti fluvius iste.

Cum novercali die, igni medullæ coquerentur, pia cogitatio mentem Divi Francisci Borgiæ pupugit: ecquænam illos flammæ urerent, qui ob flagitia apud inferos pænas æternas penderent?

Alius arbores videns florentes suspirabat: ut quid ego solus deflorui in horto Ecclesiæ? ut quid sum sicca arbor nullum fructum faciens?

Alius intuens cursum solis dicebat: Quando mi DEUS!! anima mea sequetur Agnum, solem iustitiæ quocunq; ierit?

Regia & recta intentione creaturis usa est Esther Regina, quando dixit: *Tu scis (DEO loquebatur) quod nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc*

transl-

translata sum, usq; in præsentem diem, nisi in te Domine, Esther. 4.

S. Antonius magnus in rerum creatarum contemplatione, tanquam in libro studens citra aliarum scientiarum notitiam summam sibi quâ pollebat, adscivit scientiam. Nesciebat literas, sed sedebat in monte, & studebat in libro creaturarum. S. Athanasius in vita S. Antonij Præclarè scripsit S. Basilius in Hexamero. Vniversa hæc mundi moles perinde est, ac liber literis exaratus, passim contestans, & deprædicans gloriam DEI illiusq; augustissimam majestatem arcanam alioquin, & invisibilem tibi intellectuali creaturæ copiosè annuntians.

Quocunq; ergo per universam sublunarem mundi machinam, quam admirabili ordine, in numero, pondere, & mensura creavit DEUS, & ingens quoddam volumen te docens hominem exposuit, ac quotidianis usibus concessit, oculos tuos converteris, in omnibus lauda Creatorem.

Continuò ad hanc laudem excitant te sol mundi oculus, quem DEUS facit oriri super bonos, & malos, luna noctis Domina, Planetæ suas terræ communicantes influentias, stellæ, orbes cælestes, ignis, àër, aqua, terra, volatilia, fluminum, & maris natatilia, quadrupedia, colorum, & odorum flores arborum fructus, herbæ, prata, campi, colles, mineralia, pretiosi lapides gemmæ, & omnia quæ in firmamento, àëre, terra, mari continentur.

Ex his omnibus bonæ cogitationes, & sanctæ aspirationes ex obiecto pro varietate huius mortalis vitæ, & negotiorum diversitate elici possunt. Damnatione sanè æterna digni sunt, qui abducunt creaturas à Creatore, & ex illis peccati materiam desumunt, Sed beati illi, & verè beati,

qui

qui convertunt creaturam ad gloriam sui Creatoris, & impendunt vanitatem ad honorem veritatis.

V.

Praxis Aspirationum seu Affectuum pro qualibet occasione, & actione.

Dum cælum conspicis.

1. DOmine non sum dignus videre altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatis meæ.

2. O patria nostra! patria secura, à longè te video, ad te suspirat peregrinatio mea! Tædet animam meam vitæ meæ, quia non video DEUM DEORUM in Syon

3. Utinam mi DEUS! tantùm te nunc amare possem, quantùm omnes Beati in cælo hactenus te amârunt.

Dum aliqua grata, & venusta vides.

1. SI tanta mi DEUS! facis nobis in carcere, quid ages in palatio? si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum

2. Quidquid mihi dare vult Dominus meus, præter se ipsum, dulce mihi non est; auferat totum, & se mihi det.

3. Quàm durus, & aridus es anime mi sine IESU! quam insipiens, & vanus, si cupis aliquid extra IESUM. esse sine IESU gravis est infernus, & esse cum IESU dulcis paradisus.

Dum animum relaxas.

1. O Dilecte IESU! unicum cordis mei gaudium

dium quia amoris mei delicium! da ut amando te semper sim hilaris, quia offendi te meritò sim tristis.

2. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO IESU meo.

3. Utinam efficere possim dulcissime DEUS, ut omnia gaudia, quæ sunt, & erunt in mundo non sint nisi de te. Tu enim es vera dulcedo cordium, excedens omne gaudium, & omne desiderium.

In aspectu Solis, Stellarum.

1. O Sol mundi ocule, qui me toties peccantem aspexisti, utinam me deinceps, nonnisi dolentem, & lugentem aspiceres.

2. O mi IESU candor lucis æternæ! quando in lumine tuo videbo lumen tuum? quando me totum liquefacies penetratum efficaci suavitate tua?

3. Ardeant tibi, & luceant DEUS meus side ra tua, & tot accende tædas amoris in corde meo, quot in cælo splendent stellæ.

In aspectu Ignis.

1. HIc ure Domine! hic seca, modò in æternum parcas.

2. O Domine amoris! deficiat, & convertatur in cineres cor meum, si non permitto, ut amoris tui flammis æstuet, & ardescat.

3. O si citiùs ut ferrum igni, ita & ego, tibi DEO meo vniri, ac in te transformari possem.

In aspectu Aquæ.

1. O Si derivare possem in oculos meos, flumina, maria, Oceanum, efflerem ista omnia hoc luctu: Eheu! peccavi Domino: dereliqui fontem aquæ vivæ.

Omni

2. O mi DEUS! quot sunt guttæ aquarum in fluviis, lacubus, fontibus,& mari, tot tibi laudes, tot ardentissimos amoris affectus in omnibus, & pro omnibus offero, & in te transfundo.

3. Immensa dulcedo mi DEUS! utinam me totum rapiens absorberes, & absconderes! Quod enim est mari absorbere unam guttam, hoc tibi est absorbere me.

Ante quodlibet opus.

1. O Mi DEUS! titulus, & inscriptio omnium actionum, & cogitationum mearum est nomen tuum, quod est JESUS: tua enim sunt omnia, & propter magnam gloriam tuam, omnia mea do, dico, & addico tibi.

2. Quidquid videro, quidquid audiero, quidquid sensero, totum tibi serviat mi JESU, omne opus à te incipiat, & per te cæptum finiatur.

3. Desidero, ut quævis actio mea non tam sit actio, quàm amor tui, & major continuus, mi Domine!

Actus ante disciplinæ Exercitium.

1. MEmor sum ô Domine! opprobrii, & confusionis, quam pro me passus es in crudelissima flagellatione tua, quando virgineum corpus tuum virgis spineis cruentabant, loris nodosis, & uncis ferreis dilaniabant, catenis ossa ipsa, & costas divellebant.

2. O anime mi! ad tam funestam Salvatoris tui tragædiam ne quidem ingemiscis? si feram aliquam sic excarnificari cerneres, an commiseratione non tangereris?

3. Æquum est mi JESU! ut qui flagellationis tuæ causa fui, illius quodammodo particeps

fiam. Unde offero tibi eam Domine in unione acerbissimæ Passionis tuæ: omnes ictus, & flagella tuo aspergo sanguine, ut hoc pænitentiæ exercitium gratius tibi sit, cedatq; in satisfactionem pro peccatis meis.

Actus ante susceptum iter.

1. OFfero tibi mi DEUS, tot actus fidei, spei, charitatis, quot in hoc itinere intercedent superficierum corporis mei permutationes.

2. Sicut ero in continua loci mutatione, ità vellem mi JESU! continuò benedicere, & laudare te pro omnibus laboribus & sudoribus, quos præcipuè per triennium tuæ sanctissimæ prædicationis sustinuisti.

3. Quia proclivis sum ego ad omne malum, & peccatum, ideò commendo me tibi dulcis JESU; commendo me tibi Virgo Beatissima, & vobis SS. Angeli, & speciales SS. Patroni mei, vestrô præsidiô munitus non timebo mala.

In ipso itinere,

1. O Mi DEUS! quoties in hoc itinere cœlum suspiciam, toties venerari volo omnes illos cœlestes spiritus, illasq; Intelligentias cœlorum motrices, commendans illis necessitates colonorum, per quorum agros transibo, ne grandines, tonitrua, tempestates illis noceant, ut maleficia dissipent, inducantq; aëris temperiem.

2. Transeundo oppida, pagos, gratias tibi ago Domine pro beneficiis omnibus spiritualibus, & temporalibus concessis hujus loci incolis. Innovo tibi omnes cultus, laudes, affectus, & vota omnia, hic facta, & facienda: simulq; detestor omnia peccata, hic commissa, & committenda.

3 In

3. In omnibus Ecclesiis tractûs mei adoro te mi JESU ibidem Sacramentaliter existentem: tibi offero, & repræsento omnia Sacrificia inibi facta, omnes devotiones, & affectus cujuscunque orationis,& adorationis, sive elicitos, sive eliciendos.

Dum insurgunt tentationes impuræ.

1. AMor meus crucifixus est, & ego voluptati operam dabo? Absit! non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum.

2. Discerpar in mille partes, rumpàrque potiùs, quàm ut amori Divino rem quampiam præponam. Malo Domine millies mori, quám fædári. Malo in ipsum exnunc infernum descendere, quàm te deliberatè vel minimô peccatô offendere.

2. Eja adesto optime JESU! ne sanguis tuus in me pereat. Adsis clienti tuo MARIA. Amore tui Domina mea, non cogitabo, non dicam, non faciam. Adeste Sancti omnes, vestris præsidiis munitus sperabo in Dominô: & licet consurgant adversum me castra, non timebit cor meum. JESU, MARIA, JOSEPH dono vobis cor meum.

Cum deambulas.

1. O! Quanti sunt infirmi, & claudi,quibus ambulare concessum non est. Gratias tibi Domine quia còrpus integrum dedistì mihi, & me hactenus incolumem conservâsti.

2. Domine non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot servi tui, quibus comparatus Vermis sum, & non Homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

3. O! si quôvis momentô vitæ meæ, quovis

gressu accurrere possem ad pedes tuos mi JESU, illòsque lamberem, illos amplecterer!

Cum vides aliquod peccatum proximi.

1. COmpatior mi DEUS peccato hujus hominis, non credo tamen illud esse tantum malum, quantum mihi videtur. In supplementum offensæ tuæ offero tibi prætiosum sanguinem Filii tui, & in illo hoc peccatum depono.

2. Ego Domine majora peccata perpetravi, proh dolor! & gravius te offenderem, nisi tua me gratia præservaret. Unde etiam toto corde tibi gratias ago pro auxilio mihi præstito.

3. Amore tui mi DEUS! doleo de omnibus peccatis, à quocunq; unquam contra te commissis, & committendis, quæ si possem impedire, & sanguine meo delere, vellem.

Cum vides aliquod bonum proximi.

1. SErviat tibi mi Domine, quidquid est in cœlo, & in terra, quia dignus es accipere laudem,& gloriam, & honorem ab omni creatura,

2. Sis benedictus Domine in firmamento cœli pro omnibus bonis aspirationibus, & auxiliis, quæ tam huic personæ, quàm omnibus tribuisti.

3. O si & ego possem te amare omnibus illis affectibus, omnibus cordibus, quibus amatus es, & amaberis, quàm libenter id præstarem!

Dum occurris divitibus.

1. O Quàm dives est mi dilecte! cui tu sufficis. O amor meus! quid extra te quæram? desint omnia, modò tu me, & ego te possideam.

2. Alii

2. Alii alia quærant, te ſolum ego mi JESU quæro, te ſolum deſidero: DEUS meus, & omnia.

3. O ſi omnium hominum, quotquot fuerunt, ſunt, & erunt, corda, & voluntates ſolus haberem, iis omnibus te ſolum quærerem, te ſummè diligerem unicum bonum meum.

Cum das Eleemoſynam.

1. SI ego poſſem Domine DEUS meus, omnium egenorum miſeriis ſubvenirem.

2. Offero tibi DEUS omnes divitias, omnes theſauros hujus mundi, omnia regna, omnes reditus, ità, ut ſi hæc omnia mea eſſent, illa amore tui pauperibus erogarem, & in tui cultum effunderem.

3. Gratias tibi Domine, quia me paſcis à juventute mea, nam inops, & pauper ſum ego.

In aſpectu Imaginis alicujus Sancti.

1. O! Sancti, Sanctæq; omnes fideles ſponſæ CHRISTI, ſaluto, & veneror vos. Gratias ago DEO meo, quod vos elegerit, & in ſublimi gloria collocaverit.

2. Scribite me Sancti DEI in libro afflictorum, quia affligi ſemper deſidero propter DEUM. Scribite me, cum SS. Virginibus, quia deſidero cum illis ſequi agnum quocunq; ierit, Scribite me in corde JESU, & in corde MARIÆ, ut nunquam obliviſcantur animæ meæ.

3 O felices animæ! quando vobiſcum guſtabo, & videbo, quàm ſuavis ſit Dominus? ô longa mora! o tædioſa dilatio!

Cum vides Imaginem Crucifixi.

1. O Pater æterne! respice dulcem natum toto corpore extensum, cerne manus innoxias pio manantes sanguine: vide inerme latus crudeli perfossum cuspide, & dimitte nostra crimina.

2. In tantum me diligis DEUS meus, ut te odisse videaris, cum posset guttâ redimere non dico cruoris, sed sudoris, redemit undâ.

3. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi quia per Crucem tuam redemisti mundum.

In aspectu Imaginis SS. Virginis.

1. AVe gratia plenaDominus tecum, vel: Salve Regina Mater misericordiæ.

2. Quis non diliget te Regina cordium, & Mater sancti amoris, quis non diliget Te? utinam omnes creaturæ tibi serviant.

3. Substerno tibi Virgo Beatissima me tuum licet indignissimum mancipium, tuisq; Virgineis pedibus cor meum subjicio, quia meliùs apud te erit; quàm apud me.

Dum recordaris alicujus peccati.

1. O! Quàm justè me jam pridem in infernum detrudere poteras, justissime judex, pro peccatis meis, & mihi clementer pepercisti.

2. O si quod factum est, possem infectum reddere! ô si tempus præteritum revocare! ô quám bonum erat mihi, si natus non fuissem, neq; enim vitam mihi dedisti, ut te offenderem DEUS meus.

3. Detestor peccata mea corde Salvatoris mei

ſicut cor JESU ea flevit, ità ea ploro & abominor. Nolo ampliùs in æternum peccare.

Dum conſpicis hortos, agros, prata.

1. O Mi DEUS! hæc omnia, quæ nunc video videlicet agros, hortos, & ſimul omnes agros per totum mundum, omnia prata, & quidquid in eis ab initio mundi excrevit, nunc creſcit, creſcetq; ad finem mundi, omnes ſegetes, herbas, flores, gramina, & totam entitatem, ſubſtantiam, tibi tanquam mea, & me totum cum eis, & in eis in holocauſtum ſuaviſſimum tibi offero; pro eis gratias ago; in eis te adoro, te laudo, & magnifico.

2. O ſi poſſem omnes arenas, atomos, folia, maris, ac pluviarum guttas, atq; nivium grana in cœlos, & choros Angelorum te amantium, & laudantium convertere, ô quàm libentiſſimè id facerem!

3. Vellem mi DEUS toties æſtuantiſſimis deſideriis ad te moveri, quoties moventur folia, & rami in arboribus, herbæ, & gramina in campis, ſegetes in agris, animalia in terris.

In aſpectu volucrum.

1. BEnedicite omnes volucres cœli Domino.

2. Quid eſt homo, quod memor es ejus mi Domine? omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, volucres cœli, & piſces maris.

3. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam ſub umbra illius, quem deſiderat anima mea!

Cum noctu decumbis.

1. O Amabiliſſime DEUS! quàm dormit ſecurè.

curé, pro quo vigilat amor! nullas metuo insidias, ubi amor habet excubias,

2. O mi DEUS lux indeficiens! dum clauduntur oculi mei: fac ne simul amori tuo claudatur cor meum.

3. Gratias tibi Domine, quia dum nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus è regalibus sedibus venit.

Ante concionem.

1. DIgnus es Domine accipere gloriam, & honorem. Utinam & ego omnes ad te Creatorem meum convertere possem!

2. Eja Domine video, ût infiniti pereunt tuo sanguine, & laboribus empti, & nemo potest venire ad te, nisi tu traxeris eum: quid ergo pollutis labiis, & corde præstare potero sine te? da igitur mihi gratiam, ad quod vocâsti me, & adsint mihi SS. Angeli, & Patroni mei, ut ad tuam unius gloriam fiant universa.

3. O Sanctissima Trinitas! aperi os meum ad benedicendum & laudandum nomen sanctum tuum. O JESU! da mihi guttam sanguinis tui cordialis, ut illo cor meum conspersum incalescat. O MARIA! da mihi guttam lactis tui Virginei.

Ante confessionem audiendam.

1. O JESU unica salus! sana quæso per me hanc animam peccatricem, quia tu cor contritum, & humiliatum non soles despicere.

2. En pretium sanguinis tui, Sponsa tua ab hoste vulnerata. Doce me, ut prudenter cæcam, & ægram ducam in viam salutis æternæ, quia tu nihil horum odisti, quæ fecisti, & redemisti.

3. O

3. O JESU adſis, ô ſpes noſtra miſerere! O SS Angeli! ô SS. Patroni adjuvate me. En volo Domine poteſtate à te mihi, & ab Eccleſia collata abſolvere pænitentes meos. Quod fiat ad gloriam divinæ Majeſtatis tuæ.

In aſpectu Judæi, Hæretici, Ethnici. &c.

1. AMore tui mi DEUS doleo de omnibus hæreſibus, blaſphemiis, irreverentiis, quibus ab omnibus unquam Judæis. Hæreticis, diffidentibus offenſus es, & offenderis.

2. In perſona omnium, qui nunquam tibi debitum honorem, laudem, & reverentiam reddiderunt, nec reddent: ut ſunt Hæretici, Athei, Judæi, Turcæ, Idololatræ, magi, blaſphemi, & omnes infideles, ego te mi JESU adoro, laudo, veneror, benedico, & exalto.

3. Supplico tibi mi DEUS, ut in omnibus toto orbe diffuſis hominibus ſanctificetur nomen tuum, ut omnes in obſequium fidei, quam mundo intuliſti; tandem ſubdant colla, ut agnoſcant te Dominum noſtrum JESUM Chriſtum. Ut omnis illa infelix communitas. ſive infidelis ſynagogæ Judaicæ, ſive obcæcatæ infidelitatis deponat tum obſtinatam non credendi pertinaciam, tum velum, quod objicit idololatria.

In aſpectu hominis cæci, claudi, muti &c.

1. PRocido ante te DEUS meus, gratias tibi ago, pro me ipſo, quia me talem eſſe voluiſti, qualis ſum, & ſi me alium eſſe voluiſſes, quàm ſim, eaſdem humilis perſolvo gratias.

2. Gra-

2. Gratias tibi ago, pro corpore meo, quod integris formâsti sensibus: visu, auditu, olfactu, gustu, & tactu sine ullo naturali defectu.

3. Etsi fecisset me tua abyssalis prævidentia defectuosissimum, non ideo cessarem, à gratiarum actione. Idem ego cæcus, luscus, mancus, surdus, mutus, claudus, gibbosus, plicatus, leprosus, & quidquid in me reperiretur naturalis defectûs, laudarem te, benedicerem te, gratias agerem tibi, quia me talem esse voluisses, qualis essem.

In aspectu Energumeni.

1. O Si quemadmodum integræ dæmonum legiones, unius hominis corpus feruntur ingressæ, ita ego uno corde cœlum totum, id est omnes beatos spiritus complecti possem, & quemadmodum dæmon per os energumeni loquitur, quem possidet, ita vellem, ut in corde meo per os meum omnes tui Angeli, omnes electi tui, tuum amorem, gratias, gloriam loquerentur. O quàm felix tunc esset cor adeo plenum choris te canentium Angelorum.

2. Supplico tibi mi DEUS, ut potestates tenebrarum harum, per Sanctum Angelum tutelæ meæ deputatum, jubeas pro ultimo momento obmutescere, nec objicere ea, quæ potest anima reformidare, atq; iis perturbari.

3. Gratias tibi DEUS meus, pro sedibus Beatorum, & inferis damnatorum, quia ibi, & hîc agnosco, revereor te DEUM supremum Remuneratorem. Utinam possem, & liceret mihi (depuratâ videlicet, si id possibile esset, illorum malitiâ) dæmonum ac damnatorum omnium, odi-

um, blaſphemias, in laudem tuam, & incendia amoris tui commutare.

Dum accipis, aut aſpicis librum.

1. QUia mi DEUS! aduerto reatum, & culpam profiteor ante te, totus ſuffuſus rubore, piis obortis lachrymis, aperio nunc librum actorum meorum pænitendorum, ut in ultimo, quando libri conſcientiarum aperientur, non damner cum hoc mundo.

2. Aut me dele de libro filiorum, imo creaturarum, aut parce ô Pater! delere me jubet impietas, & tua juſtitia, ſed vetat Patris miſericordia.

3. O DEUS, in cujus mente eſt liber vitæ, liber gloriæ, liber viventium; qui liber eſt notitia tua, quâ prædeſtinâſti ad vitam ſalvandos omnes; eſt firma notitia ſignificativa prædeſtinatorum deſcriptorum in cœlis, quâ firmiter retine, te hos, & illos prædeſtinâſſe i ad vitam æternam. Da ut ſim inter filios conſcriptos tuos. Domine qui nôſti, qui ſint tui, tuus ſum ego, ſalvum me fac.

In aſpectu hominis, aut ipſius imaginis.

1. CReatus ſum ad imaginem tuam mi DEUS: non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm rationem, & intellectum? Exorna tuam in me imaginem ità, ne illam fœdem unquam, ſed mundam ſervem, Tuq; illam poſtea reponas inter alias imagines vivas in domo æternitatis tuæ.

2. In tua mente Domine ideæ ſeu formæ omnes objectivè fuerunt ſemper, ad quarum ſimilitudinem nos, & omnia condidiſti. Sed ipſa illa rerum omnium exemplaria, ſeu idea omnis eſt

ipſa

ipsa tua essentia. *Tu* ipse similitudo mirabilis es, amabilis idea, ac exemplar omnium, quæ fecisti. Da Domine ut tu sis idea, & exemplar omnium quæ facio etiam ego, nec discedam à forma tua.

3. O mirabiliter amabilis! ô amabiliter mirabilis conditor meus DEUS! idea mea æterna, Sim secundùm cor tuum totâ mente cordis mei. Permaneas quæso in mente mea semper; ut habeam te in intellectu meo, cum tu me in mente tua, & exemplari habueris ab æterno.

Dum in periculo versaris peccati.

1. TImeo te, ô vindex justitia ô mare, cujus tumentes super me fluctus, ego in me ipse miserabilis excitavi. Timeo abyssum, & rudentes inferni, cataclysmum ignium æternorum. Timeo ne in illas tentationes incidam, quas, veluti pœnam, peccatis meis commerui, & ne subtrahas mihi illa auxilia, quibus me indignm reddidi, sine quibus tamen vides, me posse quidem vincere, sed non victurum. Ne intres in judicium cum servo tuo; sed illa mihi suggere, quibus misericordiam impetrem, loco justitiæ.

2. Domine mi DEUS, da mihi cordatissimum mei odium, ut ipse me puniam, ne incidam in manus justitiæ tuæ. Potes me deserere, potes tentationes, quibus me prosternendum scis, à me non avertere, potes non dare illam efficacem gratiam, quam nôsti in thesauris tuis mihi fore accommodatam,, ut salver; dare autem illam tantum, quæ sufficiat ad salutem. Parce Domine, peccatis meis, quibus hanc iram meruis & da, ut non minus deinceps merear misericordiam tuam, quàm hactenus iram meruerim.

3. Quid

3. Quid si obcæcatus, & obstinatè durus, illa mentis diritate obsurdescam, & obrigescam, quâ tot alij post tot gratias à te acceptas in frigus quoddam, ac tenebras inciderunt? O si semper tuis, nunquam dæmonis, instinctibus paruissem! Quantum fuissem lucratus gratiarum, auxiliorum, cum quibus eram salvandus, & sine quibus, vel longè difficiliùs salvabor, vel fortè etiam non salvabor! Et sic utrinq; tremo, cum nec sim securus de peccatis mihi verè dimissis à te: & si dimissa scirem, nescio, an non sis mihi subtracturus illam seriem auxiliorum, in qua sola eram salvandus, si illam peccato non abrupissem. Domine da mihi spiritum pænitentiæ, ut discam præterita mea tempora redimere cum pænitentibus, Petro, Magdalena, Augustino, & omnibus, quos convertisti ad te.

In occursu pergentium ad templa, vel icones thaumaturgas Beatissimæ.

1. EXosculor millies eorum vestigia, qui supplicum ritu ad ædes tuas ô admirabilis, & incomparabilis Virgo Mater MARIA procedunt: his me in spiritu pedissequum jungo, unaq; te veneror, amo, glorifico.

2. Quis mihi nunc det pennas columbæ, & volabo ad te? & requiescam in te. Quod corpore non licet, animo licet, Statuo me itaq; prono corde, & corpore ante omnes clementiæ tuæ aras, iconesthaumaturgas, & reliquias sacrosanctas, in iisq; te DEI mei Matrem, & universorum Dominam, omnium nomine, & affectu possibili admiror, benedico, obtestor, invoco.

3. Hos, aliosq; omnes omnium possibiles affectus

fectus elicere desidero, etiam cum dispendio ob eorum intensionem vitæ meæ, ut instar thymiamatis tibi in odorem suavitatis consumar, sine ullo respectu ad commodum vel præmium meum, sed ob merum tuum gustum, & consolationem dulcissimi cordis tui, quia digna es.

Dum moveris è loco uno in alium.

1. QUocunq; in loco sum ego, tu mecum es, at in quocunq; loco tu es, non sum etiam ego tecum. Ego sine te nusquam, & nunquam esse possum, tu sine me potes, & es. Ah! sis mecum etiam in hoc, ut sim semper tecum per gratiam tuam hîc, & per gloriam tuam ibi, ubi sedes in gloria.

2. Diceris Domine moveri ad nos, appropinquare nobis, nempe per influentiam bonitatis tuæ in nos! O appropinqua mihi! ne recedas à me!

3. O immensitatis divinæ immensitas infinita! Tu es in me! ego sum in te! sentiam ô semper sancte, sentiam te esse intra me, super me extra me, circa me! satia me te ipso thesaure mi DEUS!

Cum occurrit cogitatio de æternitate.

1. O Verè æternum sempiternè sæculorum Rex, æternitatis nec inchoatæ unquam, nec ullis sæculorum myriadibus exhauriendæ, da mihi, ut nihil perdam temporis mei, sed illud tradam tibi; ac redimam horas meas & momenta temporis infelicis quo te offendi. Vellem singula illa male à me, vel aliis, impensa momenta verti in æternas laudes tuas, & in totidem sæcula, tibi gloriam canentium in æternum.

2. Omni, quem ab æterno bonum vidisti, sine,

fine, offero tibi in tributum: æternitatis tuæ dies, & momenta singula vitæ hujus meæ, ac futuræ, singula illa, quæ in vita, morbo, morte, purgatorio patiar, omnia illa spatia infinitæ æternitatis, visionem, quâ te videbo, quâ te amabo, & omnem felicem occupationem beatæ apud te æternitatis meæ. & quidquid æternum agemus, nos electi tui omnes, quando misericordias tuas cantabimus in æternum! amorem tuum amabimus in æternum, & de tuo erga te, ac nos, deq; nostro erga te amore, & gaudio gratulabimur in æternum.

3. O æternitas tua DEUS! utinam sicut æternitas uno amplexu omnia tempora complectitur, ità ego possim omnia mea, & omnium tuorum electorum sancta tempora, uno amoris tui amplexu implere, & in singula momenta dignos æternitate tua eminentissimi amoris actus exaggerare. Quidquid ab æterno à te, quidquid postea à tuis creaturis factum est, & quidquid in æternum fiet, quod tibi placeat, hoc tibi offero in satisfactionem pro malis meis, in gratiarum actionem pro donis tuis, in gratulationem de bonis tuis, quæ habes, & quæ ulli creaturæ dedisti, vel dabis!

Cogitando de æterna beatitudine.

1. NE patere mi DEUS! ut intellectu te visuro abutar ad eaquæ tibi non placent, ne patere, ut eô non strenuè utar ad ea, quæ tibi placent. Aufer ab eo pulveres vanitatis, superflua, curiosa; & totum intellectum meum a te tam nobilem, tam tibi charum, tu totus occupa DEUS meus, ne ad vilia ista, & suâ nobilitate indigna se dignetur demittere, & quod cogita-

gitationes habebit, tot holocausta tibi offerat ô DEUS intellectûs mei!

2. Dum ab intellectu creato videris, ipsa tua essentia fit forma intelligibilis intellectûs: ad quam excelsitatem intellectum elevans, illam per supernaturalem dispositionem, per lumen gloriæ, aptum reddis, ut illi superaccrescat virtus intelligendi, quæ est illuminatio intellectûs. Ità claritas tua illuminabit nos, & nos faciet Deiformes. Nam cum apparueris, similes tibi erimus, & videbimus te, sicuti es. Domine, fac, ne me tanta dignitate reddam indignum!

3. Intellectus plus de illo lumine gloriæ participans meliùs te videbit, ô Pater luminum! Plùs verò habebit luminis, & gloriæ, qui plùs habebit desiderii, & charitatis; quô desideri ô præparamur ad illud, quod amamus, & desideramus ampliús hauriendum. Et tunc omnes videbimus essentiam tuam, alius tamen aliô perfectiús, sicut stella differt á stella in claritate. Domine auge in me charitatem, auge desiderium tui, & sic perfectiùs te videbo, & amabo: ità ut amorem, ac desiderium sequatur visio, & è visione iterum nascatur amor tui beatum me faciens, te magis delectans in me, ac me in te amando occupans in æternum. O quid erit istud, quando experiar. Desidero desiderare, doce me amare!

CAPUT III.

Diarium Viatoris,

Sive actionum per diem ordinatio.

1. MEmineris semper, & ubiq; DEUM, te, cum cœlesti

cœlesti curia intueri: Angelum, & dæmonem testuaq; omnia diligentissimé observare.

2. Considera quænam agenda hodie, quid status, vocatio exigat; perinde, quasi in stadio curreres, opera tua omnia, ac passus dirige ad metam, id est ad DEI gloriam cordeardenti.

3. Sæpiùs ex te percunctare: Quò pergis anima mea? quid intendis studiis, cogitationibus, & occupationibus tuis? ad quem finem tendis?

4. Utere tempore, velut re omnium prætiosissimâ, & particula boni diei non te prætereat. Volat sæpiùs verbum irrevocabile (inquit S. Bern.) volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat, libet fabulari, libet otiari, dicit donec hora prætereat. O! donec prætereat hora, quam tibi ad agendum pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio Conditoris indulget! donec transeat tempus, quo debueras properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, flere admissam iniquitatem.

5. In omnibus actionibus, locutionibus, & cogitationibus dic tibi, monet Mellifl. Doctor *Itane ageres, si hanc scires procerto horam novissimam.* Et Doctor Angel. op. 62: diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, & salus nostra, & omnis laus DEI, & universitatis utilitas, quasi ex uno opere dependeat: quasi nunquam ad id opus reversuri, neq; aliud postmodum facturi.

6. In omnibus operibus tuis præcellens esto: dum oras, bene ora: dum confiteris, cantas, laboras, fac singula, quâ potes perfectione maximâ

ximâ, quia DEUS non eſt Remunerator verborum, ſed adverbiorum. Imò omnia opera tua ita fac, ac ſi jam tibi ſepulchrum foderetur.

7. In progreſſu cujuſvis etiam minimi operis, & colloquii, ſæpè cor tuum ad DEUM eleva, ut inſpicias, an illud ei placeat.

8. Ut verò ſemper collectus in DEO eſſe valeas, orationibus, quas jaculatorias nuncupant, frequentiſſimè per diem utere.

9. Quotiescunq; Domini DEI oblivifceris, ita, ut magna pars tranſierit temporis ſine interiori ad eum motu, & converſione, ingemiſce, ac pugnis percute pectus tuum, cum ille debeat eſſe ſolus. unicus dilectus, & amor tuus totus, nec unquam ille tui obliviscatur.

01, Sæpiùs per diem Sanctos velut præſentes invoca, maxime Virginem Beatiſſimam, & SS. Patronos tuos cum Angelo Cuſtode. viæ Duce, & comite.

11. Si lapſus fueris in via, mox contritione reſurge, & amore in DEUM.

12. Ut omnes actiones, & opera tua gratiora fiant DEO, demerge, & depone illa ſæpius in vulneribus JESU, aſperge illa ſanguine cordis JESU, offer per manus Beatiſſimæ, operibus & meritis Sanctorum unias.

13. Dum aliqua occurrit occaſio peccandi, proteſtare exnunc, quòd malis mori, malis in ipſum infernum deſcendere, quam DEUM tuum, ſummum & infinitum bonum, vel minimo peccato deliberato offendere.

14. Sæpius per diem excita in te deſiderium corde ardenti videndi DEUM in cœlo, illum cum Sanctis amandi & laudandi.

15. Dum in mentem occurrunt tibi peccata

tua

tua, antè commiſſa, exnunc illa deteſtare, tanquam rem ſummè deteſtabilem exoſam & execrandam, atq; corde contrito dolens ejula, quia peccatis tuis amorem tuum JESUM tam graviter toties offendiſti.

16. Deinde omnibus modis, quibus potes te vilifica, & credas omnes homines eſſe bonos, & meliores te, magisq; placere DEO.

17. Ante omnia verò ſemper primo mane per Actum Intentionis, omnes cogitationes verba, & actiones illius diei etiam indifferentes, ad DEI gloriam dirige. Quia non in magnis ſolùm actionibus Amoris divini magnitudo reperitur; etiam in parvis, humilibus, & ſecretis exiſtit. Amor inaurat & amplificat omnia. Et JESUS laudibus extollit viduam illam, quæ duo minuta æris contulit, & ſilentio præterit Salomonem, qui plùs quàm mille milliones auri ad templi ſtructuram contribuerat. Totum tempus hujus vitæ nobis conceſſum eſt, ad merendum præmium æternum, ne igitur ſine merito vel inſtans tibi elabatur, ipſa cibi potusq; ſumptio, & omne aliud opus coram DEO meritorium erit, ſi S. Paulum monentem audieris. 1. Cor. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid, facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Curandum ergo tibi, ne unquam opera tua regat caſus, ſed ratio. Sunt enim aliqua opera, quæ de ſe non ſunt meritoria, neq; demeritoria, ſi tamen altiori intentione eleventur, evadunt meritoria.

18. Quâlibet horâ vel quadrante, aut quando vacat, renova illam voluntatem, quâ velis omnia deinceps à te elicienda eſſe majori fervore ad DEI gloriam, ac omnem actum virtutis, idq; ſemper majorem ac intenſiorem.

Actus Matutini.

In JESUM & MARIAM primos oculos somno evoluto Viator aperiat, ac si præsentes, & suo lecto adstantes conspiceret: proinde prima quasi sit respiratio: JESUS MARIA: Deinde paulò sibi factus præsentior, dicat.

O! JESU & MARIA, mei dulcissimi amores, dono vobis cor & animam meam: totus sim vester, nullus meus in æternum. O JESU candor lucis æternæ, DEUS, DEUS meus ad te de luce vigilo. Anima mea desideravit te in nocte. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus! & mancipium Ancillæ tuæ MARIÆ.

E lectulo surgens, seq; muniens signo S. Crucis dicat.

In Nomine Patris, & Filii, ✠ & Spiritûs Sancti.

CUrandum postea diligenter, ne ulla negotia peragas, antequam mentem ad DEUM, tanquam primum principium, & ultimum finem eleves, ac SSS. TRINITATI debitum reddas homagium. Adeoq; cum summa humilitate & reverentia in genua procidendo, intuere quasi cœlum apertum, & innumera millia Angelorum continuo clamantium & psallentium sacrum Trisagion, cum quibus magna animi alacritate clama amoroso affectu.

Sanctus,

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ.

Benedicta sit Sancta TRINITAS, atq; indivisa unitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Benedictus sit DEUS Pater, qui me creavit & conservat; unigenitusq; DEI Filius, qui me redemit; Sanctus quoque Spiritus, qui sanctificavit me. Gloria Patri, qui me sustentat per suam potentiam. Gloria Filio, qui me gubernat per suam sapientiam. Gloria Spiritui Sancto, qui me sanctificat per suum amorem.

Benedicta sit Sancta & individua TRINITAS ab omnibus Angelis & Sanctis, & ab omnibus creaturis, nunc & semper & in sæcula sæculorum.

Regi sæculorum immortali & invisibili soli DEO honor & gloria.

Adoro, laudo, & saluto te dulcissimum & vernans cor JESU Christi, & ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quòd me hâc nocte custodieris, DEO què Patri pro me laudes & gratiarum actiones persolveris.

Immortales etiam vobis gratias ago SS. Virgo MARIA, SS Angeli & Patroni mei pro speciali tutela, mihi & omnibus in toto mundo hominibus hac nocte exhibita: benedicant & collaudent vos omnes omnium anhelitus & respiria, psallat cor nostrum vobis gratiarum canticum, ut semper præsertim in agone nostro à vobis adjuvari mereamur.

Dum

Dum surgis, adverte num diabolus te somno aliquo lascivo, aut motu quopiam sensuali ex tua occasione contaminare conatus sit, quod si factum fuerit, amaritudinem & dolorem assume, dicendo.

O Domine justitiæ, & DEUS clementiæ: en detestabilis peccator omnia scelera & fætores peccatorum meorum in immensum ignem amoris tui projicio: in sanguinolentis tuis vulneribus JESU crucifixe ea abscondo: in abyssum misericordiarum ea immergo: veniam da obsecro cunctis imperfectionibus meis; Domine mi JESU ablue me pretioso sanguine, da, ut non ampliùs offendam te.

O MARIA peccatorum advocata & refugium! obsecro te per JESUM. O JESU obtestor te per MARIAM, miserere & ignosce. Adgeniculor vobis, & a tribunali Justitiæ, ad tribunal misericordiæ appello. Malo mori millies, quàm peccare ampliùs. Sic me JESUS! sic MARIA adjuvet.

Deinde petat benedictionem.

BEnedic mihi hodie & quotidie Sancta & individua TRINITAS; Benedic mihi ineffabilis potentia Patris. Benedicite mihi manus, cor dulcissimum cum Filio Virginis Matris. Benedicat me virtus Spiritûs Sancti.

Anima Virginis MARIÆ lucidissima illumina me. Corpus Virginis immaculatissimum custodi me. Lac Virginis nitidissimum MARIÆ pasce me. Fletus Virginis MARIÆ in passione Christi effusus confirma me. O Dulcissima Parens fons divinæ pietatis & gratiæ intercede pro me. O Virgo Mater misericordiæ impetra mihi, ut à

ut à Filio tuo prævisam hodie implere possim mensuram meritorum meorum: ut casto ac humili corde & corpore Filio tuo, & tibi in omnibus actionibus meis servire & placere valeam.

Sancte Michaël Archangele tuere nos in prælio, ne pereamus in tremendo judicio. S. Gabriel, S. Raphaël, omnes Sancti Angeli & Archangeli DEI succurrite mihi peccatori.

Rogo vos cunctas virtutes cœlorum, ut nullus inimicus mihi nocere possit, nec in via, nec in aqua, nec in igne, nec in domo, nec dormiendo, nec vigilando, nec aliquid aliud faciendo.

O Crux Christi adjuva me, † ô Crux Christi salva me, † ô Crux Christi libera me, † ô pretiose sanguis Christi ne permittas damnari & perire me, ô purpurea vulnera Christi abscondite me.

O Sancti Sanctæq; DEI, ómnes Sancti Innocentes, SS. Patriarchæ & Prophetæ, SS. Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Sancti, ad quorum Ecclesiam vivo, Sancti Angeli custodes status & officii mei, Sancti veteris testamenti, orate pro me indignissimo peccatore,

Per merita Sanctorum Patronorum meorum, per Crucem & pretiosum sanguinem Salvatoris mei JESU Christi, per merita totius triumphantis & militantis Ecclesiæ, Sancte DEUS, Sancte Fortis, Sancte & immortalis miserere mei. A subitanea & improvisa morte libera me Domine: à peccandi occasione: à carnalibus desideriis: à damnatione perpetua: à corde obstinato & in peccatis obdurato: à spiritu superbiæ: ab omni prava intentione: ab appetitu terrenæ consolationis: ab appetitu voluptatum temporalium: ab omni inani gloria: ab amaritudine, ira & indignatione: à deliberato etiam veniali peccato libera me Domine. *Actus*

Actus Intentionis.

O Ter magne DEUS! ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, proinde supremi jure dominii serviunt tibi omnia: tu scis desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Sed quia praesentis vitae necessitates minus sinunt mentem indesinenter laudibus tuis intendere, hinc tale tecum pactum mi Domine inire cupio.

Quoties hodie cœlum suspexero: toties cordialiter cupio videre & possidere te, dissolvi & requiescere in te, deficere à me, & transformari in te: toties intensissimo affectu cum Sanctis Seraphinis volo exclamare: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua.

Quoties de te cogitavero, dixero, audiero: toties offero tibi vitam, passionem, & sanguinem D. N. J. Christi, Cor. SS. *Matris* ipsius & Matris meae. Incendia amoris omnium Angelorum, cineres, tormenta, sanguinem omnium Martyrum, suspiria, lacrymas, labores, affectus omnium Confessorum, lilia, rosas, corda omnium SS. Virginum.

Quoties pectus percussero: toties amore tui detestor & abominor omnia peccata mea, & aliorum commissa ab initio mundi. O si hodie committenda ubiq; impedire possem! ô si uni impetrare gratiam, ne te offendat.

Quoties librum, rosarium vel quampiam rem in manus accepero: toties quidquid boni habent omnes bibliothecae, omnes linguae, calami, cogitationes omnes, totum tibi offero: toties vellem tuos dulcis JESU pedes amplecti, osculari, lambere. Quoties

Quoties signum Missæ vel elevationis SS. Hostiæ percepero: toties offero tibi omnia Missæ sacrificia peracta, & ad finem mundi peragenda: toties omnes actus falsi cultûs ab Ethnicis factos à malitia depuratos tibi offero.

Quoties imaginem alicujus Sancti vel Sanctæ videro: toties pro omnibus naturæ, gratiæ, & gloriæ donis Sanctorum, præcipuè, quorum hodie dies annua ingressûs in cœlum agitur, te laudo & benedico toties vellem gloriam accidentalem Sanctis tuis omnibus, & lumen animabus purgatorii impetrare.

Quoties ore vel corde dixero: Benedictus DEUS! toties supplere volo actus divinæ laudis, amoris, & adorationis, quos poterant per totam æternitatem exercere apostatæ Angeli, & animæ damnatorum, aliæq; creaturæ rationales, possibiles.

Quotquot hodie passus ambulando fecero: tot elicere desidero actus charitatis: quo appretio, æstimo, & præfero te DEUM meum super omnia, ita ut secundo passu, sit duplo, triplo, decuplo, centuplo & millies millies ferventior & intensior actus charitatis meæ, quo magis appretiem, æstimem, & superexaltem te DEUM meum super omnia.

Insuper quoties cor meum, cor omnium animatorum movebitur: toties in omnibus cordibus replicari vellem, & illis te amare intensissimè: quoties cadent guttæ roris vel pluviæ, quoties cadent nives vel folia decident: toties nomine omnium cœlestium, terrestrium, & infernorum projicio & provolvo me ante te, in cœlo, Eucharistia, ac ubiquè præsentem,

Et hæc omnia in unione mutui amoris SS. Trinitatis, in unione omnium altissimarum intentionum ad gustum tibi dandum, & ad majorem gloriam tuam. In protestationem supremi tui dominii, & nostræ subjectionis. In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi & toti mundo præstitis & præstandis. In satisfactionem pro omnibus peccatis meis. Ad solatium vivorum præcipuè N. & defunctorum suffragiis carentium. & pro quibus orare teneor. Per manus Beatissimæ Virginis MARIÆ, per cor tuum ô JESU, & in corde tuo deposita, ac tecum mi JESU, do, dono, & offero divinæ Majestati.

Actus diversarum virtutum.

O Mi DEUS! gratulor tibi & gaudeo cum toto cœlo & terra, de tua divinitate, unitate, ordine, amore, nexu, coæternit te gloria, ac de omnibus excellentiis & perfectionibus tuis, & quòd sis unus in essentia, trinus in personis.

Gratulor tibi de te beato DEUS: de oceano illo felicitatis immensæ, incircumscriptæ dulcedinis, gaudii exundantis in omnem æternitatem, & quòd tibi benè sit ab æterno in æternum.

Adoro ex profunda abysso mei nihili infinitam Majestatem, Sanctitatem, Bonitatem, Potentiam & Sapientiam: adoro te & amo summa & beatissima TRINITAS existentem in te ipsa, & unio hanc adorationem & amorem meum, cum amore, quo amas infinitè te ipsam.

Isto etiam meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus es, & quibus affici te conveniebat, uno fasciculo comprehensos tibi offero ac dedico.

Accipio personam omnium hominum in quatuor

tuor mundi partibus viventium, præcipuè vero illorum, qui te non adorant, sed blasphemant, & illorum nomine ante te procido, te adoro cultu latriæ, tibi genu flecto.

Amo te, & amore desidero amore tuo, amore Mariano, amore supplente amorem eorum, qui te non amant, út damnati & non creandi.

Cupio ut pauperculus amor meus tuo infinito unitus recreet & exhilaret semper dulcissimum & amabilissimum cor tuum,

Gratulor tuæ divinæ Majestati, quód adæquatè amari tantum nonnisi à te ipso possis, quantúm amabilis es. Et gaudeo quod ameris à te amore infinito, & quantúm amari es dignus.

Non invideo Seraphinis gradum illum gloriæ quem in cœlis obtinent, sed quòd plusquam ego te diligant, hoc damnum invideo ac doleo.

Desidero quovis respirio & suspirio vitæ meæ congerere ad tuam mi DEUS! majestatem adorandam omnes actus latriæ, adorationis, laudis benedictionis, glorificationis, amoris, omnium existentium, & possibilium cœlestium & terrestrium creaturarum.

Doleo de omnibus peccatis meis & totius mundi, quæ contra te DEUM meum quomodocunq; unquam facta sunt, fientq; eo affectu quo Christus de illis doluit. Nolo offendi te à præterita, præsente, futura vita, & damnata creatura

Pactum facio tecum, quòd in æternum nullo peccato voluntario te offendere velim, ut dum à multis peccatoribus offenderis, à me pacem habeas.

Pro omnibus & singulis beneficiis tuis mihi, & omnibus aliis in vita, & post vitam præstandis gratias ago, quantas possum, quantas debeo, quantas Christus pro suis obtulit & Beatissima Virgo.

Pia

Pia Viatoris desideria, sive scintillæ adflammam divini amoris concipiendam.

EMorior mi JESU! emorior quolibet momento desiderio millies ac millies plus amandi, plùs exardescendi, plùs laudandi te, quia tu es centrum cordis mei, tu vita, & omne bonum, sine quo nihil est bonum.

Quare autem ô DEUS meus, cum tam amabilis sis, & ita præceperis te amari, dedisti nobis unum cor & adhuc tam parvum??

Utinam haberem latitudinem cordis, sicut arena maris, sicut totus mundus, ut amare te possem latissimé.

Utinam millies millena millia talium cordium haberem, quale fuit cor JESU & MARIÆ: & omnes omnium beatorum virtutes unus possiderem, ut amarem & servirem tibi DEO meo illis cordibus & exercitatione omnium illarum virtutum.

Utinam, quotquot ullo calamo scribi, vel ullâ mente concipi possunt numero, tot Cherubinorum & Seraphinorum cordibus te amarem in infinitum, tot thesaurorum talentis pro gloria tua expensis te honorarem in infinitum, tot linguis, tot desideriis, tot gaudiis tibi gratularer in infinitum; tot holocaustis tibi pro peccatis meis satisfacerem, & pro beneficiis gratias agerem in infinitum; tot desideriis optarem id amore tui agere, quod tibi super omnia placeret, in infinitum.

O si cor meum ob tui amorem in tot minutas partes, quot sunt arenæ maris, quo sunt guttæ in aquis, quot atomi in áére posset dividi, & quælibet pars amaret te amore infinito, & omni possibili creato.

Utinam

Utinam omnia corporis mei ossa forent lampades aureæ, & sanguis omnis per venas & per membra diffusus balsamum foret, & lampades arderent, & balsamum consumeretur, in tui solius amorem & honorem, sicq; totus in holocaustum tibi conflagrare possem.

O si & venæ meæ omnes, & nervi, vincula forent aurea, te cordi meo alligarem mi DEUS! & nunquam amplius dimitterem.

O si tibi placeret DEO meo, etiam desiderarem uniri tibi DEO meo, unione personali & Hypostaticâ non propter meam excellentiam, ut appetiit Lucifer, sed ideo purè, ut eò plùs diligerem te DEUM meum, nempe amore infinito, & tibi adæquato, ne te amplius possem offendere.

O mihi si dares vel ad unicam saltem horam, ardentissimum illum Saraphinorum amorem, ut illo vehementissimo amoris igne succensus, omnes homines in tuo amore succendere possem.

Eheu! quam doleo, quòd tu dulcis amor meus à me non ameris! Eheu quam doleo, quòd tu dulcis amor meus ab aliis ita contemnaris, & insuper offendaris.

Compatior tibi DEUS meus, amor meus, super omni contumelia & injuria, quæ tibi irrogatur: & si prævalerem, libentissimè tibi persolverem omne damnum, in quo est detrimentum honoris & amoris tui.

Actus varii pro opportunitate temporis & occasionis eliciendi.

Ante recitationem Officii Divini.

ERubesco Domine! cogitans quis tu, & quis sim ego! nempe audet vilis terræ vermiculus

& putris

& putris ranunculus è palude sua prorepere ad thronum gloriæ summi DEI! Egone comparebo coram te, & loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. imo quod gravius est, indignus, exosus, & ingratus peccator. Sed quia me Domine tam amanter invitas ad orationem & colloquium tuum, cupio tale tecum sancire pactum.

Quoties in oratione linguam movebo: toties vellem mihi dari linguas ardentissimorum Seraphin ad benedicendum & laudandum te, corde & affectu Seraphico, toties pro omnibus, qui te ignorant vel blasphemant, sive in terris sive in inferno, ego clamo amoroso affectu, Benedictus DEUS!

Quoties oculos aperiam & literam aspiciam: toties desidero videre Christum Dominum & Virginem Beatissimam: toties vellem innovare affectus cujuscunq; orationis, à quocunq; Sanctorum in hac vita vel in altera tibi oblatæ vel offerendæ.

Quoties cor meum movebitur, toties vellem cor meum mutare cum tuo, unaq; recitare Officium, út concessum S. Catharinæ Senensi: toties vellem cum S. Francisco cordialiter dicere: DEUS meus & omnia; toties desidero transfigi mihi cor cuspide amoris cum S. Teresia.

Quoties respiravero: toties gaudeo ob amorem quo te electi tui æternum prosequentur, & laudes quas tibi in perpetuum dicent: toties desidero, ut quælibet respiratio oris, sit ad te DEUM meum aspiratio cordis.

Quoties hoc nomen DEUS ore vel mente pronunti bo: volo, ut sit idem, atq; si tunc uno corde complecterer amorem tui summum, ac si

tunc

tunc amarem amore increato, & omni poſſibili creato.

Quoties me inclinabo: toties volo exhibere illos digniſſimos actus adorationis, quos Mater SS. exercuit erga Dominum JESUM cum aliis Sanctis, in terris, toties omnes inclinationes, genuflexiones, & omnes venerantium geſtus tibi offero.

Placeat ergo tibi DEUS meus hoc ſacrificium laudis, & benigne digneris acceptare has preces, non ut à me procedentes, ſed à te inſpiratas, & ſanguine Domini noſtri aſperſas. Per illas ſupplico tibi DEO meo, ut verum concipiam de peccatis meis dolorem, agam pænitentiam, pænas expiem; ac ut in gratia tua & amicitia diſcedam ex hac vita. Supplico etiam tibi pro omnibus propinquis, amicis, ac inimicis, & benefactoribus meis. Succurre illis, qui ſe meis precibus commendaverunt, converte miſeros peccatores ad te. Revoca Hæreticos & Schiſmaticos, illumina infideles omnes te ignorantes. Da animabus fidelium defunctorum lucem, & requiem ſempiternam.

In ipſâ recitatione Divini Officii.

CONſideret qui pſallit, aut recitat, ſe officium Angelorum obire, quorum in cœlo perpetuum eſt exercitium, DEI laudes celebrare. Sed ipſis exemplis melius demonſtrari poteſt, Officium Divinum eſſe Angelorum Officium.

S. Magdalena triginta annis ab hominum conſuetudine ſejuncta quotidie ſepties ab Angelis elevabatur in altum, ad audiendas cœleſtium Spirituum laudes, & cum illis perſolvendas,

S. Bernardus noſter, in matutinis horis vidit Ange-

Angelos, qui Fratrum orationes scribebant, aliorum quidem auro, aliorum argento, nimirum qui devotè canebant, aliorum aqua, videlicet tepidorum.

S. Gudvualdus Archiep. ambulans aliquando per mare, cùm preces in navi persoluturus inchoaret more Ecclesiæ dicens: DEUS in adjutorium meum intende, Angeli subjunxerunt: Domine ad adjuvandum me festina, & ita totum Officium alternis vicibus cum viro *DEI* persolverunt. Sur: 6. Jun.

Unde v. Thomas à Kemp. loquens iis, qui in choro preces absolvunt, sic dicebat: Chorus est DEI & SS. Angelorum locus Sacratus sicut Angeli in cœlo, sic ministri ordinati sunt in choro. Sic ergo sta in choro, & canta inter Fratres, quasi in medio Angelorum stares ante Christum in dextera Patris residentem, vel ante Beatissimam Virginem, Filium suum infantem in gremio gestantem.

Contra veró quantùm DEO displiceat negligentia in divino Officio, præceps quædam celeritas, absqué ulla ferè significatione reverentiæ, patet è vita S. Ludgardis, ubi divinitus innotuit pestem, fuisse pænam culpæ istius. Unde quamprimum horæ Canonicæ cum reverentia sunt recitatæ; pestis cessavit, Sur. 16. Jun.

Recentius est id, quod memoriæ prodidit Nebridius Canon. Regul. S Augustini, qui ait Gratiano Capucino pio Novitio in templo nocte intempestâ DEUM oranti cœlites in cultu splendidissimo conspectos dixisse: Dicas Guardiano, ut curet in choro Horas Canonicas lentiꝰ. recitari, quia nihil in Ecclesia, post usum Sacramentorum, DEO gratiùs est, recitatione Horarum Canonicarum. Jaco-

Jacobus Card. Vitriacen: ait: Sancto cuipiam visum dæmonem in humeris onustum saccô plenô syllabarum in Horis canonicis celeritat e præcipiti omissarum.
Justinum in extasim raptum Anno 1547. narratè Boverio Nebridius, pervenisse in Ecclesiam, cùm Religiosi matutinum Officium peragerent. Sperabat se auditurum concentum Angelorum; sed ecce nihil percipere potuit, quàm horrendos latratus canum, grunitus porcorum, mugitus boum, & verba blasphemiæ. Mirabatur! Et vox ad eum. Illorum Religiosorum preces, qui eas negligenter persolvunt, qui Regulam negligunt, aliosq; recte viventes impediunt, nihil aliud esse, quàm voces belluarum.

Post Divinum Officium.

Orationem sequentem devotè recitantibus Leo X. defectus in eo persolvendo ex humana fragilitate contractos indulsit.

SAcrosanctæ, & individuæ TRINITATI, Crucifixi Domini nostri JESU Christi Humanitati, Beatissimæ & Gloriosissimæ semperque Virginis MARIÆ fœcundæ integritati, & omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobisq; remissio omniùm peccatorum, per infinita sæcula sæculorum.
Beata viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium; & beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum. Pater. Ave.

Oratio, quam Christus Dominus B. Gertrudem docuit, post Horas recitanda.
Blos. Mon. c. 3.

O Bone JESU! propitius esto peccatori. Ego tepidum distractum, & imperfectum servitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum, & perficiendum, tibiq; ipsum offero, in unione illius attentissimæ orationis, quâ tu Patrem orâsti, & laudasti in terris. Responde quæso, satisfac, & supple pro me plenissimè.

O piissima Mater supple hoc imperfectum obsequium meum apud dilectum Filium tuum, Monstra te esse Matrem.

O piissime JESU! suscipe hoc idem de manu SS. Matris tuæ, unitumq; tuis, ac ejusdem, omniumq; Sanctorum meritis offer æterno Patri.

S. Gertrudis ora pro me. Offer preces meas cordi JESU, à quo has didicisti.

Affectus post Horas Canonicas, vel alias privatas Orationes eliciendi.

O! Pater misericordiarum scio & verè cognosco, quod me peccatorem miserum magis deceret coram te jacere prostratum, & cum fletu, gemitu, ac rugitu peccatorum meorum veniam postulare, quàm te ore polluto laudare.

Ignosce Domine, ignosce pie Salvator, ignosce & miserere. Noli me tanquam temerarium reprobare, quòd audeam servus valdè malus te omnipotentem, DEUM terribilem, ac nimis tremendum, sine cordis contritione, & lacrymarum fonte, sine reverentia & tremore laudare.

Utique

Utique Domine Angeli te DEUM suum adorantes, & laudantes tremunt mira exultatione repleti: ego peccator dum tibi assisto, laudes dico, peccatorum veniam postulo; cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco sicq; obortis lacrymis coram te inde inenter lugeo. Volo! sed non valeo! O amor vim patior! tu responde pro me, quia nescio, quid dicam DEO vitæ meæ.

Et quia mi Domine non est speciosa laus in ore peccatoris. Laudet te pro me Domine DEUS tua æterna Deitas, immensa Majestas, infinita bonitas. Laudet te pro me tua altissima Sapientia, tua latissima misericordia, tua profundissima justitia.

Tibi Domine DEUS meus jubilet, & benedicat Humanitas J. C. sanctissima ejus vita, divinissimæ ejus virtutes, pretiosus ipsius sanguis & lacrymæ, divinissima ejus vulnera & livores, cor illius apertum.

Jubilet tibi pro me Mater gloriosissima Filii tui, tabernaculum admirabile gloriæ tuæ.

Tibi Domine DEUS meus cantet, & jubilet SS. Mater Ecclesia, te honorent omnes Psalmi & preces, omnes ejus affectus, & amores, omnia ejus vota & desideria, quibus ad te gemit in hac lacrymarum valle.

Jubilent tibi pro me omnes Sancti Angeli, Omnes Sancti & Sanctæ, omnis electorum tuorum exercitus.

Jubilent tibi pro me, & laudent te omnes creaturæ, quæcunquè cœli, terræ, & abyssi ambitu, continentur.

Benedictum sit in omni loco totius universi nomen tuum Domine, quod est sanctum, & laudabile, & gloriosum in sæcula.

Jubilent etiam tibi, & gratias agant cor meum, & anima mea, tibi serviant omnes corporis & animæ meæ vires; tibi jubilent omnes nervi & arteriæ meæ, omnia ossa, & carnes meæ, omnis intellectus, memoria, & voluntas mea.

Nunquid enim Domine ideo te non laudabo, quia me indignum, & immundum esse agnosco?

Nonne & vermes, & ranæ immundæ coaxitantes in paludibus suis te suum Creatorem laudare cupiunt, prout sciunt?

O Domine amoris! quamdiu halitus erit in ore meo, benedicam te Dominum meum in omni tempore, semper laus tua in ore meo. Lingua etiam deficiente omnis respiratio mea sit laudis significatio. Corpore verò extincto, & in pulverem redacto laudes tibi infinitas dicant minutissima quæq; pulveris grana usq; ad extremum judicii diem.

Hoc enim dilecte JESU adjicio desiderans corde affectuoso, ut quando corpus meum fuerit in pulveres minutissimos redactum, & lapide clausum, ut videlicet de qualibet particula minutissima vox amœna laudis, & intensissimi amoris tui exurgat, quæ durissimum lapidem penetrans cœlorum altitudinem transcendat, & usquè ad extremum judicii diem vivæ laudis præconium extollat: donec in resurrectione beata corpus, & anima pariter unita in tuæ laudis glorificatione copulentur.

Actus ante meditationem.

O! DEUS Omnipotens, adorande, colende, tremende, ante cujus conspectum omnis Beatorum exercitus cum summa reverentia, & tremore procidit; teq; jugiter adorat, reveretur,

& con-

& contemplatur: quomodo & ego vermis immundus, canis mortuus, cadaver putridum, ego ingratiſſimus, & infideliſſimus peccator, non tantum coram te aſſiſtere, & nomen tuum laudare, ſed ad tuæ Divinitatis contemplationem, fruitionem, & unionem aſpirare audebo?

O Domine! quia tanta tua eſt dignatio, ut velis, & gratum habeas à me adorari, & mecum colloqui, ideo ingredere in ſolitudinis meæ requiem; & concede, ut hic ſecus pedes tuos cum Sancta amante tua Magdalena, diſcam modum ac rationem, quâ uni neceſſario ſollicitè vacem, atque unicè intendam.

Excita me Domine ab omni negligentia, & ſenſuum evagatione. Da, ut in meditatione mea exardeſcat ignis. O ſi ut ferrum igni, ita & ego uniar amori meo! O ſi vel ad unicum momentum transferar in te, abſorbearq; à te DEO meo!

At quomodo ſervus tam inutilis inveniet gratiam in conſpectu tuo? Reſpice ô Pater in faciem Chriſti tui, in quo tibi bene complacuit, in cujus nomine ſupplex rogo, ut clementer exaudias me.

Ut feliciùs tibi ſuccedat meditatio.

1. IMprimis imãginare quaſi cœlum apertum, & puta te videre DEUM Patrem ibi Angelis circumdatum, teq; conſiderantem, quidnam agere velis. Roga eum, ut auream ſagittam adverſum te dirigat, quâ cor tuum ſancto amore ſuo vulneret.

2. Puta te videre DEUM Filium cum vulnerum ſuorum cicatricibus mirificē radiantibus; deprecare eum, ut tuo pectori immittat guttam Sanguinis ſui, quà cor tuum veluti vivo igne ſuccenſum in amore Divino incaleſcat.

3. Immaginare te contemplari Spiritum Sanctum sole longé splendidiorem, roga eum, ut ad te candidam gratiæ suæ columbam demittat, & inflammet cor tuum.

4. Finge te à latere obtueri Virginem Beatam stellis coronatam, ei cor tuum præsenta, ut ipsa Filio suo offerat.

5. Immaginare denique te cernere innumeras Beatorum Spirituum phalanges, qui ei mysterio, quod contemplaturus es, assistent. Tu verò postea perge ad pedes JESU assumptâ similitudine vel servi ingrati, vel proditoris, vel exilio damnati, &c.

Post Meditationem.

TE DEUM laudamus, vel Collectæ consvetæ cum versibus recitentur.

In ingressu Ecclesiæ.

ERgonè credibile est, quòd verè DEUS habitet super terram? si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quantò minus hæc domus?

Domine in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Omnes Sancti, & Sanctæ DEI, quorum reliquiæ & imagines hìc sunt, saluto & veneror vos, intercedite, obsecro pro me.

Salvete omnes Christi fideles animæ: det vobis requiem ille, qui est vera requies, JESUS Christus Filius DEI vivi, ille benedicat vos, & à pœnis liberet, faciatq; resurgere in die judicii Angelisq; suis sociari.

Visitando SS. SACRAMENTUM.

COram te ô Sanctissimum Sacramentum cum summa reverentia procido, & cum omnibus Angelis, & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cumq; omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ concino dicens centies, millies: laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum.

Credo mi JESU firmissimè quòd sub his speciebus tu Dominus meus, & DEUS meus contineraris. Innovo & offero tibi omnes affectus, & actus adorationis, salutationis, & recognitionis hîc elicitos & impensos. Et non tantùm hìc, sed in omnibus Ecclesiis per totum mundum existentibus.

Gratias tibi Domine pro thesauris omnibus beneficiorum, quos hîc aliquando effudisti, effundes. Doleo de omnibus peccatis & irreverentiis, quibus aliquando in hoc loco offensus es, & offenderis. Desidero, ut laus & gloria tua hìc permaneat usq; ad tempora Antichristi.

O si accendere tibi possem cor meum tanquam lampadem, ut hìc ante te arderet continuò, & totum consumeretur! O si continuò assistere possem tibi DEO meo hic præsenti!

Quia mi Domine id præstare non possum, saltem anticipatò omnes affectus laudis, amoris, adorationis ab omnibus fidelibus hìc tibi impendendos nunc approbo, tibi innovo, & repræsento.

Vos verò Sancti Angeli, SS. Patroni, ad quorum Ecclesiam vivo, & in qua sepeliar, adorate, magnificate pro me istum Dominum meum, hic præsentem, omni modo, omni tempore, in æternum.

Obser-

Obſervanda circa Sacrificium MISSÆ.

Explicatio veſtitûs ſacrificantis.

VOluit CHRISTUS Sacrificium hoc in memoriam Paſſionis & mortis ſuæ fieri, ſimulq; per idem repræſentari ſacrificium illud cruentum, quod ipſe in ara crucis Patri ſuo obtulit. Proinde veſtes sacrificantis ad eandem paſſionem, & mortem ſignificandam ab Eccleſia ordinatæ ſunt.

1. Amictus, ſeu Humerale, ſignificat pannum ſeu velamen illud, quo Chriſtum velaverunt, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes: *Propheiiza, quis eſt, qui te percuſſit?* Luc: 22. v. 64.

2. Tunica linea, ſeu Alba, indicat veſtem illam, quâ Herodes Chriſtum indutum cum exercitu ſuo illuſit, & remiſit ad Pilatum. Luc. 23.

3. Stola, Manipulus, & Cingulum, referunt funes, & catenas, quibus Chriſtus toto corpore ligatus per urbem Jeroſolymam, tanquam homo nefarius tractus eſt. Joan. 28. 12.

4. Caſula nobis veſtem purpuream proponit, quâ circumdederunt eum.

5. Tonſura in modum coronæ Sacerdotis crinibus inciſa, Coronam ſpineam indicat, quam milites plectentes impoſuerunt capiti ejus, & dicebant:

Ave Rex Judæorum: Et dabant ei alapas. Joan: 19.

6. Crux caſulæ inſerta, illius nos Crucis admonet, quam Chriſtus humeris ſuis portavit, & in qua

in qua JESUS emisit spiritum. Matth. 27. 58.

7. Altare, in quo nunc tanquam incruentum sacrificium DEO Patri offertur: montem Calvariæ repræsentat. in quo olim Redemptor noster JESUS Christus, se ipsum, cruentum fecit sacrificium, quo Patrem suum damnato mundo, reddidit propitium.

8. Velum, & ea quibus Calix involvitur, significant linteamina, quibus Christi Corpus fuit involutum.

9. Cruces, quas Sacerdos crebrò formant, varios Christi cruciatus indicant.

Praxis offerendi Sacrificium Missæ cum Sacerdote celebrante.

Inquantum est adorativum.

O! Ter magne DEUS! ego pulvis & cinis, ac indignus peccator, & servus tuus ardentissimo, quo possum reverentiæ, gratitudinis, amoris, & devotionis affectu:

Offero tibi hoc Sacrificium, quod auditurus sum, unâ cum sacrificiis omnibus tibi placitis unquam, oblatis à principio mundi, & ad finem offerendis, in unione Sanctissimi illius Sacrificii, quod tu mi JESU! summus sacerdos, & Pontifex ab æterno, ac primo ingressu in mundum & totâ vitâ offerre desiderâsti, in ultima cœna, & cruce moriens obtulisti, & nunc offers tanquam summus, & sempiternus Pontifex assistens ad dexteram Patris, & interpellans pro nobis.

Ad maximam, æternamq; divinæ majestatis tuæ laudem, cultum, obsequium, honorem, &

gloriam. In protestationem supremæ tuæ excellentiæ, & principii omnium creaturarum dominiiq; tui, & omnimodæ nostræ subjectionis.

In memoriam & honorem vitæ, passionis, omnium suspiriorum, lacrymarum, vulnerum, dolorum, guttarumq; sanguinis pro nobis à te mi JESU effusi.

In adorationem divinarum dignitatum tuarum. Attributorum, Excellentiarum omnium, Infinitæ tuæ perfectionis, beatitudinis, & gloriæ, omniumq;, operum tuorum, quæ summopere gaudeo à nulla creatura dignè posse æstimari.

Inquantum est Gratiarum activum.

GRatias tibi Domine hoc sacrificio ago, pro illa ineffabili naturæ tuæ divinæ cum natura humana in Hypostasi unione, ac pro admirabili supra captum intellectûs creati, Tui, generi humano communicatione.

Gratias tibi pro omnibus donis, gratiis, privilegiis concessis V. B. quam ab æterno ex meritis tuis prævisis, in tempore usq; adeò sublimasti, ut omnino non esset sub maledicto Adæ, originali videlicet peccato non fuerit, imò magis ad maternitatem tuam evexisti, in cœlo super omnes Angelos, & Beatos collocasti, Reginam cœli dedisti mundo, Matrem Ecclesiæ, peccatoribus Advocatam.

Gratias tibi pro beneficiis concessis omnibus comprehensoribus, ac prædestinatis in via, & in patria, ac etiam concessis beneficiis omnibus idololatris, paganis, hæreticis, imo etiam dæmonibus, & damnatis.

Gratias tibi ob beneficium creationis nostræ & tot creaturarum ad usum nobis collatarum, ob

ob beneficium redemptionis, conservationis, justificationis, finalis perseverantiæ, glorificationis.

Et quomodo Domine mi obliviscar beneficiorũ mihi indignissimo collatorum? infinitas tibi gratias ago pro infinito amore, quo me prosecutus es, eligens me ante mundi constitutionem, ut sim non lapis, non arbor, non brutum, sed homo creatura rationalis, quodq; tempore præfinito ex abysso nihili eduxeris me, & nasci feceris in Ecclesiâ tua, extra quam non est salus, tot media ad salutem aptissima ab æterno mihi præparaveris, copiosis naturæ, gratiæ donis ditaveris, quæ me extra cæterum vulgus naturæ, imó milliones hominum, & tuam ordinariam ad omnes providentiam, magis segregarunt.

Inquantum est impetratorium.

SUpplico tibi Domine pro omnibus Prælatis Ecclesiæ, Principibus spiritualibus, & politicis, & toto Clero, Seculari Potestate, Religiosis omnibus, Virginibus, Viduis.

Commendó tibi omnes benefactores spirituales & temporales, omnes necessitate pressos & in suis periculis; tentationibus ad te recurrentes, omnes consanguineos meos, amicos, prædestinatos, & eos, qui insignius DEUM amant, & Beatissimam, Justos, ac injustos, atq; inimicos meos.

Supplico tibi Domine pro omnibus afflictis, peregrinantibus, captivis, tentatis, infirmis, agonizantibus, & pro tota indigentium universim farragine; pro omnibus Hæreticis, Schismaticis, infidelibus, paganis, Judæis, & obstinatis, quot quot sunt, peccatoribus.

Pro omnibus Deiparæ Clientibus, ut augeantur, ampliusq; benedicantur. Pro parvulis i

mater-

materno utero existentibus ut baptismi gratiam afsequantur. Pro iis item parvulis, qui si excrescerent, perirent, ut in innocentia sua moriantur.

Pro me ipso infelicissimo peccatore exoro mi DEUS! clementiam tuam, da mihi remissionem peccatorum, quæ multiplicata sunt super numerum arenæ maris. Da mihi victoriam omnium, sed vel maxime earum tentationum, quibus de facili succumbo. Da mihi præservationem à malis animæ & corporis, ac perseverantiam in bono finalem. Da maximum & perfectissimum tui divini amoris supernaturalis, nunquam, si fieri possit, cessaturi affectum.

Peto deniq; ut proposita mea sancta sint, & firma, ut demum vivam in te per gratiam, de te per Sacramentum, tecum per gloriam, moriarq; filius gratiæ, viatico corporis tui munitus, hæres salutis.

Inquantum est Propitiatorium.

OFfero etiam hoc Missæ Sacrificium, & quotquot præterea in toto orbe fient, aut facta sunt, in propitiationem, & satisfactionem innumerabilium peccatorum, & negligentiarum nostrarum commissarum, & committendarum usq; ad diem judicii.

Præcipuè verò offerò pro peccato primo originali, Ethnicorum infidelitatibus, Hæreticorum & Schismaticorum blasphemiis. Pro omnibus despectibus Eucharistiæ, contemptibus, ac derisionibus factis à diffidentibus, puncturis à Judæis, & sagis, ac pro ipso abominabilissimo Christicidio, & Antichristi peccatis, ac ejus sequacium.

Offero pro omnibus sceleratissimis facinoribus

bus meis, quæ cum majori Majestatis tuæ indignatione, proximi scandalo perpetravi, & notabiliter pro primo peccato, quo unquam resolvi me ut offenderim te. Ac pro omnibus negligentiis, & imperfectionibus meis, & quidquid unquam contra tuam infinitam Majestatem cogitatione, verbo, opere, omissione feci & deliqui.

Memento Vivorum.

MEmento Domine per viscera pietatis tuæ, & miserere omnium, pro quibus mori dignatus es, præcipuè memor sis Ecclesiæ tuæ Sanctæ, quam pretioso sanguine redemisti ejusq; capitis Summi Pontificis N. cum suo Clero.

Miserere Christianissimi Imperatoris, Regum, Principum, Prælatorum, Pastorum, omniumq; statuum Ecclesiasticorum, Religiosorum, secularium, eorumquè præcipuè, qui maximè possunt gloriæ tuæ, & saluti animarum prodesse: omnium, pro quibus singulariter orare teneor: Parentum, fratrum, amicorum, benefactorum, affinium meorum: omnium, qui se mihi commendaverunt, qui me contristarunt, vel quos ego contristavi, offendi, scandalizavi verbo, & opere.

Ad elevationem Hostiæ.

SAlve nobilissimũ Corpus, & pretiosissimè Sanguis Domini mei JESU Christi, sub hac panis specie verè præsens, te adoro tali cultu, & adoratione, quâ te novem Angelorum chori, quâ totum cœlum, & terra te colunt, & adorant, qua tuam Divinitatem humanitas Christi adoravit.

Vel: Assumo omnes omnium creaturarum affectus, iisq; te nunc hic præsentem & latentem

Intentem adoro, colo, veneror, hancque adorationem in æternum continuò.

Vel: Omnes beatissimi Angeli, & Sancti omnes, adorate & exultate, jubilate, & reverentiam facite pro me huic JESU, qui est etiam in manibus sacerdotis, sicut in divino throno ad dexteram Patris.

O si potestatem haberem, ut cœlum & terram, & infernum cum omni creatura tibi dulcissimo amatori cum omni reverentia inclinarem!

Vel: O clemens, ô pie, ô dulcis JESU, fili MARIÆ Virginis miserere mei. Et da, ut sicut te nunc videre merui in forma panis, ita cum ad judicandum veneris, securus ac gaudens, merear te videre in gloria tuæ Majestatis.

Vel: Adoro te Domine DEUS cum Christo tuo, & per Christum tuum Advocatum meum, hic & ubiquè, affectu ipsius, & modo tibi infinitè grato.

Ne reminiscaris peccata mea, neq; fratrum & proximorum meorum, in hoc mundo positorum sed respice in faciem Christi tui te infinite per totum mundum, in tot locis, in Sacrificio Missæ honorantis, & colentis, eoq; te infinitè oblecta, & per illum nobis tribue gratiam, ut peccatis liberati, nos quoquè te bonis operibus semper & quam maximè oblectemus. Amen

Ad elevationem Calicis.

SAlve nobilissime Sanguis de latere Domini mei JESU Christi profluens, totius veteris & novæ culpæ maculas diluens, ablue, sanctifica, & custodi animam meam in vitam æternam.

Vel: O Pater amantissime, offero tibi, & volo tibi omnes actus, quos dilectissimus Filius

tuus

tuus tibi hic in hoc Sacratissimo SACRAMENTO offert gratissimos.

Vel: O Pater æterne offero tibi Sanguinem dilectissimi Filii tui pro omnibus peccatis meis, & totius mundi.

Sanguine tuo Christe JESU, à peccatis omnibus lava me. & concede, ut anima mea cum à corpore migraverit, ante tribunal tuum appareat munda. O bone JESU ne deseras me in suprema mortis hora, & lucta, à qua tota pendet æternitas.

O Sacratissima vulnera JESU mei suscipite me, abluite me, ignifacite me. Immergo dulcissime JESU totum me tuo sanguini, tuis vulneribus.

Memento Defunctorum.

MEmento etiam Domine famulorum, famularumq; tuarum N. N. pro quibus primariò hoc sacrificium offero. Memento demum omnium mihi peculiariter commendatorum, eorum, pro quibus me vis potissimum orare. omniumq; aliorum fidelium in Christo dormientium.

Præcipuè vero supplico tibi DEO meo pro Parentibus, propinquis, benefactoribus, pro iis, qui in templo, vel cœmeterio quiescunt, pro Clero sæculari & Religioso defuncto, pro cultoribus Marianis, & SS. Eucharistiæ, & pro quibus orare nos vult, ac gaudet DEIPARA, pro iis, qui pridem & gravius purgatorium patiuntur, & qui sunt diu futuri in purgatorio.

Supplico etiam mi DEUS! pro omnibus inter infideles, ac Ethnicos, in gratia tua defunctis, fame, peste bello, subitanea morte sublatis pro pauperibus, & mortuis, gentis ac religionis nostræ.

Horum omnium misericordissime Pater misere-

rere

rere per tuam infinitam clementiam, per infinita Filii tui merita, per omnium Sanctorum suffragia. Ostende illis faciem tuam, ut te videant, ament, glorificent in cœlis, in quem crediderunt & speraverunt in terris.

Praxis Communionis Spiritualis.

ITa est Domine JESU indignissimus sum, quia omnibus peccatoribus, & ipsis damnatis deterior sum, indignus omni bono, & dignus omni malo. Sto tamen pauper, & inops ad mensam magni Regis, & amantissimi Patris mei, tuam Christe JESU: & credo tibi ô æterna veritas, quòd verè è summo cœlorum ad verbum sacerdotis, ut me visites, venire dignatus es, verumtamen conscius infirmitatis meæ & peccatorum meorum, de quibus propterea vehementer doleo, non audeo Sacramentaliter suscipere te, sed dico ex amore tui cum Centurione: Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed per os Sacerdotis veni amantissime JESU in animam meam. Munda quæso illam à malis omnibus & imperfectionibus, orna bonis, & virtutibus.

Oratio S. Augustini.

Sumpta ex magna tabula Lateranensis Ecclesiæ, quam quoties quis contritus devotè dixerit, octoginta millia annorum, Indulgentias consequetur, & qui quadraginta diebus eam dixerit, plenariam peccatorum remissionem obtinebit, quam Bonifacius VIII concessit, & Benedictus XI. confirmavit.

DEUS, qui pro Redemptione mundi voluisti nasci,

nasci, circumcidi, à Judæis reprobari, à Juda proditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atq; conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati. & Herodis, indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis, & opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari. inter latrones deputari, felle & acetô potari, & lanceâ vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem, & mortem tuam, liberatme à pœnis inferni, & perducere digneris, quô perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum Amen.

Actus petitionis pro statu Ecclesiæ.

O! Pater misericordiarum respice in faciem Christi tui, qui clamore valido, & lachrymis interpellat pro Sponsa sua Ecclesia, Matre nostra.

Ecce mi Pater profusus ille corporis sudor, horrendæ capitis spinæ, calidi fontes oculorum, clavi manuum, & pedum, livores, & vulnera, & vox sanguinis Fratris Nostri JESU Christi clamat ad te de cruce.

Audi ô Pater! ad hujus suspiria & gemitus moti sunt cœli; scissi sunt lapides, & tenerrima misericordiæ tuæ viscera non flectentur?

Protege & defende Pater clementissime populum tuum, contra hostium ferociam. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne projicias in finem.

Custodi omnes Domine, & conserva, qui

te sincero corde, & ore confitentur, ne a falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces, seducantur. Coërce potentiam illorum, machinationes detege, & consilia adversus Ecclesiam tuam dissolve.

Da fidelibus tuis misericors Domine, ut in pace & tranquillitate, ac unione incessanter amemus, & laudemus te, ut doctrinam tuam agnoscamus, teq; ad mortem usq; constanter sequamur.

Intentio & præparatio.

Quando conceduntur Indulgentiæ.

OMnipotens DEUS, nec numerus, nec mensura est peccatorum meorum, quibus Divinam Majestatem tuam læsi, & hæc tu quidem per pœnitentiæ Sacramentum ritè confessa ignoscis, & remittis: sed tamen rei sumus temporalium pœnarum, quibus exolvendis opera nostra non sufficiunt. Quare ad inexhaustum thesaurum meritorum Salvatoris Nostri JESU Christi confugimus, & obsecramus, ut per illa debitæ pro nostris peccatis pœnæ indulgentiam & remissionem ad placitum ejus in terra Vicarii, cui potestas hæc commissa est, impetrare concedas.

Ideo enim præscripta in literis Apostolicis opera pro lucrandis Indulgentiis peragere in stitui; id unum humillimè deprecans amantissime Pater, ut hæc mea opera ex se prorsus exigua in unione meritorum Passionis, & mortis unigeniti Filii tui JESU Christi in satisfactionem admittere, & suscipere velis; & me de Indulgentiis his, & pœnarum temporalium remissione, participare concedas. Amen.

Si

Si lucrandæ ſint Indulgentiæ, non ſufficit Confeſſio, & Communio, ſed inſuper neceſſe eſt, ut illam Eccleſiam, in qua ſunt Indulgentiæ, viſites, ibiq; Communione percepta orationes recitari debent, pro exaltatione S. Romanæ Eccleſiæ, Hæreſum extirpatione, & Principum Chriſtianorum unione.

Formula orandi
Pro Indulgentiis conſequendis.

1. DEUS omnium fidelium Paſtor & Rector, cujus Spiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur, & regitur, quiq; gloriam tuam omnibus in Chriſto gentibus revelâſti, cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, ut Eccleſia tua toto orbe diffuſa, bonorum omnium incremento augeatur, & ſtabili fide in confeſſione tui nominis perſeveret, Per eundem &c.

2. DEUS largitor pacis, & amator charitatis da famulis tuis Regibus, & Principibus Chriſtianis veram cum tua voluntate concordiam, ut bellis, diſsenſionibus, & omni perturbatione ſubmota, ſecura tibi ſerviat Chriſtiana libertas. Per Dominum &c.

3. Omnipotens ſempiterne DEUS, qui neminem vis perire reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate depoſita, errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Dominum, &c.

Deinde ſepties Pater, & Ave cum Credo recitetur.

Formula orandi, poſt opera pro Indulgentiis peracta.

CLementissime DEUS, utinam quæ pro Indulgentiis requirebantur, eo modo, quo oporteret peregissem. Quidquid autem mihi defuit suppleant merita, suppleat sanguis Filii tui. Permitte igitur misericors DEUS, ut de his Indulgentiis participem, remitte, & dele pœnas, quas in hac, vel in altera vita pro peccatis meis sustinere deberem. Illumina me, ut gratiam hanc mihi exhibitam agnoscam, & tibi summo meo Benefactori æternas gratiarum actiones cum omnibus Angelis, & electis tuis referam.

Quando Indulgentia Communionis animæ in Purgatorio transcribitur.

AMabilissime JESU miserere animæ hujus N. lustrali incendio torridæ, pro cujus exemptione Indulgentiam hanc communionis meæ, & per eam divini sanguinis tui pretium infinitum, tibi offero. Fac ut hæc anima voracibus flammis liberetur, atq; in desideratissimos amoris tui amplexus volet! occupet rebellium olim Angelorum optatissimam sedem, ac concinat misericordias tuas in æternum, & ultra.

Deprecatio pro felici successu Sacræ Religionis

DOmine DEUS Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare, & conservare nos indignos servulos mille tibi votis, ac desideriis mancipatos. Tu fecisti cœlum, & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat Majestati tuæ. Et nunc Domine Rex DEUS Pa-

trum

trum nostrorum miserere congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Ne despicias Domine partem tuam, & hæreditatem tuam, quam tuo sanguine acquisivisti. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti, & funiculo tuo. Intende oculos pietatis tuæ in omnes Religionis nostræ Præsules, & Pastores, & fac eos super commissum tibi gregem fideliter excubare.

Converte oculos tuos misericordes in omnes Religiosos servos tuos, & Fratres nostros, quos de hoc sæculo nequam eripuisti, ad te benignè traxisti, ut hæreditatem capiant salutis. Da illis in virtute & vocatione profectum, & in cunctis fervorem accende. Da ut viventes per totum mundum laudemus nomen tuum Domine, & ne unquam claudas ora te canentium, Domine DEUS noster.

Postulatio gratiarum.

SIquidem bone JESU, sine gratia tua nihil boni fieri potest, quocirca peto à te dona, & auxilia ad meam, & proximorum salutem procurandam necessaria, peto auxilium gratiæ habitualis, Sanctificantis. Peto continuas gratias efficaces, excitantes, & cooperantes. Peto intensiores habitus virtutum, fidei, spei, charitatis, justitiæ, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis.

Largire dona, & fructus Spiritus sancti. Largire opera misericordiæ Spiritualis, & corporalis. Largire etiam gratias gratuitas ad salutem proximorum, & amplificandam gloriam tuam. Tribue gratiam orationis mentalis, & vocalis, examinis utriusq; frequentis recollectionis, silentii, intimæ tecum unionis, pietatis erga Virginem Beatissimam, cultûs erga SS. Patronos.

Concede, ut perfectè observentur Regulæ, & vota: paupertatis, castitatis, obedientiæ. Auge in me amorem vocationis, & da mihi Spiritum status, & aptitudinem ad omnia ejus munia peragenda. Da virtutes solidas, humilitatis, mortificationis heroicæ, & abnegationis in omnibus. sitim insatiabilem contemptûs, & injuriarum. Da, ut nunquam te peccato mortali, & veniali deliberato offendam. Da vitam plenam meritis, & tuo amore ferventem. Da perseverantiam in Religione, & felicem in optimo animæ meæ statu mortem.

Petitio brevior.

℣. *Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis.*
℟. *A templo Sancto tuo, quod est in Hierusalem.*

ORATIO

DEUS, qui nos à sæculi vanitate conversos ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, & gratiam nobis, quâ in te perseveremus, infunde, ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus, impleamus: & nostræ professionis executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es pertingamus. Per Christum Dominum nostrum.

Actus ad Virginem Beatissimam & Sanctos Patronos.

Formula dedicandi se Beatissimæ Virgini.

SAncta MARIA Mater DEI, & Virgo Immaculata, Ego N peccator vilissimus, undequaq; purissimo conspectu tuo indignissimus, impulsus desiderio tibi serviendi, ac fretus pietate tua singulari, coram benedicto Filio tuo, & curia cœlesti

lesti universa, dedico me tibi hodiè in servum & mancipium tuum, eligoq; te in singularem meam Dominam, Matrem, & Advocatam, & firmiter propono, me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid unquam dicturum, sed semper tuum honorem defensurum.

Te itaq; Virgo Sacrosancta per Sanguinem Filii tui JESU Christi oro, ut me inter alios Tibi devotos in servum perpetuum admittere digneris, adsisq; mihi in omnibus necessitatibus meis, & super omnia non me deseras in hora mortis meæ.

Christus proprio ore dictavit in Regula Salvat. c. 5. has duas Orationes.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui pro nobis de Castissima Virgine nasci dignatus es, fac nos quæsumus tibi casto corde servire, & humili mente placere.

Oramus te piissima Virgo MARIA, mundi Regina & Angelorum, ut eis, quos purgatorii examinat ignis, impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, justis in bono perseverantiam: nos quoq; fragiles ab instantibus defende periculis. Per Christum Dominum nostrum.

Beatissima V. M. hæc dixit S. Birgittæ l. 1. ejus Revelat. c. 8. Sic laudare debes me.

BEnedictus sis tu DEUS Creator omnium, qui in uterum MARIÆ Virginis descendere dignatus es.

Benedictus sis tu DEUS, qui cum MARIA Virgine esse sine gravamine voluisti, & de ea immaculatam carnem, sine peccato sumere dignatus es.

Bene-

Benedictus sis tu DEUS, qui ad Virginem cum gaudio animæ ejus venisti, & sine peccato, de ea processisti.

Benedictus sis tu DEUS, qui MARIAM Virginem Matrem tuam post Ascensionem tuam, crebris consolationibus lætificâsti, & per te ipsum, eam consolando visitâsti.

Benedictus sis tu DEUS, qui corpus, & animam MARIÆ Virginis Matris tuæ in cœlum, assumpsisti, & super omnes Angelos juxta Deitatem tuam honorificè collocâsti, miserere mei, propter preces ejus.

Devota ad B. V. Commendatio.

MEmorare piissima, & gloriosissima Virgo MARIA Mater misericordiarum, & totius consolationis, à sæculo non esse auditum, quemquam, ad tua præsidia currentem, tua implorantem auxilia, aut tua petentem suffragia à te Virgo MARIA derelictum. Idcirco tali animatus fiduciâ, ad te Virgo Virginum, Regina cœlorum, & Domina Angelorũ, ô MARIA Mater Domini nostri JESU Christi confugio, ad te stella maris curro; coram te miser & gemens assistò.

Noli ô Domina mundi, clementissimas aures tuæ pietatis ob ingratitudinem meam ad clamorem meum claudere. Noli Mater omnium ab omni benignitate me excludere: sed benignè fac mecum propter nomen Sanctum tuum. Noli porta cœli ob scelera mea jugiter obserari, sed reporta me ad portam gratiæ, á qua ingratus exivi, per quam tu mundo vitam & salutem reportâsti.

Noli Regina gloriæ, ob tuæ celsitudinis gloriam mei peccatoris oblivisci, sed memor esto

fragilitatis meæ, & adjuva me propter magnitudinem gloriæ tuæ. Noli solitam pietatis tuæ manum retrahere, sed tolle quod metuo, largire quô careo, indulge quod offendo. Noli æterni verbi Mater verba mea despicere, sed audi propitia, & exaudi me miserum ad te in hac lachrymarum valle clamantem, nunc, & semper, & in hora mortis meæ. O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA!

Pro felici morte ad Beatissimam.

O! Dulcissima JESU Mater, Virgo MARIA, Patrona mea, visceribus misericordiæ plena, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea, & improvisa superveniat, ne subito, & imparatus de hoc mundo transeam.

Ora pro me MARIA Virgo benedicta ob unigeniti Filii tui D. N. J. C. passionem, ac mortem amarissimam, ut peccati detestatione, diaboli & operum ejus abrenuntiatione, verâ contritione, purâ, & humili confessione, pœnitentia, & satisfactione, digna DEI acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Et fac mecum misericordiam tuam ô Beata V. M. Mater DEI in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingua se nequibit movere ad invocandum te; neq; oculi mei lucem capere poterunt, aüresq; meæ nulli voci patescent. Memor esto ô MARIA precum, quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & subveni mihi in illa ultima hora necessitatis meæ ut liberer à ministris diaboli, collocer cum Christi Fidelibus, Filii tui servis, & amicis. Amen.

Ad SS. Angelos, & SS. Patronos.

OMnes Sancti Angeli, & Archangeli, Omnes Sancti Throni, & Dominationes, Omnes Sancti Principatus, & Potestates, Omnes Sanctæ virtutes cœlorum. Omnes SS. Cherubim & Seraphim. Omnes. SS. Patriarchæ, & Prophetæ Omnes Sancti Apostoli, & Evangelistæ, Omnes SS. Martyres, & Confessores. Omnes SS. Episcopi, & Doctores. Omnes SS. Sacerdotes, & Levitæ. Omnes SS. Monachi, & Eremitæ. Omnes SS. Virgines, & Viduæ. Omnes SS. Conjugati, & Innocentes. Omnes Sancti, & Sanctæ DEI. Et præsertim S. Michaël. S. Gabriel, S. Raphaël, S. Petre, S. Paule, S. Joannes, S. Andrea. S. Benedicte. S. Bernarde, S. Augustine. S. Dominice. S. Francisce, S. Ignati. S. Antoni. S. Casimire orate, & intercedite pro me indigno peccatore. Vestrâ me tutelâ undiq; hostibus irruentibus vallate, ut non accedat ad me malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo meo. Venite in subsidium fortissimi Athletæ, ut auxilio vestro ultionem videam ex inimicis meis, & vobiscum in æternum laudem, & glorificem Dominum DEUM nostrum in terra viventium, Amen.

Ad Angelum Custodem.

ANgele DEI Sacratissime, mihi à DEO in custodiam deputate gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quæ mihi in corpore, & anima unquam exhibuisti.

Laudo, & glorifico te, quòd mihi miserrimo tám fideliter adstare atq; me contra omnes hostium insultus tueri dignaris. Bene-

Benedicta sit illa hora, quâ mihi in custodiam datus, & in defensorem atq; Patronum deputatus es.

Benedicta sit tua in me charitas, omnisq; tua solicitudo, quâ salutem meam promovere non cessas.

In recompensationem omnium obsequiorum mihi à juventute exhibitorum, offero tibi nobilissimum Cor JESU Christi: rogans mihi ignosci, quòd toties Sanctis tuis inspirationibus renitendo, te contristaverim: firmitér nunc propono tibi obedire, DEOq; meo fideliter servire.

Ad S. Joannem Evangelistam pro conservanda castitate.

ANtiph: Iste est Joannes, qui supra pectus in cœna recubuit; beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. ℣. Hic est Discipulus. ℟. Quem diligebat Jesus.

Oratio.

PEctoris illius delicias, & Divinissimi cordis dulcedinem, supra quod felicissime decubuisti S. Joannes, ad nos quoq; famulos tuos feliciter extende, ut abjectis mundi illecebris, in puro Christi amore quiescamus, Per &c.

Ad S. Josephum

ANtiph: Salve Patriarcharum decus, & Ecclesiæ Sanctæ DEI Oeconome, qui panem vitæ, & frumentum Electorum conservâsti.

℣. Ora pro nobis castissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi

Oratio.

VIrginum Custos, & Pater S. Joseph, cujus fideli custodiæ ipsa innocentia Christus Jesus, & Vir-

& Virgo Virginum MARIA in terris commissa fuit; te per utrumq; charissimum pignus tuum JESUM, & MARIAM obsecro & obtestor, ut me ab omni immunditia præservatum mente intaminata, puro corde, & casto corpore, JESU, & MARIÆ semper facias castissimè famulari, Per &c.

Votiva ad eundem Sanctum.

SAnctissime Joseph MARIÆ Matris DEI, & Virginis Sponse, periclitantium & agonizantium Advocate. Ego N. te hodie coram JESU & MARIA Sponsa Tua, in Dominum, Patronum, & Advocatum pro tota vita mea, & morte eligo, firmiterq; statuo ac propono me nunquam te derelicturum, neq; contra te aliquid unquam dicturum, neq; permissurum, ut á meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur.

Suscipe me ergo in servum tuum, & me MARIÆ Sponsæ Tuæ in perpetuam protectionem, & in æternas JESU misericordias commenda, adsis mihi in omnibus actionibus meis, quas omnes offero in perpetuum, ad majorem JESU, MARIÆ, & tuam gloriam, nec me deseras in hora mortis; ad quam Te nunc Sanctum Patronum invito: ut tunc quod possibilitas mea non obtinet, tuâ mibi intercessione donetur. Per JESUM Deum animæ meæ.

Gratias tibi Deus meus, pro omni donorum thesauro, quem in JESUM, MARIAM, & S. Josephum effudisti.

Gratias tibi ago dulcissime JESU, & Tibi SS. Virgo MARIA, pro omni amore & benevolentia, ac honore, quo Sanctum Josephum complexi estis.

Gratias

Gratias tibi S. Joſeph, pro omnibus laboribus, & doloribus, quos pro JESU, & MARIA libentiſſimè ſuſtinuiſti.

Gratias vobis omnes Sancti, & Sanctæ Dei, quæ peculiari ſtudio JESUM, MARIAM, JOSEPHUM coluiſtis: adeſte mihi vos omnes una cum JESU, MARIA, JOSEPHO, ſemper, ſed potiſſimum hinc migranti.

Per merita Agni immaculati JESU Chriſti, ex quo eſt fons omnis puritatis, & per immaculatam Conceptionem, SS. Virginitatem, & innocentiſſimam puritatem Beatæ ſemper Virginis Matris DEI MARIÆ, & interceſſionem caſtiſſimi Sponſi ejus JOSEPHI emundetur, & immaculatum conſervetur cor, & corpus meum. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

Ad S. Antonium de Padua.

Reſponſorium à S. Bonaventura conſcriptum.

SI quæris miracula, mors, error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt, Ægri ſurgunt ſani. Cedunt mare, vincula, membra, reſq; perditas petunt, & accipiunt juvenes, & Cani. Pereunt pericula, ceſſat & neceſſitas, narrent hi, qui ſentiunt, dicant Paduani. Cedunt mare &c.

℣. Ora pro nobis B. Antoni Prædicator egregie.

℟. Ut interveniente tuâ gratiâ percipiamus cœleſtis vitæ gaudia.

Oratio.

CLementiſſime Domine JESU Chriſte, qui B. Antonium Confeſſorem Tuum perpetuis illuſtras miraculorum ſplendoribus, concede propitius, ut per ejus merita pacem Regni iſtius, & gratiam conſequamur æternam.

San-

Sanctissime famule DEI Antoni, qui infer opera mirabilia, in quibus elucet, meritorum tuorum efficacia, ad conquirendas res perditas accurris, assistis, & instruis. Quæsumus, nobis deperditam gratiam reperire, certantibus benigne subveni, ut illam amissam, & gloriam promissam percipere mereamur, Per Christum Dominum.

Ad S. Barbaram.

Henricus Koch ad ossa usq. exustus sequenti oratione meruit esse superstes. *Surius 4. Decembris*

O Sanctissima Virgo Barbara, quodcunq; Sponsi Tui viribûs potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites; adjuva me miserum, ne in peccatis moriar: effectum hunc habeat tuâ intercessione primitus à Christo tibi facta promissio, cum fidem ejus tuo sanguine consecrares: Redeat in memoriam Sponso Tuo Virgineus collo tuo exuberans sanguis: recordetur ardentissimæ tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittas, nisi confessione expiatam, & SS. Eucharistiæ Sacramentò refectam, Amen.

Ad S. Annam.

ANna pia Joachim, Dominam magnam genuit, Beatam MARIAM Genitricem Domini.

℣. Valde honoranda est Beata Anna.

℟. Quæ cœli Reginam genuit.

Oremus.

DEUS, qui Beatæ Annæ tantam gratiam donare dignatus es, ut Beatissimam MARIAM Matrem tuam in suo utero glorioso portare mereretur: da nobis, quæsumus, per intercessionem Matris, & filiæ tuæ propitiationis abundantiam

dantiam, ut quarum memoriam pio amore complectimur, earum meritis, & precibus ad cœlestem Jerusalem pervenire mereamur. Qui vivis, & regnas per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ad S. Bernardum.

BEatus Bernardus ab infantia spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer docilis, & amabilis valdè.

℣. Ora pro nobis Beate Bernarde.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus

PErfice, quæsumus Domine pium in nobis sanctæ religionis affectum, & ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, B. Bernardus Abbas, & Doctor egregius, suis apud te semper pro nobis meritis, & precibus intercedat. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Ad S. Patronum cujus nomen in baptismate sortitus es.

O! Beatissime N. patrone fidelissime, invictissime miles purpurati exercitûs. Substerno me tibi in servum perpetuum, commendo vitam & mortem meam, maximè autem extremum spiritum meum.

Obsecro mi Patrone sanctissime per amorem, quo tam ferventer DEO adhæsisti, ut nunc liberari possim à cunctis malis animæ, corporis, ac te Duce & Comite securior pervenire merear ad vitam æternam.

O! DEUS Omnipotens, & misericors, nomen meum mellifluo nomini tuo digneris subscribere in libro vitæ, & qui me famulum tuum Sancti tui N. nomine voluisti gaudere; da ut

in omni-

in omnibus tibi placitis ejus vestigiis insistam, & tandem cum illo Beatissimam Faciem tuam contemplari valeam.

Contra pestem, & quosvis morbos contagiosos.

REcordare Domine testamenti tui, & dic Angelo percutienti, cesset jam manus tua, & non desoletur terra, ne perdas omnem animam vivam

℣. Adjuva nos DEUS salutaris noster.

℞. Et propitius esto peccatis nostris.

Domine exaudi orationem &c.

Oremus.

PReces populi tui Domine clementer exaudi, ut qui justè pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria liberemur.

DEUS, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum: populum tuum ad te revertentem propitius respice, ut dum tibi devotus existit, iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoveas.

Da nobis quæsumus Domine, piæ supplicationis effectum, morbosq; pestilentiales à nobis propitiatus averte: ut mortalium corda cognoscant, à te indignante talia flagella prodire. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Sæviente peste Conimbriæ 1317. *Moniales S. Claræ quotidianâ, quâ palam, quâ privatim, hujus, quam subdo, Antiphonæ recitatione, immunes à peste servatas esse. atq; illam eis à S. Bartholomæo Apostolo mendici specie spectandum se illis præbente, allatam esse, affirmat post alios Valdingus apud Marracium in Apostolis Mar:* c. 10. pag: 222.

Stella cœli extirpavit.
(Quæ lactavit Dominum)
Mortem pestis, quam plantavit,
Primus Parens hominum.

Ipsa

Ipſa ſtella nunc dignetur
Sidera compeſcere·
Quorum bella plebem cædunt
Diræ mortis ulcere:
O piiſſima Stella maris
A peſte ſuccurre nobis,
Audi nos Domina.
Nam filius tuus nihil negans Te honorat.
Salva nos, JESU, pro quibus Virgo Mater orat.

℣. Ora pro nobis S. Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

DEUS miſericordiæ, DEUS pietatis, DEUS indulgentiæ, qui miſertus es ſuper afflictionem populi tui, & dixiſti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam: ob amorem illius ſtellæ glorioſæ, cujus ubera pretioſa contra venena delictorum, quàm dulciter ſuxiſti; præſta auxilium gratiæ tuæ. ut ab omni peſte, & improviſa morte ſecurè liberemur, & a totius perditionis incurſu miſericorditer ſalvemur. Per te JESU Chriſte Rex gloriæ, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Modus honorandi quemcumq; Sanctorum in ejus feſtivitate.

O! DEUS æterne infinitarum perfectionum Author, adoro te creatura tua. ut ſupremum rerum omnium Dominum, & Principium omnium donorum, naturæ, gratiæ, & gloriæ, quibus S. N. in terra ornâſti, & nunc ornas in cœlis.

Gratias tibi bone JESU, gratias Sanguini tuo, ex quo omnia Sancti hujus merita fluxerunt.

Gratias tibi o Patrone fideliſſime ob tuos iſtos

amores, quibus Divinam Majestatem olim in terris, & nunc amas in cœlis. Gratias tuo benedicto cordi, gratias sanguini (si est Martyr) quem effudisti.

Gratias ob tot exempla virtutum nobis relicta, & beneficia multis per merita tua collata.

Benedicta sit Beata Virgo MARIA, benedicti Sancti Patroni, & Angeli Custodes, quorum ope ad hunc paradisi gloriam pervenisti.

Confundor & erubesco, quod vitiis meis sim adeò tibi dissimilis, & præsertim tuæ puritati.

Recipio te in Patronum & Advocatum meum, ac me tibi trado in servum & clientem in vita & in morte.

O S. Patrone cœli Princeps, per amorem JESU & MARIÆ, impetra Ecclesiæ Sanctæ pacem, omnium infidelium, Hæreticorum, ac peccatorum conversionem.

Offero tibi ô SS. TRINITAS mèrita omnia SS. Patroni mei ad gustum divinissimi cordis tui, & gaudeo de omni amore & servitio, quod exhibuit tibi fidelis iste servus tuus.

Offero preces omnes, quæ in ejus honorem funduntur, ut ante Tribunal tuum Altissime DEUS præsententur, & per eas mihi benefacias.

Gratulor tibi ô S. Patrone, de omni honore & cultu, quem in terra habes, & quem in regno gloriæ consecutus es.

Actus Antemeridiani.

MEmento Domine per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, per merita Beatissimæ Virginis MARIÆ ac Omnium Sanctorum & Electorum tuorum, inprimis Ecclesiæ Sponsæ tuæ: auge in ea fidei puritatem, & labore virorum Apostolicorum dilata eam toto orbe terrarum,

Da

Da Summo Pontifici noſtro N. Spiritus Sancti abundantiam, ut populo ſibi commiſſo verbo & exemplo præluceat. Intende oculos pietatis tuæ in univerſos Eccleſiæ Præſules & Paſtores, & fac eos ſuper gregem ſibi commiſſum fideliter excubare.

Adeſto Parochis, & Presbyteris, & omni Clero, ut nulli præbeant ſcandali occaſionem, diligant puritatem, & ea ſequantur, quæ pacis ſunt.

Eſto propitius omnibus Religioſis, da illis continuum in virtute profectum, votorumq; ac regularum exactiſſimam obſervantiam. Da huic domui bonorum temporalium ſufficientiam, & Spiritum excita in Prælatis noſtris, & in cunctis fervorem accende.

Effunde miſerationes tuas Domine, Princeps Regum terræ in omnes Reges, & Catholicos Principes, eisq; tribue in obedientia fidei & Eccleſiæ perſeverantem famulatum, ſubditorum curam, juſtitiæ zelum, & obſervantiam mandatorum tuorum.

Da Virginibus continentiam & caſtitatem, conjugatis ſanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis ſuſtentationem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum, juſtis perſeverantiam; bonis ut meliores fiant, tepidis ut ferveſcant, malis & peccatoribus, qualem me dolens eſſe confiteor, ut convertantur.

Conſerva Cœlum in ſalubritate, terram in fertilitate, mundum in providentia ex omni parte ſufficienti.

Reſpice omnes ægrotos, tentatos, afflictos, agonizantes incarceratos, & in aliquo periculo, vel neceſſitate conſtitutos, da illis auxilium & conſolationem, prout expedit ad gloriam tuam, & ſalutem illorum.

Miserere Domine omnium consanguineorum meorum, affinium, amicorum. Miserere inimicorum meorum, quos intime amore tui diligo; Miserere omnium, quos ego scandalizavi & offendi.

Respice etiam Clementissime Domine Paganos, Turcas, Idololatras, Hæreticos, Schismaticos, Judæos, & gentes omnes à fide alienas, collustra eas Domine veritatis tuæ splendore, ne pereant tot imagines tuæ, pro quibus pretiosus Filii tui Sanguis effusus est.

Memento demum Rex æterne cui omnia vivunt, animarum omnium fidelium defunctorum præcipuè earum, quæ suis carent suffragiis, & pro quibus orare teneor. Extingue earum ardorem optato rore misericordiæ tuæ, & citò purgatas in conspectum tuum admitte.

Pro me ipso tandem infelicissimo Clementiam tuam humillimé imploro. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuã, Dona mihi virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere & amare cœlestia.

Actus Meridiani.

O! Candor lucis æternæ, Domine mi JESU! ô ignis, qui dulciter ardes, secrete luces, suaviter odoras! quando? o quando nox ista sicut dies illuminabitur, in qua tuo in lumine videbo lumen tuum?

O quando veniet dies illa, cui nox non succedit, quæ temporum vices nescit, sed semper lucet & diescit?

Quando mi suavissime JESU flammis tuæ immensæ charitatis transflammatus, ego Te solo, & Te solum ardere incipiam? quando ardescet,

ſcet pigrum frigus meum igne tuo, & accenſus in te, parvus erit mihi omnis amor, quo creatura quævis diligit te? quando mi JESU vitali amoris tui morte moriar, igne tuo conſumptus favileſcam, abiboq; in cineres dilectionis tuæ?

O Domine! quando ero tuus totus, & tu meus? quando ſuſpenſus de te, deficiam à me, & tranſibo in te? quando in loco tabernaculi admirabilis reficiar in admiratione gloriæ tuæ? quando guſtabo & videbo, quàm ſuavis ſis D. JESU?

Quanti mercenarii abundant in domo Patris mei panibus, & ego hic fame pereo? ô ſi citius poſſem ſurgere, & ire ad Patrem meum. Quamvis verò iſte panis non ſit dandus canibus, quorum unum me meum facit peccatum, attamen & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.

O DEUS cordis mei! quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te fontem vivum.

Quis indicabit mihi, quem diligit anima mea, ubi cubet in illo meridie, ubi paſcat? & quando requieſcam in meridie illo: meridie jucunditatis & lætitiæ? O meridies præclarus neſciens veſperum, non habens occaſum!

Veni ſuſpirata quies amantis animæ meæ, ut nulli mihi dies, nullæ noctes eant ſine te, nullus mihi ſomnus, nulla requies ſine te: te ſolum eſuriam, & ſitiam, qui paſceris inter lilia, mi JESU ſuaviſſime.

Actus ante refectionem.

LIberaliſſime Domine, illinè tu eſcam dabis, qui te non ſemel conviciis & opprobriis saturavit? cur me potius non enecabis fame? cur

talem

talem escam aliis melioribus non providisti? Indignus enim sum rationalis creaturæ cibis, & pane Filiorum, qui jumentis insipientibus similis factus sum propter innumera peccata mea.

O! immensam vim benignitatis tuæ, quâ vilissimum servum pœnis duntaxat dignum, tot bonis cumulare non cessas? O! quot pauperes fame pereunt, cum mihi indignissimo nihil desit! Da mihi Domine operari non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

Gratias tibi ago ô DEUS meus! Misericordia mea! qui pascis me à juventute mea, & usq; nunc aperis manum tuam, & imples me, licet indignum animal benedictione.

O! si tam devotè, temperanter, modestè vires corporis mei reficere possem, bone JESU, sicut tu olim in terris.

Decerno temperatissimè Domine escâ & potu ideo tantum uti, ut natura ad serviendum tibi consistat. Nolo Domine ullam in mensæ voluptatem percipere, memor fellis & aceti, quod ipse gustasti. Vellem potius Domine, ut ea, quæ sumpturus sum, absinthium saperent propter te.

Tibi Domine hoc corpus meum nutrio, non mihi, tibi hanc vitam conservo. Si possem vivere & vires tibi serviendi habere sine ulla esca, ne aspicerem quidem illam ob meam delectationem, sed quia tu ita ordinasti, ita vis, comedo tibi, & propter te ex puro amore tui. Ac ideo subministra cibum & potum corpori meo, ut te reficiam in me, qui toties in Sanctissimo SACRAMENTO venis ad me.

Benedic Domine & delectare in refectione mea sicut delectatur herus super jumento, aut servulo, quem refici videt in obsequium sibi.

In

In ipsa refectione condimentum spirituale.

PAter! da mihi portionem substantiæ, quæ me concernit. Sed portio mea tu es DEUS meus, aliam nec quæro, nec admitto.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.

Tu es sitis cordis mei DEUS meus, quò te plùs gusto, plus esurio; quò plus bibo, plus sitio.

O mi DEUS! utinam sic consumar amore tui, sicut hic cibus consumitur. Utinam tot millenis cordibus te amem, quot guttæ in potu, micæ in cibo.

Virtus tui divini àmoris me totum tibi incorporet amantissime JESU.

Tu es spes mea Domine, portio mea in terra viventium. Tù scis Domine, quia sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita ego sitio amorem tuum.

Intingo Domine omnes micas, quas sumo, in phlegmate consputæ faciei tuæ. Utinam Domine JESU felle, quod gustasti, omnia mea prandia condiantur.

O Cœna magna! quando accumbam ad te? ô torrens voluptatis! quando potabis me? Quanti mercenarii abundant in domo Patris mei panibus, & ego hic fame pereo?

O quam millies felicior esses anima mea! si colligeres micas, quæ cadebant de Manibus JESU, nunc in deserto, quando illi ministrabant Angeli, nunc in domo Pharisæi, ubi Magdalena lacrymis rigavit pedes ejus O si etiam in societate Virginis MATRIS puerum JESUM pascentis, hunc cibum sumeres!

O JESU

O JESU felle & aceto potate! omnes qui nobis benefaciendo providerunt, & eos, qui ante me hic refecti sunt, obsecro educ de tenebris, & in Patria refice.

Post sumptam refectionem.

BEnedicimus DEUM cœli, & coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri &c.

Quid mihi ex hac refectione accessit sanguinis & vitæ, aut etiam accedere potuisset, totũ id vestrum sit, quibus offero, corpus in victimam, vitam in holocaustum JESU & MARIA.

Consideranda circa refectionem.

MEnsæ accumbens devotè, decenter, circumspectè consueta corporis alimenta sume, memor illius D. Pauli 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam DEI facite.* Et illius S. Bernardi: Observandus est cibi modus, & tempus, quantitas & qualitas, fugienda quoq; sunt superflua & adulterina condimenta. Observandus est modus, ut non effundat, qui comedit, animam suam, super omnem cibum. Tempus, ne ante horam. Qualitas, quibus utitur communitas fraternitatis, exceptâ causa manifesta infirmitatis.

Imprime etiam menti illa D. Basilii verba, in cit. Apostoli locum: Is manducat & bibit ad gloriam DEI, quando beneficiorum erga se memoriam conservat, & talem animi affectionem retinet, quæ etiam ex compositione corporis decla-

declaretur, ut non omnino securus manducet, sed ut qui habet Inspectorem DEUM, propositumq; habet manducandi, non ut ventris mancipium propter voluptatem, sed tanquam operarius DEI, ut in operibus firmior esse possit.

Deinde præterquam, quòd devotè & decenter consueta corporis alimenta sumenda tibi sint, etiam servanda tibi moderatio, & surgendum, necesse est à mensa cum fame, ad memoriam reducenda Sanctorum in cibo parcitas, qui cum S. Job dicebant: Antequam comedam, suspiro. SS. Hilarion & Hieronymus carni suæ, & corpori tanquam jumento insipienti frequenter ingeminarunt. Ego aselle faciam, ut non calcitres: non te hordeo pascam, sed paleis, fame te conficiam & siti, gravi onerabo pondere, ut cibum potiùs, quam lasciviam cogites.

S. Pachomius exhalaturus ultimum spiritum hæc protulit ultima verba: Tu nosti Domine, quia ex quo suscepi hunc habitum Monachi, nunquam satiatus sum pane & aqua; vel quâlibet creaturâ aliâ, quam fecisti.

Evagrius, Niceforo teste l. 11. c. 43. Macarium Anachoretam sub meridie revisit, cumq; fatigatione ac siti exhaustus frigidam postularet, Macarius ad illum placidè: Mi fili, ait, contentus esto hâc umbrâ: multi enim viatores, & navigantes eâ nunc carent. Evagrius vir mitioris ingenii, ad tranquillitatem se componens, de temperantia cœpit disserere. Cui Macarius. Confide, ô fili, ait, & bono esto animo; ego jam totis viginti annis neq; panem, neq; aquam, neq; somnum ad satietatem admisi. Et panem quidem ad modicum libellæ pondus comedi, aquam ad mensuram parcissimam bibi; cum ve-

rò

rò fatigatio me cogeret, parieti acclinis, exiguam somni partem rapui: Hæc meæ vitæ methodus est.

Referebant quidam Fratres de Abbate Niceta, qui fuit discipulus Abbatis Silvani, quia quando in cella sua in monte Sina degebat, moderatè abstinebat pro necessitate corporis: quando autem Episcopus ordinatus est in Faran, nimis constrinxit seipsum abstinentiâ diutinâ, & in vigiliis propensius, atq; in orationibus intentius agebat. Hæc autem videns discipulus ejus dixit ei: Quid est Domine hoc, quia quando in eremo conversabamur, non tantum in abstinentia laborabas? Respondit ei Beatus vir dicens: Considera frater, quoniam ibi eremus erat, & secreta vita, ac paupertas; nunc autem egressi de eremo, cum sæcularibus conversamur hominibus, & multæ ac variæ nobis occasiones occurrunt, & ideo timeo, ne in fine vitæ meæ aliqua occasione DEUM offendamus. Si enim S. Apostolus Paulus, qui Christum in se loquentem habebat, & qui tantas virtutes animi possidebat, ut usq; ad tertium cœlum, adhuc in corpore positus ascenderet, tamen dicebat: Macero corpus meum, & servituti subjicio, ne forsan aliis prædicans, ipse reprobus inveniar: quid nos humiles, & peccatores facere oportet?

Actus Pomeridiani.

O Bonitas! ô misericordia DEUS meus! quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? en vilissimus terræ vermiculus immensas tibi gratias ago.

Quia ex æternitate vidisti, & dilexisti me (ut de tua misericordia spero) me ad gloriam tu-

am.

am efficaciter elegisti, & per convenientia media ad eam prædestinasti.

Quia per Creationem me ex nihilo condidisti, ad tuam imaginem & similitudinem fecisti, & innumeris donis in anima & corpore ditasti.

Quia me & omnia propter me tam longâ duratione conservas, sine cujus actuali concursu in nihilum rediremus, nec possemus uno momento subsistere.

Quia me pretioso Vulnerum tuorum sanguine redemisti, & per merita ac passiones tuas à servitute diaboli liberasti.

Quia me cum paucis respectu multorum ad Ecclesiam tuam, & ad tui cognitionem & obsequium vocasti.

Quia me cum paucissimis ad statum Religiosum, & ad hunc amabilissimum, quem profiteor, misericorditer adduxisti.

Quia Sacramentis, inspirationibus, Sanctorum exemplis, spiritualibus libris, & aliis plurimis mediis ad bonam vitam adjuvisti, & adjuvare non cessas.

Quia me ab innumerabilibus periculis perdendi gratiam liberasti & liberare non desinis.

Quia plurimis donis tum internis, tum externis, tum naturæ, tum gratiæ ditasti.

Quia mihi (ut spero) ab æterno certum, secundum tuam prædestinationem gradum gloriæ efficaciter præparasti.

Quia me hodie ad orationem & tui colloquium admisisti (pretioso Corpore & Sanguine satiasti) & per totam vitam infinitis aliis beneficiis, ac postea per totam æternitatem afficies.

Insuper gratias tibi Domine, quia cujusvis benignè provides corpori & animæ, & das e-

scam

ſcam omnibus in tempore oportuno! Neq; tantum hominibus, ſed & jumentis das eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus te. Ergo pro omnibus & in omnibus ſis benedictus in æternum.

Actus antevespertini.

O Quam ſerò te cognovi ô pulchritudo divina! ô quàm ſerò amavi te bonitas infinita! Tu ab æterno, quid eſt ex quo tu DEUS! & DEUS, amaſti me, & ego primo inſtanti, in quo eſſe cæpi, non amavi te, imò dies mei tranſierunt non amando te.

Agnoſco beneficentiſſime DEUS! divinam tuam in me liberalitatem, tot beneficiis teſtatam: quoties cogitaſti de me, quot vixi momentis: tot meis obſequiis dignam. quot habeo mentis cogitationes, animi affectus, corporis membra. reſpirandi vires.

Quid verò, & quando mi Domine, pro his omnibus retribuam tibi? En jam corpus meum in dies ruinam ac occaſum minatur, mors continuò inſidiatur, & in brevi, poſt lucem in tenebris ſternam lectulum meum; adeoq; dum claudentur oculi mei, lingua mea etiam & cor meum in tuis deficient laudibus.

Proinde mi DEUS! ſaltem ex hâc horâ volo eum gratia tua. & deſidero omnes dies vitæ meæ, omnes horas & momenta impendere cum fructu. Opto quovis reſpirio ac ſuſpirio meo millies ac millies tendere ad te, mille obſequiis ſervire tibi. mille cordibus amare te.

Inſuper omnia bona opera poſt exitum meum è vita hac, usq; ad tempora Antichriſti, tibi in toto mundo impendenda, nunc offero, dono, ac dedico. Præcipuè offero tibi mi DEUS!

US! omnium Sanctorum Angelorum ac beatorum Comprehensorum, incendia amoris, adorationes, tibi impendendas in Patria.

Anticipatè etiam repræsento omnium electorum tuorum in via persecutiones, animarum conversiones, dolores, ac labores, omnes mortificationes & Martyria. Omnia demum sacrificia in toto orbe celebranda.

Quidquid etiam in omnibus, qui edentur libris ad ultimum diem judicii, virtutum, piorum affectuum & amorosissimorum actuum tibi placentium, modorumq; eos eliciendi describetur, tibi offero, his affectibus te nunc laudo, & ab omnibus per totum orbem exaltari cupio.

Quidquid sive ulla creata voluntas tibi gratum volet; sive intellectus intelliget, aliquid factibile quod tibi placeat; Imo quidquid ut ipse scis fieri posse tibi acceptum, adeoq; quam acceptissimum, id omne approbo tibi, voloque.

O si etiam mi DEUS! possem cineres meos dum in illos corpus meum redactum fuerit, convertere in linguas & corda æstuantissima, quibus ad extremum judicii diem intensissimè amarem ac laudarem te! omnia ossa mea dicerent, Domine quis similis tibi.

Actus euntis dormitum,

CRedo Domine, quidquid de te credit S. Romana Ecclesia, & quidquid illa damnat, ego damno & anathematizo, imo pro hac fide sum paratus ac opto mori.

Spero Domine etiamsi vilis, indignus, & abjectus homuncio in abysso misericordiarum tuarum, & in sanguine tuo cum tanta charitate

pro

pro me effufo, quia me falvum facies, & in carne mea videbo te DEUM, Salvatorem meum

Amo te ô DEUS cordis mei, & amare volo in æternum. Et quia parum amo te, eum amorem, quo anima Christi, Beatiffima Virgo, & omnes Sancti te amârunt, imo infinitum, quo te ipsum amas, tibi offero, & fi poffem omni ifto amore, vellem te amare in perpetuum.

Laudo & approbo omnia bona opera facta in toto mundo, & deinceps ad finem mundi facienda, & fi poffem ea millies nunc vellem multiplicare ad gloriam tuam.

Gratias tibi Domine pro beneficiis propriis; communibus; gratias tibi pro beneficiis cujuscunq; quantumvis irrationali creaturæ hodie conceffis.

Doleo mi JESU, quod te fummum bonum, bonum infinitum, bonum amabiliffimum toties hodie & tam graviter offenderim, & doleo ex corde, non propter amiffionem cœli, aut metum inferni, fed ob amorem tui folius.

Deteftor fimul & abominor peccata totius mundi, hodie præcipuè commiffa. Opto ex animo, ut compenfari aliquatenus meo fanguine poffent.

Proteftor coram te Domine, quòdq; millies potius impendere eligam vitam, quàm pofthac ulli peccato etiam veniali confentiam. Hucusq; fit terminus delictorum meorum, & non ultra in æternum.

Parco Domine omnibus, qui me aliqua moleftiâ in vita affecerunt, & eos propter te fincerè amo.

Offero me ad omnem nutum divinæ volun-

tatis

tatis tuæ. Visne bone JESU! ut hac nocte moriar? lubens moriar. Offero me & ad omnia mala pœnæ toleranda, etiam ad ipsas infernales pœnas, renuntians judicio, voluntati, amori meo proprio.

Et quia vitæ & salutis incertus velut sepulchrum ingredior, somnum capturus, voveo (si es Religiosus) coram totâ curia cœlesti, paupertatem, Castitatem, & obedientiam.

Omnia quæ feci, aut facere debui, substerno pedibus JESU. Et quia non implevi mensuram meritorum meorum, quam hodie implere debui, investio me superexcessivo sanguine Domini JESU, quia quod potuit sanguinis gutta, redemit unda.

Sacratissima JESU & MARIÆ nomina vesperi ante somnum, digito in fronte efformare contra mortem repentinam, docuit ipse Christus Dominus S. Edmundum Cantuari Episcopum. Tu similiter fac.

PEr signum † Sanctæ Crucis de inimicis meis, libera me DEUS noster. (hoc ter dicat) Procul recedant somnia & noctium phantasmata, hostemq; nostrum comprime, ne polluantur corpora.

Dignare Domine nocte istâ sine peccato me custodire. Miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam.

Pax Domini nostri JESU Christi & Virtus sacratissimæ Passionis ejus, signum S. Crucis: & titulus triumphalis: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Integritas quoq; Beatæ MARIÆ Virginis, Custodia SS. Angelorum & suffragia omnium Electorum, sint inter me, & omnes inimicos meos. O cor

O cor JESU dulcissimum! tibi commendo hâc nocte cor & corpus meum, ut in te dulciter requiescat. Et quoniam ego obdormiturus DEUM laudare nequeo, hoc tuum mi JESU suavissimum Cor pro me supplere dignetur.

Sancte Angele Custos, SS. Patroni mei, vos etiam pro me assistite SS. TRINITATI; Humanitati Christi Domini, & Beatissimæ Virgini Matri; SS. Patroni mei ad quorum Ecclesiam vivo, assistite SS. Eucharistiæ, in persona vestri mancipii adorate, laudate, benedicite perpetuò, & non interruptè DEUM, Humanitatem Christi Domini Virginem Beatissimam Dominam meam.

JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM præservet me à subitanea morte. JESU sis mihi JESUS, Virgo MARIA sis mecum in via. Omnes Sancti & Sanctæ DEI intercedite pro me. Nos cum prole pia benedicat Virgo MARIA.

O JESU MARIA JOSEPH! dono vobis cor & animam meam.

Cum jam decumbis.

ANtequam obdormiscas breviter tecum revolvere poteris, quibus illi, qui infernalem regionem incolunt, lectis utantur: quam etiam mollibus lectis ii, qui amæna cœlestis paradisi loca inhabitant, accubent. Posteà immaginare te somnum capturum, esse circumdatum ab Angelis qui custodiæ tuæ invigilent. Vel mente concipe te aliquando cum CHRISTO dormire in stabulo, vel in deserto: aut in carcere Caiphæ, aut sub Cruce. Sic tibi nox, sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis.

Aspira-

Aſpirationes.

Si quando nocti evigilare contingat.

Beati qui habitant in domo tua Domine (ubi neq; nox, neq; mortis umbra, ſomnus eſt) in ſæcula ſeculorum laudabunt te.

Approbo & renovo, quantum poſſum, omnes benedictiones & affectus, quos nunc in cœlo electi tibi DEO deferunt, & ſine fine concinunt: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.

Offero omnia Sacrificia, quæ in altero Orbe nunc fiunt, & quidquid uſpiam tibi DEO gratum agitur, Omnium Religioſorum pſallentium affectus, per MARIAM tibi ô JESU, per JESUM tibi Pater Sancte offero.

Benedicta ſit illa noctis hora, quâ Dominus meus JESUS CHRISTUS, quondam erat pro me pernoctans in oratione DEI; & in qua patiebatur, quæcunq; volebant carnifices crudeles!

O Crux, ô Corona ſpinea! quam durum lectulum præbuiſti JESU Salvatori meo. In hoc lectulo dormiam & requieſcam in cogitatione animæ meæ.

O Domine JESU! utinam feliciter obdormiam in ſinu amoris tui. & lux perpetua luceat mihi in lumine viventium, videntium & amantium te.

Peto mi JESU & deſidero, ut cunctæ reſpirationes meæ hâc nocte, ſint aſpirationes & actus ardentiſſimi amoris tui.

Cuſtodi me ut rem tuam Domine, & dum ego dormio, humanitas tua dignetur pro me laudare, amare, magnificare DEUM Noſtrum. Magnificet etiam pro me anima tua Dominum ô MARIA.

O ſi etiam animus meus ad amoris lucernam

vigil hæreret, dum somnum corpus capit, ita ut dicere possem cum Sponsa: Ego dormio & Cor meum vigilat.

Detestor omnia nequam phantasmata, & quidquid tibi DEO displicere posset contra voluntatem meam esse ac fore protestor.

Tibi lectulum, tibi somnum, tibi corpus & animam, ac motus omnes, quidquid sum & possum, tibi Domine dedico & devoveo.

S. Gertrudis cum quodam tempore dormire non posset, hanc Orationem à Christo didicit. l. 3. c. 25.

PEr tranquillissimam suavitatem, quâ ab æterno in sinu DEI Patris accubuisti: & per amænissimam pausationem in utero Virginali, quâ novem mensibus quievisti, & per jucundissimam delectationem quâ unquam in amante aliqua anima dignatus es deliciari: rogo te misericordissime DEUS: ut non ad meum commodum, sed ad æternam laudem tuam mihi concedere digneris aliquantam requiem quâ lassata membra corporis usui exercitationis restituantur.

Cave, inquantum potes serve DEI, nè totus aliquando dormias, ne sit somnus tuus, non requies lassi, sed sepultura corporis suffocati, non reparatio, sed extinctio spiritus tui. S. Bern.

Actus brevis pro defunctis.

MIserere piissime JESU, miserere: & respice de sede magnitudinis tuæ, ad miseras animas in purgatorio detentas, quia tibi proprium est misereri semper & parcere. Miserere gemituum, miserere lacrymarum, quas ad te fundunt, & condona eis pœnas peccatis ipsarum debitas.

Præcipuè

Præcipuè verò animabus Fratrum, amicorum & benefictorum meorum: animabus bellis, peste, fame sublatorum, item pauperũ, egenorũ, & quorum nulla extat memoria: ac demum istorum quos à me juvari vis: per Sanguinem totius corporis tui, per crucem & mortem tuam, per me ita omnium Electorum tuorum, per SS. Missæ sacrificia, & omnia bona opera ad gloriam tuam in toto mundo facta: Requiem æternam dona eis misericordissime Domine, & lux perpetua luceat eis. Requiescant in lumine viventium, videntium, & amantium te in æternum. Amen.

CAPUT IV.

Alphabetum Amoris DEI per Hebdomadam dispositum.

Relinquite infantiam, & vivite & ambulate per vias prudentiæ. Prov. 9.

A, a, a, Domine DEUS: ecce nescio loqui, quia puer ego sum. Jerem. 1.

DIE DOMINICO.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. ADoro te cultu latriæ tibi soli debito, affectu totius Ecclesiæ militántis & triumphantis, in cœlo, Eucharistia, ac ubiq; præsentem.

2. Adoro te in peccatoribus, blasphemis, ingratis, infinitam bonitatem tuam lethalibus peccatis offendentibus. Adoro benefacientem probis & improbis, omnia in orbe sanctissimè disponentem: Adoro pro omnibus, & in omnibus creaturis.

 3. Ado-

3. Adoro omnium Dæmonum ac damnatorum loco; totiesq; honorem omnem vitâ meâ compensare desidero, quoties blasphemaris.

4. Admiror, antefero te omnibus. Amo ut Filius amantissimum Patrem, cujus amore vitam, ponere si occasio ferat, pro honore, & Catholica fide, pro avertendis peccatis, libentissimé decerno.

5. Amore tui vellem extinguere infernum, comburere cœlum, ut nemo te DEUM meum amet ob timorem pœnæ, vel spem præmii, sed propter solam bonitatem tuam.

6. Amore tui desidero obstruere me ipso locum inferni, ne in posterum quidquam tibi pereat.

7. Agnosco subjectionem meam, secundùm infinitam à te distantiam, recedo & resilio in abyssum nihili mei.

8. Assumo, mihiq; unio corda amore tuo ardentia omnium Sanctorum hominum, & Angelorum: adeoq; Cor ipsius Deiparæ Virginis, & Cor humanitatis Christi, hisq; omnibus te intensissimè ac ignitissimè amo.

9. Approbo omnia bona opera hominum & Angelorum, quæ tibi Domine unquam placuerunt, vel adhuc placebunt; & illa ad gustum tuum millies ac millies per omnia instantia temporis & æternitatis innovari ab omnibus cupio.

10. Abominor omnia peccata, quæcunq; in hoc universo fuerunt, sunt, & erunt, & illa super omne malum detestor, & retracto; quia tibi displicent, neq; amo, super omnia, in recompensationem aliquam pro illis.

11. Agnosco, quòd sim ego infidelissima ex omnibus creaturis tuis, & malitiosissima, quæ

si ex merito suo tractanda esset, jam tu illam centies & millies, in ima inferni præcipitem dare debuisses.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. BEnedico tibi omnium cœlitum benedictionibus, propter honorem, excellentiam, Sanctitatemq; tuam infinitam.

2. Benedictus es Domine DEUS Patrum nostrorum: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

3. Benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est Sanctum & laudabile & gloriosum in sæcula.

4. Benedictus es in templo Sancto gloriæ tuæ: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

5. Benedictus es super thronum Sanctum Regni tui: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

6 Benedictus es super Sceptrum Divinitatis tuæ: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

7. Benedictus es, qui sedes super Cherubim & intueris abyssos: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

8 Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum, super undas maris: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

9. Benedicant te omnes Angeli & Sancti tui, & laudent & glorificent in sæcula.

10. Benedicant te cœli, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt; & laudent & glorificent te in sæcula.

11. Benedico tibi mi DEUS! & omnibus sceleratis judæis ac infidelibus te blasphemantibus me oppono, qui dum tibi maledicunt ego pro illis & nomine illorum clamo intensissimo affectu: Benedictus DEUS in æternum!

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. CRedo quòd sis, & quòd remunerator sis.

Credo

Credo omnia, quæ revelasti de tua Unitate & Trinitate, de Incarnatione Verbi Divini, de Sacramentis, de Ecclesia, ejusq; capite, de cultu Sanctorum.

2. Credo specialiter illa omnia, quæ nostri temporis Hæretici non credunt, sed blasphemant.

3. Credo MARIAM Virginem DEI Genitricem esse, quæ Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum fuit.

4. Credo imagines Christi Domini, Deiparæ semper Virginis MARIÆ, necnon aliorum Sanctorum colendas & venerandas. Credo purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragiis adjuvari.

5. Commendo tibi mi DEUS Spiritum meum, Spiritum vocationis meæ. Commendo omnia proposita & decreta mea, quæ Tibi servare, vel Tui causâ facere debui & decrevi.

6. Commendo tibi universam Ecclesiam, ejusq; Prælatos & Superiores, ac omnes Religiosos, Reges & Principes, divites atq; pauperes, afflictos, captivos, carceri mancipatos, ægros, & in extremis positos, atq; animas in purgatorio existentes.

7. Concentro Domine omnem amorem in Cor meum, quo in æternum totum cœlum amabit te, & illo singulis momentis vitæ meæ millies ac millies vellem te amare.

8. Claude, si fieri potest, obsecro mi Domine! januas inferni, ut nemo eò descendat, ubi omnes te oderunt: aperi portas cœli, ut omnes eò conscendant, ubi omnes te diligunt.

9. Cupio tibi omnes illas laudes, quibus te afficere possent innumerabiles Angeli, hominesquè possibiles, & creaturæ aliæ non creandæ.

10. Contemni & pati volo pro te mi DEUS! projiciant me, abjiciant me omnes à facie sua. Ego sum ille qui cum Lucifero locum in inferno promerui infimum ad delitescendum.

11. Caream mi DEUS cœlo, & dato quod carebo te in cœlo, hoc ipso nolo te carere in terra, ne sim bis miser, ibi & hic, & ne sim ante tempus infelix.

DIE LUNÆ.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. DOleo ex toto corde, de omnibus peccatis meis quomodocunq; commissis, contra te summum Bonitatis & Sanctitatis Oceanum. Ita doleo de peccatis meis amore tui mi DEUS! ut velim Sanguine meo redimere tempus, quo peccavi, ut non peccassem.

2. Doleo, quod tu amor meus ab aliis non ameris. Doleo quòd tu amor meus contemnaris.

3. Desidero cum dispendio omnium bonorum & vitæ meæ, ut agnoscaris, ameris, adoreris ab omnibus creaturis rationalibus, in omnibus & super omnia.

4. Detestor, damno, & anathematizo omnes blasphemias in DEUM, & omnes irreverentias ac contemptus.

5. Desidero inferorum portas obturari ipso me, & per me, ne quidquam amplius in infernum, & damnationem æternam descendat.

6. Desidero quidquid habent Seraphini omnes & omnes dilecti, ac Electi tui unà cum JESU Domino ac Rege nostro, ac MARIA Virgine omnium Electorum Regina.

7. De justitia, meritis, dignitate mea despero, spero autem in sola tua Bonitate & gratia, in

Chri-

Christi meritis & morte, in pretiosissimæ Parentis patrocinio, in communione Sanctorum.

8 Decretum mortis à tua manu divina eo animo excipio, quo animo excepit Christus decretum mortis suæ.

9 Desidero Domine te amare te diligere Seraphicè, Christiformiter, & omnipossibiliter, & tantùm, quantùm amabilis es, quantùm dignus es amari. Requiris à me Domine, cur velim ita diligere te? causa diligendi te DEUM meum. Tu ipse DEUS es.

10. Desidero mi DEUS! & in ipsum infernum descendere, & ibi amare te. Nam si potentes potenter tormenta patientur, cur amantes amabiliter tormenta non paterentur?

11. Dono tibi cor meum mi DEUS! suscipe illud, quia meliùs & securiùs apud te erit, quam apud me.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. EXulto in te solo, rebusq; tuis, nihil in hoc mundo habere volo, quod me afficiat, nisi te sapiat.

2. Exulto in te solo mi JESU. Alii alia quærant, te solum mi JESU ego quæro, te solum desidero, hoc millies dicam, hoc millies repetam: DEUS meus & omnia.

3. Exulto mi DEUS! quod Tibi fideliter serviatur à multis servis tuis. Quòd honor tuus & gloria tua per totum mundum innotescat, quod omnis creatura DEUM ac Dominum summum recognoscat.

4. Exulto, quod tibi publicus honor defeeratur in Templis, Processionibus, famulatibus Religionum ac sodalitatum. Quod omnes Cæsares & Reges terræ, te sicut vermiculi Creatorem suum potentissimum cognoscant & venerentur.

5. Exulto, quod millia hominum amore tui moriantur, vitam & sanguinem alii profundant, alii profundere sint parati.

6. Exulto in judiciis tuis quantumvis terribilibus, idem volo approbare, & reprobare, quod tu, idem velle & nolle, quod tu.

7. Exulto, & tibi congratulor, quòd DEUS sis summe bonus & perfectus, immensus, infinitus, justissimus, sapientissimus, & incomprehensibilis. Gaudeo de omnibus his bonis tuis, ob hanc solam causam, quia bona tua sunt.

8. Esurio desideranter omnia peccata mea per tuam justitiam in me dignè castigari, & puniri: ut sicut peccando te inhonoravi; sic libenter pœnam pro peccatis meis patiendo, te honorem & glorificem.

9. Esurio per totum mundum gloriam & honorem tuum ubiq; propagari, præcipuè ubi nec cultus, nec amatus es.

10. Ejuro omnia peccata carnis, ejuro etiam nævo, quantumvis minores venialissimis imperfectionibus volendo imitari ter Sanctissimam Virginem, ante partum, in partu, & post partum.

11. Erubesco, quod sim creatura tam ingrata & exosa tibi, indignus sum mi Domine, ut me inter homines tanquam monstrum abominabilissimum foveas & conserves.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1, FEror (toto corde meo) ad te summum bonum meum; in immensa gloria tua exulto: gaudeo, quòd ames te, quantum amari dignus es, ames te, quantum amari potes, & quantum amare potes.

2. Fero & patior libenter omnes corporis & animi

animi molestias, has præsertim & illas, quæ tibi omnia pro gustu inprimis & gloria tua, deinde in satisfactionem pro peccatis meis offero.

3. Fero & patior amore tui omnem dispositionem aëris, intemperiem cœli, quæcunq; sit, omnes vilipensiones, injurias, sitim, famem, humilem opinionem, sinistra judicia, despectus, & labores omnes.

4. Fædus tale tecum mi DEUS inire desidero: quoties dixero, amo te, vellem amare te eo amore, quo nunquam ab ulla pura creatura amatus es, vellem amare amore omni possibili creato.

5. Firmissimè mi DEUS in misericordia tua & meritis tuis confido me salvandum. Utiq; homines & jumenta salvabis Domine? salva etiam hoc jumentum tuum.

6. Fieri potest mi Domine, quia damnabor, volo ergo nunc in vita mea satiari amore tuo Divino.

7. Fugere volo delicatè nutrire, aut molliter vestire corpus meum, utpotè rem vilissimam, quod nihil aliud est, quam esca vermium, fætor & horror.

8. Fame vellem me enccare, ut non ampliùs offendam te, ut citiùs veniam & transeam ad te.

9. Famelicus sum mi Domine! te solum esurio & sitio! ô quando gustabo & videbo, quam suavis sis Domine! quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti amantibus & videntibus te.

10. Fædus tale ineo tecum: quoties dixero: mi DEUS adoro te, toties adoro te: tum Angelo-
rum,

rum, tum Sanctorum omnium adorationibus, quibus & modo adorant Te, adoraverunt, & adorabunt labente tota æternitate.

11. Fateor mi DEUS! quòd sim sentina iniquitatum, vitiorum pelagus, quòd sim sacrilegis & latronibus, publicanis & veneficis, damnatis & dæmonibus pejor.

DIE MARTIS.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. GRatulor tibi, quòd solus tu sis, qui es.

2. Gaudeo de omni bono tuo, quód es, quod habes, & operaris & de pleno dominio ac beatitudine, de tuo honore & voluntatis tuæ impletione.

3. Gratulor tibi, quòd adæquate amari tantum, quantum amabilis es, nonnisi à te ipso possis.

4. Gratias ago tibi pro beneficiis, quæ Humanitati Christi Domini, Sanctissimæ illius Matri, quæ Sanctis Angelis, Sanctis omnibus, præsertim meis Patronis contulisti.

5. Gratias ago pro omnibus spiritualibus & temporalibus beneficiis Ecclesiæ, huic regno, & Religioni meæ concessis.

6. Gratias ago pro creatione, conservatione, redemptione, pro instituto venerabili SACRAMENTO, pro extirpatis hæresibus & erroribus ex hoc regno.

7 Gratias pro omnibus adversitatibus, cruce hac & illa, pro omnibus incommodis, fame, peste, bello. Item pro omnibus beneficiis, justis, & injustis, damnatis & dæmonibus aliquando præstitis.

8. Gau-

8. Gaudeo Domine propter bona opera, quæ unquam facta sunt, hodie fiunt, fientq; deinceps propter amorem tui.

9. Gaudeo ob ea, quæ Dominus noster JESUS Christus, Sanctissima ipsius Mater, Sancti Angeli, & Beati omnes egerunt ad gloriam tuam.

10. Gaudeo ob amorem intensissimum, quo te Electi tui æternum prosequentur, & laudes, quas tibi in perpetuum dicent.

11. Gratulor mihi, quòd per te solum possim beatus fieri: unde nec placeret mihi beatitudo, nisi per te illam haberem.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1, HOnoro & revereor infinitam Majestatem, Excellentiam, & Sanctitatem tuam profundissimo affectu. Dominus meus es, ego servus tuus & mancipium tuum ex natura. Vita mea & mors in manibus tuis.

2. Honorem & cultum Duliæ exhibeo Sanctis tuis: Sanctissimæ Genitrici MARIÆ debitam Hyperduliæ venerationem & cultum offero.

3 Hactenus te Domine mi non amavi, habere nunc cupio Cor JESU, Cor MARIÆ, ut his cordibus te amare possim.

4. Habere desidero mille vitas, quas omnes in augmentum gloriæ tuæ impenderem: mille corda & linguas, quibus te glorificarem.

5. Habere cupio amorem intensissimum Seraphinorum, ut omnes homines in tuo amore succendere possem,

6. Horas omnes, momenta vitæ meæ, volo honori & gloriæ tuæ dedicare; in omni actio-

ne

ne & cogitatione mea volo inclamare: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.

7. Hæreses omnes, & omnia perfidiæ monstra damno & anathematizo, præcipue vero Atheismum, Paganismum, Judaismum, Arianismum, Luteranismum, Calvinismum, & omnes alias Hæreses ab Ecclesia damnatas.

8. Horas omnes & annos meos male peractos, item tàm omnium hominum, quam Angelorum pravorum cupio retrovertere, & peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere.

9. Honoro & revereor tuos Vicarios Superiores meos, quibus me amore tui subjicio, voluntatemq; meam, imitando eum, qui factus est obediens usq; ad mortem.

10. Honorem & gloriam tuam mi DEUS, tanti facio, ut eligam potius manere in inferno, & pati omnia tormenta, quam ut tu vel unico momento priveris tuo honore.

11. Halitus ultimus quo animam efflabo, utinam halitus amoris sit. Moriar amore tui mi DEUS, & quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amore finire. Ultimus vitæ actus sit amare.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. JESU nomen suavissimum & dulcissimum in persona omnium Cœlestium, Terrestrium, & infernorum supplex adoro, adoratumq; vellem in perpetuum ab omnibus creaturis rationalibus.

2. Ignosco amore tui omnibus, qui me injuriis affecerunt totâ vitâ meâ, & illos amo propter te sicut me ipsum, ut & tu Domine dimittas mihi peccata mea.

3. Indulgentias lucrandi gratiam, & industriam peto à te. 4. Immo-

4. Immolo tibi mi DEUS Sacrificium laudis pro omnibus, qui te ignorant vel blaſphemant.

5. Juro & ſtatuo cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ; & quidquid in oppoſitum unquam fecero, puta Domine nolenti irrepſiſſe.

6. Jejunia omnia quæcunq; faciam per gratiam tuam, unio cum tuo, & Sanctorum tuorum jejunio.

7. Juro & proteſtor me Pretioſiſſimæ DEI Parentis eſſe perpetuum ſervum, & mancipium.

8. Ignis amoris tui ſemper ardeat in altari cordis mei, & in tantum creſcat incendium, ut non ſolum Sacrificium, ſed & ipſum altare comburat & conſumat.

9. Ita te diligo mi DEUS, ut ſi ſcirem me fore annihilandum, adhuc tibi omni ſtudio ſervirem, non enim tibi ſervio propter me, ſed propter te.

10. In balneo ſanguinis, ſudoris lacrymarum, in vulnere cordis tui JESU mi dulciſſime, immergo & depono me totum, omnes actus meos, & alienos, ut in eo detenti atq; ſublimati per Te & per Matrem tuam, SSS. Trinitati pro me, & pro omni creatura offerantur.

11. Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, & totius corporis contritio, & cuncta tormenta Diaboli veniant in me, tantummodo JESU amore meo unico fruar.

DIE MERCURII.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. LAborabo purè pro gloria tua, conſtanter & fideliter uſq; ad mortẽ, nihil aliud intendens, quàm gloriam tuam.

2. Laborem & laboris præmium, omnes coronas

ronas & merita resigno ac transfero in solam gloriam tuam. Hâc una in cœlo coronâ contentus ero, quod omnibus meis meritis & coronis in te translatis, Te magis gloriosum videbo.

3. Laudes omnes, & tantos honores desidero tibi exhibere, quantos nosti exhiberi posse, & quantos mereris. Sed quia non est speciosa laus in ore peccatoris, laudet te pro me totum cœlum & terra.

4. Laudent te omnes Chori Angelorum, & universæ turmæ Sanctorum: quos tu ab æterno ad gloriam tuam præelegisti.

5. Laudent te pro me infinita Sanctorum Angelorum castra, quos mittis in ministerium, pro pter acquisitionis tuæ genus electum.

6. Laudent te viginti quatuor Seniores cum omnibus Patriarchis, & Prophetis. qui deponentes coronas suas procidunt ante thronũ tuum.

7. Laudet te amicissimorum Fratrum tuorum Apostolica dignitas, quorum suffragiis Sanctam Ecclesiam tuam mirabiliter sustentas.

8. Laudet te victoriosa Martyrum tuorum turba, quorum stola pretioso sanguine tuo est purpurata.

9. Laudet te Confessorum agmen perfectissimum, quorum Spiritum transtulisti in admirabile lumen tuum.

10. Laudet te, & jubilet tibi pro me hoc novum Canticum, quod resonat in ore eorum, dum te sequuntur quocunque ieris JESU sponse Virginum.

11. Libenter mi DEUS pro te omnes persecutiones, injurias, afflictiones, morbos, & quæcunq; alia mala usq; ad mortem, si oportuerit me tolerare, volo tolerare.

Amo

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. MARIAM Matrem tuam, Matrem pulchræ dilectionis amo ferventius & intensius præ omnibus Sanctis, quia hæc est voluntas tua, teste Bernardo. Per illam peto à te Spiritum modestiæ, mansuetudinis, mortificationis, misericordiæ erga vivos & defunctos & mortem amoris tui plenam.

2. Malo Domine millies mori millies damnari quam deliberato peccato fœdari.

3. Mori millies desidero in tuæ immensæ miserationis profluvio; sicut moritur scintilla ignis in fluminis impetu validissimo.

4. Malo Domine propter te amatum esse in inferno, quàm propter te, odio habitum esse in cœlo.

5. Momentis singulis vitæ meæ vellem te amare non meo, sed ipso amore Divino quo te ipsum amas amore Theandrico, quo te Christus amat, amore latreutico, quo te justi amant, amore omnium hominum & Angelorum.

6. Mortificationes omnes, omnia martyria, & omnia mala pœnosa animæ & corporis, quæ pro te passi & passuri sunt homines, sive in mundo, sive in inferno, sive in purgatorio, tibi offero: ita, ut, si tibi placeret in augmentum gloriæ tuæ, omnia talia libenter vellem perpeti.

7. Mori cupio, quia te amo DEUM meum. Dulcius est mihi mori, quam vivere & offendere te summum bonum meum.

8. Mori desidero, ut immoler tibi DEUS meus, cui me totum debeo: mori desidero ob gloriam tuam, & in meorum criminum pœnam.

9. Moriar mi DEUS, ut in te sine fine vivam, in ardentissimo amoris tui igne consumptus.

10.

10. Mundi hujus opes & voluptates omnes aliis non invideo, mihi DEUS meus & omnia! Quis enim sic delectat, quàm ille, qui fecit omnia, quæ delectant?

11. Magnifico, adoro, laudo, glorifico omnes & singulas perfectiones tuas Divinas, affectu tibi gratissimo, mihi possibili, imò affectu beatifico, Seraphico, Mariano, Theandrico, quo dignus es.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. NOlo vivere sine vulnere, quia JESUM meum totum video vulneratum.

2. Nomen dulcissimum JESU vellem infigi cordi meo, út fuit infixum cordi Ignatii Martyris.

3. Noverim te mi DEUS, noverim me, nec aliud cupiam nisi te.

4. Noscant te Domine omnes peccatores & timeant. Noscant te Justi ampliùs, ac tepidi; ut tibi ferventius serviant. Noscant te Gentiles ac Hæretici & convértantur.

5. Negotia omnia, quæ à me geri vis, tibi committo, juva me, ut illa amore tui faciam diligenter.

6. Negligentiam omnem à me amove, velut pestem exosam tibi.

7. Non merui te DEUM meum beatificè videre, nec merebor in æternum. Cupio tamen videre, quia tu me mi DEUS ad hunc finem condidisti, & redemisti.

8. Nullam cupio ex ulla creatura habere voluptatem, omnis mea delectatio est & voluptas, ut delectetur DEUS.

9. Nolo ire in cœlum mi Domine, si tu non vis, eligo potius infernum, si tibi ita compla-

cuit; illum tamen nollem habere in pœnam meorum peccatorum, sed in præmium mei erga te amoris.

10. Nolo unquam in rebus illicitis delectari, & potius malo mori, quàm, talem delectationem deliberato animo admittere.

11. Nolo unquam magnifice aut arroganter de me sentire, illud potius desidero, ut obscurus & inglorius delitescam, nec oculis aliis, quam tuis appaream.

DIE JOVIS

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. OFfero tibi cor dulcissimum & suavissimum JESU, cor purissimum MARIÆ, & omnium cœlitum.

2. Offero vitam, passionem, & sanguinem Domini JESU in horto perfusum, ac puncturis spinarum expressum, & illud pretiosissimum balsamum sanguinem cordis Filii tui.

3. Omnes omnium creaturarum substantias, potentias, actus, affectus, circumstantias bonas mihi approprio, atq; assumo: atq; ita mecum omnibus in tuum omnimodum amorem & honorem sacrifico.

4. Opto habere tot corda, quot in äëre atomi volitant; quot arenæ in mari, ut amare te possem cordibus his universis, vel ut ita dicam rectius corde unico, quod omnibus istis æquivaleret.

5. Offero tibi omnes laudes & adorationes, quibus te Angeli & Sancti omnes adoraverunt, & centum millenos adorationum milliones, quas omnes Sancti & justi Ecclesiæ militantis faciunt.

6. Offero tibi omnes cultus, devotiones, & omnia bona opera post vitam meam tibi ad finem mundi impendenda.

7. Offe-

7. Offero tibi cor meum in laudem æternam ad perficiendum corpore & anima omne beneplacitum tuum.

8. Omnia vota & propofita mea in honorem tuum aliquando à me facta fideliter exequi curabo.

9. Offero omnia Sanctiffimæ Miffæ Sacrificia peracta in Ecclefia, & ad finem fæculi peragenda.

10. Offero tibi omnes pœnas, cruciatus, vulnera, effufiones fanguinis & omnia martyria: omnem pœnitentiam, jejunia, vigilias, & aufteritates omnium Confefforum; omnem amorem, continentiam & puritatem Virginum.

11. Odi, averfor, & execror omnes contemptus & irreverentias, quæcunq; fuerunt, funt, & erunt in toto mundo.

Amo te DEUS meus. Et ideo

1. PRojicio & provolvo me ante te in cœlo, Euchariftia, ac ubiq; præfentem.

2. Peto, ut tuo amore ames te, pro fupplendo exili amore meo erga te.

3. Pauper effe tui amore volo, exfpolians me totius mundi poffeffione, & fi rebus utor, tanquam tuis à te conceffis mihi utor, & non meis.

4. Pauperculam fupellectilem è domo Parentum meorum me concernentem non tantum ejuro, fed totius mundi divitias, fi illas poffiderem: Tu mihi Domine fufficis.

5. Peccata mea omnia projicio in immenfum ignem amoris tui, demergo in exuberantium meritorum Filii tui pelagus.

6. Peto, ut perdito me, omnibusq; creaturis nihil videam, nihil quæram, nifi folum te. ut

vivam ego, non ego sed tu vivas in me.

7. Peto mihi illisq; concedi, ea, quæ vis à te postulari, ea, quibus maximè indigeo, aliiq; & per quæ obtent maximè tibi placere possimus.

8. Protestor coram te, quod in omnibus actionibus meis nihil aliud intendere totâ vitâ meâ volo, nisi solum purum honorem gloriam, amorem, & beneplacitum tuum.

9. Propono per gratiam tuam & eligo millies mori quam te vel levissime DEUM meum offendere.

10. Protestor, quod propter peccata mea deterior sim mortuo cane, fæx hominum & labes, indignus, qui suspiciam cœlos; dignissimus, qui post mortem meam in olido fimeto aut sordium receptaculo defodiar.

11. Patiar, quæso, pro honore tuo, si vis, pœnam omnium damnatorum, & laudem te, laude omnium Beatorum.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. QUotidianas meas actiones, occupationes tibi offero. Da ut in illis quæram te, non me, amorem tui, non mei.

2. Quidquid est auri, argenti, lapidum pretiosorum, atq; gemmarum in mundo: quidquid homines sæculares æstimant & amant, totum illud, ut nihil præter te amem, ego nihili æstimo, & ut lutum despicio.

3. Quinq; talenta tradidisti mihi Domine, itaq; diligenter operari volo, ut alia quinq; valeam superlucrari, non ut me excludas à cœlo, sed ut per hoc placeam tibi, tuam Sanctissimam voluntatem faciendo.

4. Quæso Domine, ut mihi dones cognitio-

nem

nem tui ac mei, donum perſeverantiæ finalis, & omnes virtutes ſtatui meo neceſſarias.

5. Quoties ad me áërem attraho, toties cupio cordiali quodam affectu te Dominum meum JESUM Chriſtum & Matrem tuam intra me attrahere.

6. Quotiescunq; corde vel ore dixero: DEUS DEUS meus! vellem hoc nomen tuum infinite revereri & repetere corde ac ore omnium Angelorum ac Electorum tuorum.

7. Quia te amo mi DEUS, vellem hinc paſci à vulnere, hinc lactari ab ubere, vellem coſtam mihi attolli ad latius amandum te cum S. Philippo Nerio: vellem continuo cordialiter dicere cum S. Franciſco: DEUS meus & omnia!

8. Quærere primum volo regnum DEI & juſtitiam ejus, poſtmodum vitæ hujus neceſſaria.

9. Quoties unquam reſpiro: toties in me volo trahere corda & affectus electorum tuorum, atq; illis toties te amare & laudare.

10. Quæcunq; tibi DEO meo propoſui, promiſi, juravi, quæ pretioſiſſimæ itidem Parenti & omnibus Sanctis Patronis meis, ea omnia promitto, propono, voveo, juro ad guſtum tuæ Divinæ voluntatis.

11. Quia ego & omnia mea nihil ſunt, & infra te infinities ſunt, ideo non meis, ſed affectibus tuis Te per Te ſuperamo, te per te ſuperæſtimo, te per te ſuperexalto. Sis per te ſuperbenedictus, ſuperlaudabilis, ſuperexaltatus.

DIE VENERIS.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. REſigno tibi mea omnia Domine JESU, Diſpone

Dispone de me liberè, ut de tuo proprio jumento in tempore & æternitate, prout tibi placet.

2 Resigno me tuæ adorandæ voluntati ad inopiam, ad contemptus, ad infamiam, ad extremos dolores, ad mortem, imo ad ipsam condemnationem æternam.

3. Restituo me tibi, te super omnia appretio, præeligo, appeto & quæro: paratus cæteris omnibus propter te abrenunciare quo iescunq; & quomodocunq; volueris.

4. Renovo tibi laudabilis animi decreta, itemq; vota mea, piaq; desideria omnia erga te, erga Virginem MARIAM, erga Angelos & SS. tuos facta.

5. Ratifico Domine & innovo omnes actus bonos tibi oblatos & offerendos; omnes laudes à quocunq; Sanctorum impensas & impendendas.

6 Retracto & corrigo omnia opera totius vitæ meæ, quanta quanta sunt mala & imperfecta.

7. Rata habeo omnia bona opera mea per gratiam tuam facta, & ea, quæ facere debui.

8 Religiosum statum approbo, amplector, & exnunc ingredior, totiusq; mundi res & spes pro tuo amore & servitio calco.

9. Retracto & ejuro omnes blasphemias, irreverentias, contemptus contra te, sive hic, sive in altera vita commissos.

10. Revereor tua horrenda judicia, tuam dispositionem, & quidem æternum de me duraturam approbo.

11. Regum omnium ac Principum etiam infidelium te non credentium, colla & corda tibi subjicio, licet oppositum volentium, quia tibi

tibi Regi sæculorum immortali & invisibili debetur summa laus & gloria ab omnibus.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. SACRAMENTA omnia mihi ad salutem necessaria desidero. Da, ut illa sanctè frequenter accipiam, non tantum SACRAMENTUM, sed etiam rem & virtutem SACRAMENTI.

2. Spem omnem salutis meæ pono in tuo dulcissimo nomine ô JESU, quod Salvatorem significat: igitur ô JESU, sis mihi JESUS! dic animæ meæ, salus tua ego sum.

3. Si scirem, quod damnandus sim, Tibi DEO meo servire vellem & volo, tanto etiam magis & intensius, quanto hoc spatium temporis brevius mihi esset.

4. Si de salute mea æterna certus essem, imo si eam jam haberem, & placeret tibi DEO meo, me hic cum incertitudine salutis vivere, aliquid autem insigne ad tuam gloriam & voluntatem perficere, præeligo hoc posterius illo priori, pure propter gustum tuum, & adorandæ voluntatis gloriæq; tuæ æstimationem.

5. Si omnia creata corda, omniumq; cordium affectus in meum cor immergere & includere possem, vellem te sic amare dulcis amor meus.

6. Si placet tibi mi DEUS! exure Paradisum, extingue infernum. Non requiro aliam mercedem obsequii à me tibi præstiti, quam illam gloriam, quæ est tibi serviisse.

7. Si nossem velle tuum mi DEUS esse, ut in æternum torquerer in inferno, me ipsum statim sponte in illas flammas præcipitarem, so-

ilum

summodo ut tuæ Divinæ satisfacerem voluntati.

8. Si possem mi DEUS! vellem ab omnium cordibus amorem, qui non est tuus, evellere, & tuum inserere, ut amore tuo omnes arderent & languerent.

9. Si mihi in omnibus corporibus replicari liceret, cuperem te in illis millenis adorationum Seraphicarum millionibus adorare.

10. Siquidem (teste S. Bernardo) dum amas mi DEUS animam, amat tua æternitas, tua immensitas, tua Sapientia, & ego vellem te redamare immensè, æternaliter, omnipossibiliter, ita, ut tuo amori correspondeat amor meus.

11. Sum ita affectus erga te mi Domine, ut velim res omnes mundi in linguas, odium omnium peccatorum & damnatorum in tui amorem, blasphemias eorum in laudem tui commutare.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. TImeo te: non ut servus emptitius ob pœnam; sed ut filius charissimus, ne tuam Divinam offensam incurram.

2. Timeo judicia tua horrenda inscrutabilia, quia scire non possum, an amore sim dignus vel odio. Idcircò enitar constanter, ut te nunquam deinceps deliberatè offendam.

3. Timeo te timore reverentiali, & instar Beatorum revereor infinitam tuam Majestatem, ex toto corde me tibi subdens, ac me velut nihilum in conspectu tuo agnoscens.

4. Te solum unicè & cordialiter diligo præ omni dulcedine & gustus suavitate, præ omnibus corporis mei commodis, præ omnibus mundi divitiis, præ omnibus honorum titulis.

5. Totus

5. Totus sum tuus mi DEUS, eroq; in æternum, sic t totus tu meus esse voluisti.

6. Talem voluntatem habeo mi DEUS, & illam tibi offero, si nimirum h berem omnia; quæ tu habe, omnibus vellem renunciare, & abdicare, & tam liberaliter omnia tibi dare, ut tu posses dare cuicunq; velles.

7. Tuum beneplacitum in me, de me, per me, & in omnibus semper & ubiq; perfici & impleri in tempore & æternitate, in adversis & prosperis opto & postulo.

8. Tibi Domine mi hoc corpus meum nutrio, tibi hanc vitam meam conservo; largire mihi vires, ut soli serviam tibi.

9. Te æstimare mi DEUS, te amare, plusquam possum, plusquam valeo, desidero, sed æstimando nescio quid facturus sum pro te. Si radius essem tu autem sol, adderem me tibi, & esses lucidior; si essem gutta, & tu mare, effunderem me tibi, & esses plenior. Si essem atomus, & tu mundus, apponerem me tibi, & esses major.

10. Tibi Te ipsum mi *DEUS* offero, nihil enim est te ipso dignius: offero tuam Excellentiam, tuam pulchritudinem, tuam de te voluptatem.

11. Tibi offero c r meum, ut te solum amet, & nihil aliud, nisi te, vel propter Te.

DIE SABBATHI.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

1. VOveo & renovo fidem tibi in baptismo datam.

2. Voveo, sicut me tibi obligavi coram tota curia cœlesti, paupertatem, obedientiam, & castitatem perpetuam.

3. Voluntatem meam, tuæ volo dedicare in victimam holocausti. Vis me Domine, vivere, volo. Vis mori, & in ipsum infernum abjicere, volo. Volo velle, quidquid velle tu me vis.

4. Volo potius quolibet bono privari, & quodlibet malum perpeti, quam à tua gratia & amicitia excidere, & tuam indignitatem incurrere.

5. Utinam possem DEUS meus omnium fidelium intellectibus in te credere, omnium cordibus te amare, omnium viribus tibi servire.

6. Utinam possem efficere, ut nullus te offendat, nullus pereat, libenter etiam vitam meam impenderem, & sanguinem profunderem.

7. Utinam omnes infideles, Hæretici, Schismatici, Apostatæ, & peccatores obstinati convertantur! utinam omnes homines te agnoscant, te solum diligant, tibi serviant.

8. Volo & per te propono, te in omnibus; & ante omnia purè intendere: nullumq; opus internum aut externum aggredi, nisi propter amorem & beneplacitum tuum.

9. Volo & desidero, ut quodvis momentum vitæ meæ, omnis pulsus & motus cordis mei & arteriarum idem sit, idem significet, quod hæc verba: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.

10. Vellem te mi DEUS amare amore continuo & infinito, si possem omnibus momentis vitæ meæ, & desidero, dolore quodam velut infinito ex illius amoris infiniti fonte profecto, dolere de meis ac totius mundi peccatis.

11. Vellem oblatas tibi omnes laudes, quæ sunt,

sunt, fuerunt, & erunt in cœlo & in terra, quas possunt & possent conferre illæ creaturæ, quæ id neglexerunt, negligunt, & posthac negligent ob ingratitudinem suam, millies ac millies, per gratiam tuam, quovis respirio & ictu oculi mei multiplicare.

Amo te DEUS meus. Et ideo JESU

1. XCifixi meritis conjungo, quidquid ago, quidquid in posterum cogitaturus, dicturus, vel facturus sum, totum hoc sudore Christi sanguineo rigatum tibi sacrifico.

2. Xcifixi Domini gloriam & honorem desidero per totum mundum etiam cum dispendio vitæ & animæ meæ propagari. Imò cupio, ut hoc nomen dignissimum, & dulcissimum JESUS, etiam ipsi dæmones & damnati revereantur, laudent, & nullus omnino non amet JESUM, qui potest amare.

Amo te DEUS meus. Et ideo.

3. ZElo tuæ Excellentiæ, adoro Tuam Divinam Essentiam, Unitatem, Trinitatem. Tuam Potentiam, Dominium, Magnitudinem, Sanctitatem, Perfectionem. Dignitatem, Tuam Justitiam, Misericordiam, Gloriam, & Beatitudinem.

4. Zelo tuo, adoro unionem Hypostaticam. Verbi & Filii DEI Personam, Hominisq; & Filii Virginis naturam.

5. Zelo tuæ Sanctitatis, æstimo & veneror profundo affectu, Tuam purissimam Matrem Virginem, ex eaq; operante Spiritu Sancto Incarnationem. Tuam Ecclesiam militantem ac triumphantem ex SS. Angelis hominibusq; constitutam.

6. Zelo

6 Zelo gloriæ tuæ desidero millies ac millies extensione ad omnia tempora, & ad omnia omnium temporum instantia ad omnia quoq; momenta æternitatis, ea tibi omnia exhiberi ab omni creatura rationali. quæ tibi homines Sancti & Angeli, Humanitas Christi, & Beatissima Virgo exhibuit & exhibebit.

7. Zelo tuæ dignitatis, vellem continuis actibus adorationis, appretiationis, doloris & amoris intensissimi compensare omnes & singulas tam hominum, quam Angelorum pravorum malitias ac injurias tibi illatas, & illis bonis actibus implere omnia instantia, & momenta actionum peccaminosarum.

8. Zelo tui honoris doleo, quantum possum de omnibus & singulis peccatis à quocunq; commissis & committendis.

9. Zelo charitatis in proximos, opto anathema esse à Christo, pro Fratribus meis in Christo. Opto me ipso obturari portam inferni, ne quisquam amplius pereat.

10 Zelo tuo & amore tui solius renuncio omnibus hujus mundi bonis, omnibus voluptatibus, honoribus, excellentiis, & vanitatibus.

11. Zelo tuo vellem omnibus diebus vitæ meæ quoad vixero, illud facere, quod tibi summè placet.

Finis Alphabeti.

1. TU scis ô JESU plusquam amabilis, quia amo te. Amo ex toto corde meo, ex tota anima, ex totis viribus meis.

2. Amo te castissime Sponse supra omnes spurcas & brutas carnis voluptates; supra omnem harmoniam & musicorum concentum.

3. Amo te plusquam mundum universum,

4. Amo te plusquam me, plus vitâ & animâ meâ.

5. Amo te plusquam cœlum, quod infernus absq; te mihi videretur.

6. Amo te, & plus in dies amare volo, quam te oderint & damnati omnes.

7. Quia te amo mi DEUS! ideo omnibus me Sancti tui superent in cœlo donis tuis, vellem nemo me superaret amore tui.

8. Pro aversione à te summo Bono & Creatore nostro, & conversione ad creaturam per peccatum cujuscunq; peccatoris, nunc tibi restituo honorem, cultumq; tibi & amorem debitum à quocunq; denegatum offero: te super omnia æstimo & appretio.

9. Vellem nunc omnes horas & annos meos, & omnium hominum ac Angelorum pravorum, revocare, retrovertere, & peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere.

10. Offero tibi omnia corda, quæ tam in cœlo, quam in terra te ardentissimè amant, ita quidem, ut ea omnia simul habere, & immensum quoddam purissimi amoris tui incendium ex illis facere vellem, in quo assiduè incessanterq; consumar.

11. Non ideo te amo, mi DEUS! quia bonis tuis me cumulas: sed etiam, si his retractis, omnibus malis me subjiceres, Te amarem, quia te amo non tam ob id, quod sum ex munere Tuo, quam ob id, quod Tu es ex natura Tua.

CAPUT V.

Solitudo Septemdialis.

Seu quotidiana familiaris cum DEO

Via.o-

Viatoris conversatio.

O! anima Sancta sola esto, ut soli omnium serves te ipsam. S. Bern;

HAnc brevem solitudinem & secessum suadent tibi Viator, non tantum mundi hujus miseriæ, sed ipsius solitudinis deliciæ. Quid enim potest deesse deliciarum homini, cum illic adest, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Quod per Isaiam Dominus promisit dicens; *Ponet desertum ejus quasi delicias: & solitudinem, quasi hortum Domini, gaudium & lætitia invenientur in ea.* Unde in hac solitudine de perenni divinitatis fonte limpidissimis consolationibus affluens S. Benedictus non semel *in uno solis radio totum mundum collectum conspexit.* Et S. Ignatius in eadem solitudine interna suavissima cœli gaudia libans erumpebat in hæc verba: *Quam sordet mihi terra, dum cœlum conspicio.* Ideo Hieronymus sæpius de suo deserto: *Mihi cætera carcer, & solitudo Paradisus.* Ut ergo anima his possit vacare deliciis, fugiendo hominum contubernium, & cum solo DEO habens commercium, scire refert ad quem se locum conferat. *Gemina est solitudo, altera exterior corporis, altera interior animi.* Prima, secundum Ascetas, est locus remotus in abdito recessu, vel extra urbem, à familiæ strepitu, & inanium rerum agitatione; unde ille Præcursor Domini S. Joannes Baptista, inter natos mulierum maximus, ab incunabulis solitudinem adivit, pluribusque annis coluit. S. Magdalena licet singulari gratiâ DEI prædita fuerit, tamen totum vitæ suæ tempus post passionem Christi, videlicet triginta annos in spelunca quadam transigere voluit.

Caro-

Carolus Imperator, ut solitudine liberius frueretur, Regnum suum in Philippum filium derivavit, de quo sic testantur Annales: Carolum Majorem fuisse in sua Eremo, quàm in Imperio. *Ejus* nepos Philippus morti vicinus in hæc verba prorupisse dicitur: *utinam Corona caput non cinxisset!* pænitet fuisse Regem! melius in aliquo deserti angulo, extra mundanorum negotiorum tumultum vixissem!

Potes tali frui solitudine etiam in populosa civitate. Qualem sibi fabricata est Judith, de qua ita sacri Annales: *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur:* Non est igitur, ut sis solus, excusationi locus, quia ubiq; est solitudini locus.

Altera est solitudo non loci, sed animi, non montium, sed mentium, non eremi sed cordis. Non te ab hominibus sejungas, sed cum DEO conjungas: non recessus ab urbibus, sed accessus ad cœlum, attenta meditatione faciet te solitarium. *In populosa urbe*, inquit Petrus Damiani, *amor artifex solitudinem reperit.* Ideo nullum vitæ genus est adeo negotiis addictum, adeo curis implicitum, in quo solitudo animi, mentisq; secessus nequeat reperiri. Quare in turba, itinere, conviviis, etiam faciat sibi cogitatio secretum, faciat solitudinem, & familiarem cum DEO conversationem.

Si ergo secedere non potes ad hebdomadas aliquot, si non potes ad aliquot dies, animum colligendi gratiâ, saltem horam unam aut alteram concede DEO loquenti in solitudine ad Cor. Benè suasit cuidam Hieronymus: *Adhibe tibi in urbe solitudinem, & remotus ab hominibus junge te DEO.* Nam talis solitudo, est quidam paradi-

ſus cœleſtis voluptatis eſt via recta ad cœlum, conſcientiæ cathedra, magiſtra ſilentii eſt nuptialis thalamus, in quo Sancti Spiritus annulus tribuitur, & cœleſti Sponſo felix anima fæderatur.

DIE DOMINICO.

Meditatio Prima

De Beneficio Prædeſtinationis.

Prælud. 1. Statue te coram DEO, inquantum Prædeſtinator eſt, cui ſoli cognitus eſt numerus prædeſtinatorum & præſcitorum.

Prælud. 2. Pete, ut poſſis cognoſcere media ad finem prædeſtinationis conſequendum.

Punctum 1. CONſidera hoc beneficium non eſſe commune, ſed peculiare, eorum duntaxat, qui ab æterno electi ſunt à DEO ad vitam æternam, quod eſt omnium beneficiorum maximum, non ſolum, quia datur ante omne meritum, ſed quia cæterorum eſt fundamentum.

2. Cogita tecum: Quis ſcit an nomen meum ſcriptum eſt in libro vitæ? vaſne ſum in honorem, an in contumeliam; hædusne, an agnus? Ingeſſit olim hanc cogitationem S. Bernardus Fratribus ſuis dicens: *Quis ſcit an omnium veſtrum, quos hic video, nomina ſcripta ſint in libro vitæ? Multi enim vocati, pauci electi.*

3. Admirare tam ſublimem finem creationis tuæ, ut in æternum fruaris DEO, vivas cum DEO.

4. Rumina & expende tam magnam DEI propter te reſolutionem ac impenſam ſanè ſumptuoſiſſimam: quam, ut ſcopum æternæ prædeſtina-

ſtinationis aſſequereris in vita ſua contemptiſſima & morte probroſiſſima oſtendit.

5. Colloquere cum Domino DEO: Homo vanitati ſimilis factus eſt & quomodo mi Domine reputas eum, & apponis erga eum Cor tuum, ut inhabitet in domo tua omnibus diebus vitæ ſuæ, qui es te ipſo beatiſſimus ac feliciſſimus?

6. Interroga Divinam Clementiam: Quis effecit, quia homo gratus factus eſt in oculis DEI, qui dignus erat æterno odio iræ DEI? unde illi, quia è maſſa æternæ perditionis ac reprobationis eum Divina bonitas ſecrevit, qui merito ſuo eidem cum reliquis præcitis involvendus erat?

7. Teſtare cœlum & terram quod maiori cum homine Dominus miſericordiâ uſus ſit, quam cum omnibus Angelis Apoſtatis.

8. Alloquere iterum Dominum JESUM; & dic: Quæ tua mi Domine liberalitas & humanitas! potuiſti hominem cum reprobis Angelis ſupplicio damnare perpetuo, & ecce non tantùm peperciſti illi, verùm etiam decreviſti pro illo homo fieri, & cum omni opprobrio mori.

9. Interroga te ipſum, quid pro his omnibus Domino DEO retribuiſti? Eheu! reddidiſti mala pro bonis, quia toties tam graviter, tam impudenter Dominum tuum offendiſti.

10. Non fle, ſed ejula cum gemitu cordis tui, quia Divinæ vocationi & ordinationi reſtitiſti, & auxilia contempſiſti Sanctorum, & Angelorum ſocietate te indignum feciſti. Odium & indignationem SSS. Trinitatis incurriſti. Fructu Vitæ & paſſionis Domini te privâſti.

Pro Colloquio.

Actus Contritionis.

HEu me miserum! quid cogitavi, quid dixi, quid unquam feci demens! Peccavi contra rationem, contra conscientiam, & in quem, & quis?

Egonè vile & projectum cadaver, nihili hòmunciore, quavis deterior, & nequior ausus sum, & qua fronte impudens in ipsius Numinis & Angelicarum mentium conspectu, scelere meo impetere Creatorem meum, qui me ex nihilo fecit. Redemptorem, qui me sanguine redemit, Prædestinatorèm, qui priusquam me formâsset in utero novit me, & antequam ex illo progrederer recordatus est in sua æternitate nominis mei, quasi guttulæ in vasto mari, & arenulæ in universo hoc!

O me infelicem! ergonè pro momentanea voluptatula infamis mercator DEO contempto æternos mihi ignium inferorum cruciatus compararim! Ah pudet me mei, etsi nemo alius conscius foret, quid vero erit, cum toti mundo revelabuntur fœditates ac turpitudines meæ?

Sed quàm immani ingratitudinis vitio scelus est à me perpetratum, in eum, qui me tot beneficiis prævenit ac prosecutus est! Quid? tot beneficia contempsisse me amaro recordor animo? ô me ingratissimum!

O DEUS meus! peccavi! jam non sum dignus intueri altitudinem cœli, non sum dignus vocari creatura tua. Quid tamen faciam miser, quo fugiam à facie iræ tuæ? cui conquerar ô Domine, omnia mala adversum me, nisi tibi Salvatori & Redemptori meo.

O bone JESU! ne permittas me damnari, quem

pretioso

pretioso ſanguine redemiſti. Manus tuæ Domine JESU fecerunt me, manus inquam illæ, quas cruci affixas tenes pro me, ergo opera manuum tuarum ne deſpicias, vulnera manuum tuarum precor, ut aſpicias; ecce in manibus tuis deſcripſiſti me, fac ut nomen meum, hic beatæ prædeſtinationis liber per totam æternitatem adſcriptum retineat.

Fieri etiam poteſt mi Domine, quod ſim damnandus, ergo ſaltem hîc in vita mea volo ſatiari amore tuo Divino, Imò ſi in ipſum fundum inferni deſcendero, etiam ibi volo, & deſidero te amare intenſiſſimè, ut ſic evacuato per amorem inferno, ubi ſolus amoris ignis deinceps arderet, omnibus damnatis te blaſphemantibus, opponere me poſſim, clamando in æternum: Benedictus DEUS! Juſtus Dominus.

Spero tamen mi Domine in bonitate & miſericordia tua! Quid ſpero? Te ipſum! Animant me omnes miſerationes tuæ, quas mecum ab infantia exercuiſti, ut non ceſſem ſperare in te. Appello viſcera tua Paterna, appello miſericordiam tuam abyſſalem, appello illum actum, quo crucifixus pro peccatoribus orabas, quo peccatores ex viſceribus divinæ tuæ miſericordiæ ſalvare decernebas. Et ſpero in miſericordia illa, quod ego ſim ſalvandus.

Tantam enim de te mi bone JESU habeo fiduciam, quod licet millies plus peccâſſem quam feci, ſciremq; certò te graviſſimè iratum mihi, attamen licet penes me eſſet eligere mihi judicem, nullum tamen alium, quam te eligerem, certiúſq; à te miſericordiam expectarem, quam ab optimo meo amico.

Etenim ſi toties tamq; graviter contra aliquem

amicorum meorum ſicut contra te, peccâſſem, certiſſimus eſſem, quòd mihi non ignoſceret, licet chariſſima Mater eſſet. Si enim ei ita rebellis, ac injurius fuiſſem, ac tibi; vel millies me abjeciſſet, & execrata fuiſſet. Tu veró poſt tot graves acceptas injurias, foves me nihilominus, ac nutris.

Actus Amoris DEI.

O Bonitas infinita DEUS meus! ecquid eſt homo, putredo & cinis: ut tu ab æterno ad Salutem & beatitudinem æternam eligeres illum, ac prædeſtinares? unde invenit hanc gratiam in oculis tuis, quòd oſtendere volueris divitias miſericordiæ tuæ in illo? Cur unũ mi Domine vilem & inutilem homuncionem elegiſti & aſſumpſiſti & innumeros Angelos, qui ſemel tantum peccaverunt, reliquiſti & projeciſti?

Tune mi DEUS ſuper hujuſcemodi peccatore dignum duxiſti aperire oculos tuos? Tibinè mi Salvator ab æterno nos lutea vaſa cordi fuimus, ut non veniremus in oblivionem coram te? Tantinè nos æſtimaſti viliſſima mancipia tua, rebelles tuos inimicos, immemor ſcelerum, ingratitudinum, ac vilitatum noſtrarum? Quid aliud in nobis invenimus. niſi omnimoda impedimenta, & obſtacula æternæ ſalvationis, tuæ fruitionis, tui ſuaviſſimi complexus?

Quomodo te non exaltabo DEUM meum digniſſimum ſalutis meæ? quomodo non benedicet tibi anima mea? quomodo tota ſe non eviſcerabit exinanietq; in dilectionem Bonitatis & charitatis tuæ! O bonitas! ô benignitas! utinam ab æterno fuiſſem, & te ab æterno amare

re potuissem! utinam nunc saltem amem te, sed amem ex toto corde, ex tota anima, amem millies millibus cordium, & igne ardentissimorum Seraphinorum.

Utinam semper te dilexissem superoptime DEUS, ex quo sum homo, quia tu me dilexisti, ex quo es DEUS! utinam te magis ac magis diligam, quia eripuisti animam meam de morte, quia respexisti canem mortuum & pulicem unum.

O mi Domine! utinam saltem ex hoc momento in æternum tot bonis provocatus à te, non declinem à mandatis tuis, neq; derelinquam te fontem aquæ vivæ! sed eheu! nescio, quid serus vesper vehat; nam audio: Qui stat, videat, ne cadat: & post hæc dona tua omnia horresco, dum cogito, quod ecce Domine mi, nisi tu adjuvares me, etiam hoc momento calcàrem te, & rursum crucifigerem te mihi pro tot scilicet donis tuis.

En ergo, Salvator piissime, minimus servorum tuorum in timore & tremore supplico tibi, ne me projicias à facie tua, nec à participatione Sacratissimæ Passionis tuæ, sed juxta magnam misericordiam tuam da mihi congrua salutis media, ut in æternum cum Electis tuis misericordias tuas concinam.

Eodem Die Meditatio Secunda.

De Beneficio Creationis

Prœlud. 1. Constitue te coram DEO, & imaginare te ipsum quasi vas quoddam recenter manibus DEI efformatum. Cogita tecum quo fine?

Prælud. 2. Pete, ut finem, ad quem creatus es cognoscere possis, & ad illum pervenire.

Punctum

Punctum 1. CОnſidera bonitatem DEI! quanta fecit animæ tuæ! noviſti, quòd ante annos paucos nihil fueris & nullibi. Ecce elegit te DEUS ex millibus, immo infinitis poſſibilibus, & conditis in hunc mundum, ut theſauris bonitatis ſuæ te ditaret in tempore & æternitate.

2. Ad imaginem & ſimilitudinem fecit te, quem ante prævidit vilem & inutilem, indignum & ingratum, inimicum ſibi & exoſum.

3. Creavit DEUS animam tuam eo fine, ut cognoſcas eum, illum ames, ei ſervias, & tandem ſalvus fias. Finis Sanctiſſimus, nobiliſſimus, celſiſſimus. Quid enim ſuavius, quam amare amabiliſſimum, quid jucundius, quam æternum cum, & in DEO vivere?

4. Aperi oculos & univerſum mundum uno quaſi obitutu comprehende, in illo omnia tibi ſubjecta reperies. Tibi ſerviunt Angeli, tibi bruta vivunt, diffunditur aër, fluit aqua &c. Vide homo, dicit totus mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me: Servio tibi, quia factus ſum propter te, ut ſervias illi, qui fecit me, & te, ſi accipis benignitatem, redde humanitatem.

5. Lauda Dominum ob admirabilem potentiam oſtenſam in Creatione. Quia nimirum ex nihilo propter te tam multa, tam varia, tam ſolida, tam perfecta creavit.

6. Gratias agas pro beneficio exiſtentiæ actualis, quam tibi Divina bonitas contulit. Item quòd habueris Parentes Chriſtianos, ex quibus natus es nón Judæus, non Paganus, non etiam Hæreticus, ſed Chriſtianus. Quod natus ſis cum membrorum integritate, complexionis bonitate non cæcus, non claudus, non monſtrum aliquod.

7. Humi-

7. Humilia te ante DEUM, & dic: O Domine! ego ſum verum nihil ante te! & quid recordatus es mei, ut creares me, ſciens me, graviſſimum fore peccatorem, & tuum capitalem inimicum?

8. Confunde te coram cœlo & terra, & erubeſce, quia toties deturpâſti imaginem Domini DEI tui: quia toties rebellis factus es Creatori tuo, ita ut juſte poſſit de te tactus dolore intrinſecùs conqueri: Pænitet me hunc hominem feciſſe,

9. Interroga Divinam Clementiam, cur propter ſcelera tua ſicut alter Nabuhodonoſor non fueris toties in beſtiam converſus? nonne merebaris, ut te DEUS in canem, qui fœtore peccatorum putidus fuiſti, aut ſuem, qui non ſemel ad volutàbrum ſordium tuarum rediiſti, aut in aliam beſtiam, qui jumentis deterior & inſipientior factus es, juſte verteret?

10. Miraberis quod creaturæ te hucuſq; ſuſtinuerint. Confiteberisq; te dignum jam pridem fuiſſe, quem dehiſcens terra ſubrueret, aqua demergeret, ignis conſumeret. Reſume poſtea fiduciam accurre ad pedes JESU, tene illos, nec dimittas, donec miſertus fuerit tui. Proteſtare in poſterum de tua fidelitate, & emendatione uſq; ad mortem.

Pro Colloquio.

Actus Contritionis.

PAter peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed nec creatura tua. Me miſerum! quid feci ego demens, ubi eſt præcellens illa imago, qua ſimilitudinem Creatoris mei per omnia gerebam? ob graviſſima facinora & fætores peccatorum meorum

rum denigrata est super carbones facies ejus; non est agnita in plateis cœlorum. erepta est à consortio Angelorum. deputata est cum perditis inferorum.

Dicarnè ô Domine amplius Creatura tua? non sum dignus creatura tua esse, etiam in quacunq; pœna constitutus. Si enim ego solus haberem illam partem infernalem, quam omnes Dæmones & damnati habent, non sufficienter secundum peccata mea punirer.

Nemo tibi Domine tam gratus extitit, ut ego. Latrones ipsi & sacrilegi perfectius tibi famularentur, si eos tot, vt me, affecisses beneficiis. Animalia ipsa pro captu suo tibi appropinquant: solus ego infinitâ turpitudine vitæ meæ à te recedo.

Nescio o Domine! quomodo hucusq; sustinuerunt Angeli perduellem Creatori? quomodo perexerunt Sol & astra benignis me aspectibus observare: elementa confovere? quomodo non irruerunt in me volucres cœli, pisces maris & bestiæ terræ? Cur non insurgit in me rebellem tibi, & non clamat terra usq; & usque. Quare tam nequissimum sustineo? cur non dicit aër: Quare non deficio? ignis: quare non comburo? infernus: quare eum non devoro? quomodo digni sunt homines me societate suâ? Profectò piissime DEUS, ego deberem in sterquilinio jacere à cæterorum hominum convictu sequestratus, ne illos peccatorum contagione inquinarem!

Heu me miserum! quid dicam ô Creator! Creatura tua sum, en perii! Creatura tua sum, jam morior! Dominus & Plasmator meus es tu, & nunquam vidi te? tu me fecisti & refecisti, & nondum

& nondum novi, imò jam amisi te: Quid tamen miser faciam, recurram ad te, ô JESU, fontem misericordiæ.

Expande ô Domine expande super hunc nequissimum servum, pallium immensæ Clementiæ tuæ, cui proprium est misereri semper & parcere. Non pereat in malitia sua, quod operata est bonitas tua. Quæ enim utilitas in creatione tua erit, si descendero in corruptionem, & damnationem æternam? Ipsa te vincat charitas ad salvandum me, quæ te vicit ad creandum me.

Fac iterum Domine JESU lutum ex sputo, & lini oculos meos, ut qui cæcus sum, videre valeam deturpatam in me imaginem tuam. Iterum atq; iterum aperire digneris latus tuum mihi nequissimo peccatori, ut oculi mei, qui deprædati sunt animam meam, in tuo latere inveniant prædam suam.

Reduc Domine oculos tuæ Majestatis super opus ineffabilis tuæ pietatis. Ego autem contra me ipsum armabor & ero præ cæteris crudelior mihi Judex. Et quia non sufficio me detestari: contra me universum creaturarum cætum congregabo, & à qualibet confundi & puniri desiderabo, quia earum contempsi Creatorem.

Actus Amoris DEI.

SIccine ô Creator meus! ô bonitas infinita! ô DEUS plusquam amabilis, in Charitate perpetua dilexisti me, & ideò ad imaginem & similitudinem tuam creasti me, miserans mei! quomodo ita amantem me redamare potero? Quâ in re animum meum, & ingenium nunc occupo, si non excogito mille modos, quibus testificer me diligere te?

O mi-

O! mihi sint corda mille, & millies mille, eaq; omnia plena iis affectibus, iis ardoribus, quibus abundavit Cor JESU, Cor MARIÆ, cor maximi Sancti tui, ut desideriis meis, & amori tuo respondeat amor meus.

O! si ego solus omnium Angelorum corda possiderem, quibus te incessanter summum bonum & unicum animæ meæ centrum diligerem. O! si haberem omnium hominum amorem & affectum, quo te mi Deus complecterer.

O! si etiam mi Domine tot habere possem corda, quot sunt in universo creaturæ, ut illis omnibus earum nomine te diligerem & glorificarem, quas propter hominem condidisti, reddens tibi debitum, quod illæ nequeunt, & cujus ego illarum causa debitor sum.

O! si possem singulas guttas aquæ, & singula grana arenæ maris, ac singulos atomos in cœlos convertere, pro gloria & honore tuo!

O! si incessanter eâ amoris flammâ arderem, quâ ardent Seraphini, quâ ardet totum cœlum, quâ ardes tu, ut omnes ad amorem tui succendere possem! O si in omnibus locis, in omnibus mundi partibus replicari possem, & ibi te amarem!

Sed superabundo gaudio Domine, & infinitas tibi gratias ago, quòd Tu ipsemet meum & omnium creaturarum officium suppleas in amando Te ipso & dignificando. Summo etiam gaudio afficior, quod quidquid creaturæ omnes præstare conantur tui amore, longè sit impar tuæ dignitati. Hunc ego ipsum amorem tui ipsius offero tibi in gratiarum actionem pro omnibus thesauris beneficiorum in creaturas omnes effusis.

FERIA

FERIA SECUNDA.

Meditatio Prima.

De mundi Vanitate.

Præludium. 1. Statue te ante Christum Dominum, & admirare altissimam illius sapientiam respuentem, quæ mundus amat, & præeligentem, quæ mundus detestatur. Dic cum S. Bernardo: *aut Christus errat, aut mundus, sed Christus errare nequit, quia æterna Sapientia est, ergo errat Mundus.*

Prælud. 2. Pete, gratiâ Divinâ adjutus, sive blandientem, sive terrentem mundum, DEO inimicum feliciter effugias.

Punctum. 1. COnsidera, quomodo Dominus JESUS inter plagiarios, patibularios, sceleratos deputatur. Et ambiet Christianus magnus inter homines reputari? Intolerandæ superbiæ est, ut ubi majestas humiliatur, vermiculus infletur & intumescat.

2. Adverte, si quid sensus habes: Mundus clamat, ego deficiam, caro clamat, ego inficiam, diabolus clamat, ego interficiam, Chirstus dicit ego reficiam: cur tamen decipientem & interficientem, & non reficientem sequeris?

3. Considera quia bona terrena, quibus hic pascimur, siliquæ sunt porcorum, quæ appetitum nostrum infiniti boni capacem non explent sed contaminant. Convenitne ergo tanti parentis filium siliquis porcorum ventrem infarcire? Decetnè te Dominum tuorum pedibus sordidis conculcandum subdi?

4. Audi quid de mundo S. Bernardus sentiat, ita ille: *O homo! quid tibi cum mundo, qui cito transit & concupiscentia ejus? quid tibi cum terrenis divitiis? aurum & argentum verè terra rubra*

est

eſt & alba, quam ſolus error hominum facit, aut magis reputat pretioſa? quid tibi cum carne, quâ haud aliud vilius ſterquilinium inveniſti.

5. Interroga damnatos, ubi deliciæ veſtræ maledictæ? ubi honores? ubi amatus præ DEO mundus? Ah quàm infructuoſè miſeri in illis inferorum triremibus deplorantes reſpondebunt & dicent, quod Jonathas Patri ſuo Sauli: *Guſtans, guſtavi paululum mellis & ecce morior!* Ita illorum quilibet Eheu! propter ſtillam voluptatulæ carnem titillantis, amiſi, quô refici poteram, torrentem voluptatis!

6. Alloquere omnes mundi amatores: O miſeri! quis ita faſcinavit oculos veſtros, ut non videant vanitatem hanc, quâ major nequit inveniri ſub ſole! crumenæ, quas hic mercator perduellis mundus oſtentat, vento magis, quam ære turgent, coronæ nitentes auro ſentibus & ſpinis horrent, torques aureæ ferrearum compedum inſtar, non honorant, ſed onerant, quid veſtes? bombycum excrementa apud nos, quia rara, ideo chara.

7. Defle quantùm potes cæterorum hominum inſaniam, qui pro eo, quòd debeant diligere Dominum DEUM ſuum ex toto corde, diligunt mundum, non mundi Conditorem, diligunt dæmonem DEI inimicum, non DEUM ſuper omnia benedictum.

8. Elice contemptum rerum terrenarum & alloquere omnes illas nugas, quæ te à DEO retrahunt, & dic: DEUS meus pendet in patibulo, & ego vanitatibus & voluptatibus operam dabo? abiit! non decet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum.

9. Argue & defle tuam dementiam, quia

ſtultus negotiator fuiſti, dum pretio bonorum omnium extremum malum mercatus es.

10. Pudore ſuffundere, quia pro caducis, inanibus, fallacibus, æterna, ſolida, vera peſſum dediſti, pro una voluptatula animam, pro cæno cœlum erogaſti.

Pro Colloquio.

Actus Contritionis:

O Anima mea ſceleratiſſima! non vitâ, ſed morte perpetua, ex tuis actibus digna, quid tibi cum mundo, qui in momento tranſit, & ejus concupiſcentia? ô perfida anima, quid feciſti? ob unam ſordidam voluptatulam, de ſublimi in profundum, de gratia in peccatum, de cœlo in infernum cecidiſti!

Quid ergo dicam infelix eſca totius inferni, homo miſer, projectus à facie oculorum Domini Creatoris mei? vendidi eheu! animam meam ſine pretio. Quid enim ſunt hæc univerſa, quæ Apoſtolus arbitratur ut ſtercora, quorum fin s eſt interitus? Heu me de quanto bono in quantum malum cecidi! quò tendebam, & quò deveni? quæ ſivi bona, & ecce turbatio, ecce jam morior, & JESUS non eſt mecum. Certè meliùs mihi erat non eſſe, quam cum his omnibus vanitatibus ſine JESU eſſe.

Proh pudor! quem fructum habeo miſer, in quibus nunc erubeſco! Quid? caduca, vana, & propè nulla infelix & inſanus præferre non erubui æterni Patris amori & honori?

Iſtanè eſt ô bone JESU vivæ vocis tuæ doctrina in operibus meis expreſſa? Pompaſnè mundi & honores nudus in in fami crucis ligno ſuſpenſus docuiſti? deliciaſnè carnis doloribus gravi-

gravissimis ad mortem compulsus præelegisti? superbiamnè Sathanæ in ultimo agone obedientiam Patris fideliter prosequens professus es?

Me miserum! quânam fronte attollam jam oculos ad vultum Patris amantissimi tam malus & perversus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto Parenti vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, quia dereliqui te fontem aquæ vivæ, quia dilexi vanitatem, & prosecutus sum umbras, quæ nos fugiunt.

Et an aliquid ultra, me separare poterit à te ô JESU! ô Vita, ô amabilissima charitas! ô omne bonum DEUS cordis mei & omnia: cur oculos meos convertam ad vanitatem, & non potiùs ad te ô JESU, ubi solum, purum, & omne bonum meum? Abhinc, quidquid mihi dare vis ô DEUS meus, aufer totum; & te solum mihi da, & sufficiet mihi.

Actus Amoris.

O Summum & unicum bonum meum, DEUS meus, hoc millies dicam, hoc millies repetam. DEUS meus & omnia! neq; enim vel majus dicere, vel majus cogitare, vel dignius optare possum, quam hoc ipsum: DEUS meus & omnia! Alii alia quærant, alia desiderent, unum ego DEUM quæro, DEUM desidero, DEUS meus & omnia! Opes & honores, voluptates & gaudia relinquo, montes gemmeos & aureos aliis non invideo, mihi sit DEUS meus & omnia.

O DEUS meus & omnia! nihil, quæso, præter te, requirat anima mea. Tu mihi sufficis

Domine

Domine, ideo habens & possidens te, omnes mundi spes derelinquo, omnem libertatem, inclinationes connaturales abdico, omnia quæ mundus amat, rejicio.

Sum etenim mi Domine, ita erga te affectus, ut etiamsi mihi ad voluptatem, & absolutum dominium, tot deliciósissimi mundi darentur, quot sunt possibiles arithmetici numeri, nunquam desererem te, neque præponerem illos tibi. Si omnia mundi bona haberem, hoc momento, (si ita opus esset, & ad gloriam tuam cederet) illis amore tui renunciarem. Imo etiamsi cum æquali gloria tua & pari merito meo possem esse pauper & dives, vilis & honoratus, infamis & gloriosus, afflictus & deliciosus, eligerem nihilominus contemptum propter te, quia tu mihi sufficeres DEUS meus & omnia.

Duo simus ô DEUS! Tu & ego! & nihil aliud! quia minus te amat Domine, qui aliquid tecum amat, quod non propter te amat. Extingue me Domine in corde omnium hominum, & cunctos homines in corde meo occide, ut tu solus in me, & ego solus in te vivam.

O si etiam possem à cordibus omnium, amorem, qui non est tuus avellere & tuum inserere, ut amore tuo omnes arderent & languerent! utinam tibi subdere possem mi DEUS! omnia colla filiorum Adæ, ut te solum requirerent & amarent.

Utinam plurimi Sancti sint in mundo, qui omnes mundi illecebras amore tui conculcent, te perfectissimè æstiment, ament, honorent! utinam omnes peccatores mundo dediti & immersi ad te convertantur!

Produc Domine austrum ardentissimæ dilectionis

ctionis tuæ, qui nos omnes tam valido impetu à mundo impellat in te, ut à nobis ipsis translati, deinceps Spiritum non habeamus extra te.

Eodem Die Meditatio Secunda
De Brevitate Temporis.

Præluð. 1. Siste te ante DEUM, cujus oculi semper in te respiciunt, & quære: quot sunt dies servi tui Domine, quoniam numerus mensium ejus apud te est?

Præluð. 2. Pete, ut totum tempus vitæ tuæ fructuosè impendas, & particula boni diei nunquam te prætereat.

Punctum 1. Cogita quænam occupatio Domini DEI tui? cogitare de te. Cur non reddis vicem Domino tuo?

2. Erubesce de tua ingratitudine, qui cum scias DEUM continuò ita super custodiam tuam vigilare, veluti si totius creaturæ oblitus, te solùm curaret, & haberet, tu ex toto corde tuo, DEI tui oblivisceris.

3. Præsentis diei viginti quatuor horas in computum voca: quot ex his sæpiùs sibi rapiunt, somnus non necessarius, gula, otium, ludi, confabulationes. O vitam miserrimam! hacnè tu ratione te DEO satisfacturum arbitraris? ita sanguinem Christi remuneraturum?

4. Interroga te ipsum, quot infernos ibi debet justitia DEI, qui totum ferè vitæ tuæ tempus non DEI obsequio, sed mundi & Dæmonis impendis servitio.

5. Finge regressum in vitam offerri iis, quos jam in infernum præcipitavit DEUS, unaquæque conjice, quàm sanctè concessos sibi dies age-

rent, quàm exactam & rigidam agerent pœnitentiam? & tu dicis: cras, & cras. emendabo vitam. Cur non hodie, cur non hâc horâ finis malorum & turpitudinis tuæ?

6. Apprehende, quanta tibi exhibeatur gratia, dum tibi ſpatium pœnitendi conceditur.

7. Interroga Clementiam divinam, quare tam diu te ſuſtinuit, nec condemnari permiſit? Quot jam millia animarum ardent in inferno, quæ minus peccaverunt! quis ligavit manus DEI vindicis tuorum ſcelerum? quid retribues Domino, quia tantum tibi contulit ſpatium pœnitentiæ?

8. Elice actum agnitionis, coram omnibus damnatis, quod majori miſericordiâ Dominus tecum uſus ſit, quàm cum omnibus illis, qui minus peccaverunt, & tamen jam ad inferos deſcenderunt.

9. Ingemiſce cum S. Anſelmo, & dic: *O DEUS meus: cur amavi? quare concupivi in omni vita mea quidquam præter te JESUM DEUM meum! cur intermiſi ullo tempore te JESU verſare in corde, te tota mente amplecti? ubi eram, quando tecum non eram? quò defluxerunt, quando non te ſolum habuerunt deſideria mea?*

10. Obſtupeſce, quomodo tot annis, tot diebus à DEO tuo propter peccata tua elongatus & excluſus eſſe, & vivere potuiſti!

Pro Colloquio

Actus Contritionis.

O Me miſerum! quantum tu mihi Domine temporis dediſti ad te amandum, tibi ſerviendum! & quid ex eo jam ſupereſt? nihil mi JESU! niſi bonorum tantorum amiſſorum

tristis recordatio, & malorum commissorum erubescenda memoria!

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ut quid vivo diutius? ut quid terram occupo ego lignum aridum & infrugiferum, ego semper ingratus in DEUM meum, & non nisi peccata peccatis toto vitæ meæ tempore accumulo, & sic thesaurizo mihi iram in die iræ & justi judicii!

Heu me! justus scelerum vindex forté jam inexorabilem sustulit manum, scribens contra me amaritudines, consumere me vult peccatis adolescentiæ meæ?

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte, quia serò te cognovi ô pulchritudo antiqua! serò te amavi; ô bonitas infinita, imo tam exosis peccatis offendi te ô misericordia mea; ô DEUS meus! ô me miserum! cur non amavi te semper, Amor semper amabilissime! semper infinite! Tu es in medio cordis mei & quomodo ad latus meum, ausus sum terrenum aliquid congregare?

Omnia corda hominum, qui sunt, fuerunt, & erunt, & omnes voluntates Seraphinorum, & reliquorum spirituum, non sufficiunt, ut occupentur in DEO, cur ego pusillus homuncio, unicum Cor meum occupabo in aliis vanitatibus, & non efficiam, ut tradatur DEO meo?

Serò nimium ad te venio ô JESU Crucifixe! optimam vitæ meæ partem peccatis consecravi! vel nunc tempus est, ut gratiam tuam quæram.

Suscipe ô bonitas infinita DEUS meus in manus ineffabilis pietatis tuæ residuum annorum

rum meorum. Pro his verò, quos vivendo perdidi, quia perditè vixi. Cor contritum & humiliatum DEUS non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt, & perierunt sinè fructu, impossibile est, ut revocem eos. Placeat ergo, ut recogitem eos in amaritudine animæ meæ.

Volo dignissime DEUS, grandem hanc amoris jacturam nunc & singulis residuæ vitæ meæ momentis pensare. Volo amabilissime DEUS, ut abhinc totus Spiritus, totum Cor, totum corpus meum, tota vita mea vivat tibi vita mea dulcis. Addo, totus dies, totæ hebdomadæ, toti menses, toti anni mei vivant tibi æternitas mea.

Actus Amoris,

O Satietas cordis DEUS meus! nunquid non sufficis amanti? quid extra te evager? quid aliud desiderem? Eja quæso vulnera animã meã amoris tui jaculo. Imple omnia desideria mea, ut nihil me extra te delectet, nihil afficiat, te solum ardentissimè in omni creatura diligam, ad te semper æstuantissimis desideriis toto vitæ meæ tempore anhelem.

Potesnè mi Domine sustinere, ut aliqua creatura non diligat te? quæso hoc in me non sustineas, sed irrumpas, in cor meum, & vim facias mi potentissime, ut sicut tu à me amando cessare non potes, ita fac, ut & ego ferventiùs & intensiùs in singula momenta te amare possim.

O si te ab instanti conceptionis meæ cæpissem amare & nôsse! ô si primo rationis impetu mentem animumq; conjecissem, obstrinxissemq; tibi mille votis, nulla postmodum culpâ dis-

ſolvendis! ô ſi pueritiam juventutemq; ſceleris puram in caſtiſſimis & ſanctiſſimis tuis amoribus exégiſſem! Heu optima vitæ pars non ampliùs reditura unquam, ut velociter fugiſti, nec vidiſti bonum! liceat mi Domine damnum hoc ſaltem deſideriis compenſare.

Deſidero abhinc Domine, ut nullum ſit deinceps momentum temporis & æternitatis, in quo tibi debitum amoris, laudis, venerationis, ac exaltationis non exhibeam, quod tibi devotiſſimè Sancti & Electi tui exhibuerunt, & in æternum exhibebunt. Deſidero, ut omnis mea actio ſit ad te aſpiratio. Volo Domine, ut omne momentum vitæ meæ, omnis motus ſubſtantiæ meæ, omnis cogitatio & reſpiratio nihil aliud ſit, aliud aſpiret nihil & ſonet, niſi: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus.

O amor divine! utinam è ſingulis reſiduæ vitæ meæ momentis, uſq; ad momentum extremum poſſem facere totidem ſæcula amoris tui! ſit in poſterum omnis cogitatio mea, omnis reſpiratio, vivum holocauſtum Amori tuo, & honori, profundiſſima humilitate, altiſſima charitate oblatum.

Et quia omnes dies & momenta annorum meorum non tranſegi in caſtiſſimis tuis amoribus, ô vita mea dulcis JESU! omnia momenta vitæ tuæ Theandricæ, tum ea, quæ ab æterno vixiſti cum Patre, tum ea, quæ ex tempore vivere cæpiſti genitus ex Matre, & quidquid in illis à te geſtum toleratumq; eſt, tibi offero. Offero & SS. Matris tuæ merita, ac omnium Electorum tuorum amoris incendia, labores, affectus cum his omnibus veluti nullius momenti obolum, infiniti valoris pretio junctum meipſum

ipſum & reſiduum vitæ meæ tempus, in tuum mi Domine omnimodum amorem & honorem offero & ſacrifico.

FERIA TERTIA.

Meditatio Prima.

De peccatîs.

Prælud. 1. Statue te coram DEO veluti reum aliquem graviſſimorum criminum, qui ſtet ante Judicem catenatus, vinctus manibus, & pedibus arctiſſimè conſtrictus.

Prælud. 2. Pete a DEO lumen, quo rectè malitiam peccati mortalis, & miſeriam agnoſcas, & ut illud tibi ignoſcat, ſi fortaſſis eo animam tuam aliquando contaminaveris.

Punctum 1. COgita, quid ſit peccatum mortale. Eſt offenſa, & contemptus DEI ſummi boni. imo voluntas perdendi DEUM, ſi perdi poſſet, eumq; perimendi quidam conatus, *quo* (ut ait S. Bern.) *homo peccando vult interimere aut Sapientiam DEI, volendo ne ſuum peccatum videat; aut juſtitiam, volendo ne puniat; adeò q peccatum eſt quoddam in voto Deicidium.* Eſt demum ſanguinis Chriſti conculcatio. Eſt rebellio creaturæ contra ſupremum Principem, & cum hoſte ipſius Diabolo conjuratio.

2. Quæ damna operatur in te peccatum. Primo peccatum te turpiſſimum facit, ac exoſum omni creaturæ. Per peccatum mortale committis Sacrilegium quia violas templum DEI: apoſta ſiam, quia à mandatis DEI ad pedes Diaboli tranſis, quia datam fidem in baptiſmo frangis. Per peccatum amittis gratiam univerſo orbe pretioſiorem. Per peccatum iteratò Chri-

ſtum

stum crucifigis &c. Unde S. Thomæ Aquinati mirum etiam videbatur posse hominem alicujus peccati mortalis conscium in eo damnationis æternæ periculo ridere unquam & lætari. *Ribad. 7. Mart.* S. Ludovicus Rex Galliarum maluit vita exui, quam fædari peccato mortali. *Surius. 25 Aug.*

3. Considera quanta fuerit iniquitas, malitia, & audacia tua, qui summæ bonitatis & Majestatis DEUM peccatis tuis aggredi ausus es, & eo usq; amaritudine complevisti ipsum incircumscriptæ bonitatis Oceanum, ut dolore cordis & pœnitudine intrinsecùs tangeretur, quod te hominem creâsset.

4. Interroga teipsum, quid tibi máli fecit DEUS! quare illum toties tam graviter offendisti & contristasti? quid tibi dedit dæmon, quia ad ejus pedes transiisti?

5. Admirare non esse ultas ipsas creaturas, omniaq; simul elementa contemptum & injuriam Creatoris sui à te per omnia irrogatam.

6. Testare cœlum & terram, quod peccaris super numerum arenæ maris, quod omnibus peccatoribus & ipsis damnatis deterior sis.

7. Cogita te non tantum pejorem esse dæmone, sed ipso, qui fuit pessimus dæmonum principe: inter homines vero pejorem pessimorum pessimo ipso Juda, qui Christum quidem vendidit, sed nondum mortuum vidit: pejorem ipso Antichristo qui non toties ut tu, experietur in se Christi gratiam.

8. Exclama cum filio prodigo: Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, sed nec creatura tua.

9. Opta tibi tot lacrymas, quot sunt guttæ in mari,

mari, aut guttæ sanguinis tui, quibus defleas miseram & miserabilem conscientiam & vitam tuam.

10 Projicias te ad pedes JESU, cum lacrymis postula veniam. Quid enim tibi superest misero, ne pereas miserè, quam ut te conferas ad illum, cui proprium est misereri? Protestare quod abhinc eligas millies mori, quam peccato fædari.

Pro Colloquio.

Actus Contritionis.

HEu me miserum! peccavi tibi ô bonitas! ô misericordia mea peccavi & super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt iniquitates meæ! non est peccatum super peccatum meum! non est iniquitas super iniquitatem meam.

O si vastus in lacrymas vertatur Oceanus & exundet ex oculis meis! quis mihi det, ut præ acerbo dolore omnes guttæ sanguinis mei mutentur in lacrymas; aut lacrymæ mutentur in sanguinem, nec unquam taceat pupilla oculi mei! Quis mihi det, ut sit magna velut mare contritio mea, ex quo semper lacrymarum flumina exeant, & in illud intrent, ut iterum perenniter fluant!

O Pater misericordiarum! esto placabilis super multitudinem malitiæ meæ, quia vox sanguinis Fratris nostri JESU Christi clamat ad te pro nobis de Cruce.

O JESU! ô MARIA! ambo offensi estis, sed ambo estis abyssus misericordiæ & dulcedinis, parce ergo misericordissime JESU, parce servo Matris tuæ, misericordissima Mater MARIA, parce mancipio Filii tui.

Displi-

Diſplicent mihi Domine: diſplicent ſingula peccata mea: quia ex ſe mala & perverſa, quia ſupremæ tuæ Majeſtati, amabiliſſimæ bonitati ac voluntati injurioſa: Odiô perfectô, quô tu DEUS meus deteſtaris peccata mea, deteſtor, odiq; & ego, odiſſeq; volo in æternum. Horreo illa, & contremiſco totus ad memoriam illorum.

O utinam nunquam te mi DEUS offendiſſem, non corde, non opere, non omiſſione, nec ullâ prorſus ratione! utinam prius extinctus fuiſſem!

Spero tamen omnium ac ſingulorum peccatorum meorum plenam perfectamq; à te miſericordiſſimo Patre condonationem. Propter bonitatem tuam, propter JESU Chriſti amariſſimam mortem, propter pretioſiſſimæ Filii tui Matris omniumq; Electorum tuorum interceſſiones & merita.

Actus Amoris DEI.

O Charitas abyſſalis! ô bonitas infinita DEUS meus! quàm triſte, quàm durum mihi eſt, quod unquam in te ſic & ſic peccaverim: cur ô DEUS meus vel momento unico receſſi à te? cur tibi ô dulcedo animæ meæ tam amarus & felleus fui? Cur inebriavi te abſynthio, qui mille benedictionibus dulcedinis prævenisti me?

O anima mea! dic mihi: quid tandem illa bonitas, illa miſericordia fecit tibi, aut in quo unquam contriſtavit te reſponde mihi? Eja diſrumpere immani dolore vel nunc!

O mi JESU! cur intermiſi ullo tempore te verſari in corde, te totâ mente amplecti, & delectari in dulcedine tua! Ad te nunc ô Amor ſuſpiro,

ſpiro, clamo, anhelo. Te ſtringo intimis cordis mei medullis, & totis præcordiorum affectibus. O ſi ſemper te ſolum cogitâſſem, te dilexiſſem digniſſime perpètuo amore DEUS! O ſi omnia deſideria cordis tui ad amuſſim explevíſſem! confidentiùs nunc irem in tuos amplexus Sanctiſſime amor! nunc autem conſcius pudor infamem animam confundit, rejicitque ad oſcula pedum tuorum nitentem!

Et quid ultra poterit me divellere & ſeparare à charitate tua ô DEUS meus! an voluptas brevis? opes caducæ, honor falſus? an umbræ umbrarum, nugæ nugarum, & vanitates vanitatum? & iſtæ & illæ? non facient ô bone JESU! non facient! in æternum ex hoc momento, tu es mihi charorum omnium chariſſimus, tu dulcedo, tu unicum centrum cordis mei, & vita animæ meæ, tu theſaurus, divitiæ, & deliciæ meæ.

Te ſolùm mi JESU ex hoc momento quærere, te ſolum ex toto corde diligere conſtituo. Et non ſolum corde meo, ſed etiam omnium ac ſingularum, poſſibiliumque creaturarum, omnibus genere, ſpecie, numero, poſſibilitate, diſtinctis deſideriis, cordibus & affectibus vellem te mi DEUS amare: idq; in omni iſtorum omnium deſideriorum intenſione ab ipſa pretioſiſſima Parente, JESUq; Chriſti humanitate elici poſſibilibus: ac etiam in extenſione ad omnia loca, & ſpatia, etiam imaginaria extenſione quoq; ad omnia tempora, ad omnia momenta æternitatis tàm ante, quam poſt.

Eodem Die Meditatio Secunda.

De morte & circumſtantiis ejus.

Prælud.

Præl. 1. Imaginare te in extremis constitutum; Efferri Christi cruci affixi imaginem, accendi cereum, atq; intonari tibi à Sacerdote: Proficiscere anima Christiana; plurimis interim circum orantibus, & animæ excessum præstolantibus.

Præl. 2. Pete ut ante mortem diligentem rationem temporis & occasionis, quæ modo offeruntur habere possis.

Punctum 1. COnSidera quia in separatione animæ & corporis, anima cujusq; suam ingredietur viam. Ah! quam viam tua ingredietur? si tunc à corpore separata foret, quid cum illa fieret! dignanè esset, ut ab Angelo deduceretur? dignane esset, cui Mater Virgo obviaret?

2. Revoca tibi in memoriam, quæ tibi in morte erunt gravia. Erit grave quando ponetur ante oculos tuos imago crucifixi! & quomodo in eum quem pupugisti, cujus sanguinem peccatis tuis conculcâsti oculos defiges! Erit gravè, quando dabitur lucerna in manu index bonorum operum, quæ non thesaurizâsti.

3. Considera extremum cum vita agonem & angorem mortis, quando inclamabitur auribus, ut corde saltem, si non ore te DEO commendes. Quo pacto etiam Sanctissimi viri magno metu tunc conenti solent. ut S. Hilarion etiam clamasse dicitur: *Egredere anima mea. septuagina annis servivisti DEO quid times?*

4. Cogita quomodò tunc totus pallesces. oculi concident & evertentur, pectus palpitabit, cor supra modum saliet, interius vero cum maligno Spiritu bellum geretur.

5. Con-

5. Concipe insuper affectum majoris timoris, quia in isto judicio particulari vides judicem iratum, qui te conturbato vultu respiciens ad tuam confusionem aperit cicatrices & cruenta vulnera tibiq; tuam ingratitudinem, malitiam, & impietatem exprobrat.

6. Imaginare quod audias Angelum tuum Custodem contra te instigantem omniaq; occulta peccata tua coram Judice recensentem.

7. Puta te videre à sinistris Diabolos terribiles ut catulos leonum rugientes & præparatos ad escam, tibiq; inclamantes: *Euge euge devorabimus eum*. Qui etiam motus desperationis excitare solent & dicere: *si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Et: *Qualis vita, finis ita*.

8. Interroga te ipsum, quid tunc miser facies, quando infra te os inferni apertum, tetrum odorem exhalans aspicies? intra vermem conscientiæ senties: sursum cœlum occlusum & DEUM iratum conspicies, ad tanta quomodo non deficies?

9. Gratias age divinæ bonitati, quia tam diu te sustinuit & concessit tibi spatium pœnitentiæ, ut pretiosam in conspectu ejus mortem promereri, & a morte peccatorum pessimâ liberari possis.

10. Detestare peccata tua, quæ te sola perdere possunt, & mortem æternam adferre, & statue firmissimè nunquam deliberatè peccare.

Pro Colloquio;

Actus Contritionis.

O Inscrutabilis abyssus pietatis Domine DEUS meus; quomodo apparebo ante faciem

tuam

tuam in illa terribili hora exitus animæ meæ de corpore, portans iniquitatem meam, reatum deperditionis vitæ meæ. & pondus multæ nimis negligentiæ meæ. Talentum temporis mihi creditum non solum expendi in vanum, sed & amisi, depravavi & perdidi totum. Quo ibo, quo me vertam, & quo à facie tua fugiam?

Væ ingratitudini, impietati. & cæcitati meæ, quia peccavi Domino, quia te DEUM meum offendi, qui, ut me exaltares, humiliasti te usq; ad mortem; mortem autem crucis. O lacrymæ! ubi vos subtraxistis, ubi estis fontes lacrymarum!

O æquissima DEI mei Justitia, quæ nullum peccatum impunitum relinquis! cum omni humilitate accepto sententiam mortis meæ egredientem ab ore tuo, tanquam dignum supplicium, quod millies & millies promerui malo usu vitæ meæ.

Accepto separationem corporis & animæ meæ. fateorq; has geminas partes essentiæ meæ esse hâc pænâ dignissimas, quod toties unâ conspiraverint in transgressionem mandatorum tuorum.

Accepto privationem usûs omnium sensuum meorum, quia januæ fuerunt, per quas peccatum intravit in animam meam. Accepto putrefactionē & corruptionē carnis meæ in pænā illecebrarum, quas prætuli divino amori tuo, & consentio, ut sub terram abjiciatur, quia animam meam, ne se in cœlum attolleret, impedivit.

Accepto mortem, quam dabis mihi, tanquam stipendium quidem peccati, sed etiam tanquam finem, ultra quem peccare non potero, & tanquam

quam initium feliciſſimæ neceſſitatis, quâ non potero non amare te, ut ſpero beata tua æternitate receptus.

O mi DEUS! accepto ſolitudinem tumbæ atq; ſepulchri mei ad reparandam injuriam, quam irrogavi Majeſtati tuæ, amando & ſectando ſocietates, converſationes & amicitias creaturarum, quæ me toties averterunt & fortè etiam ſeparârunt à Sancto amore tuo.

O Divina juſtitia, quam recta ſunt judicia tua! ut per hæc ipſa nos punias, per quæ te offendimus! puni ergo me DEUS, puni ſuperbiam, & vanitatem meam, per humilitatem mortis meæ. Puni ſenſualitates meas, per dolores & acerbitates ægritudinis meæ. Ulciſcere cupiditates inſatiabiles avaritiæ meæ. Et dum juſtitia tua exequitur ſententiam condemnationis meæ, ego cum Fratribus Joſephi dicam humiliter: En tandem DEUS ulciſcitur illatas ſibi injurias. Et nos juſté hæc patimur, quia peccavimus non tantum in Fratrem, ſed in DEUM noſtrum.

Actus Amoris DEI.

Quid poſſum mi DEUS facere ad declarandum tibi ardorem amoris mei pro omnibus, quæ tu tribuiſti mihi, niſi ut tibi ſacrificem & offeram vitam meam!

Quod pignus amabiliſſime JESU reddam tibi amoris mei, ut aliquantum accedat ad exceſſum illum incomprehenſibilem amoris, quo tu acceptâſti mortem crucis amore mei, qui non tantum pati, ſed & ignominiosè coëgit te mori pro me in cruce inter duos latrones, tanquam caput omnium ſceleratorum ſceleſtiſſimum & infame!

O Salvator amabilissime, cum te in hoc mi-serando statu mori videam amore mei, nonne oportet Cor meum aut saxo durius aut glacie frigidius esse, aut me ardere & mori in flammis amoris tui? O JESU amor meus, cur non habeo mille vitas, quas relinquam amore tui!

O si in mea dispositione & potestate essent omnium hominum vitæ, protestor mi DEUS! quod darem illas omnes libentissime pro tuo amore. O possim saltem mori morte per omnia simili illi, quam tu Domine pro me subjisti! o gloriosi Sancti Martyres, quam vestram vobis gloriam invideo, qui Salvatori meo vitam pro vita, sanguinem pro sanguine reddidistis!

O JESU amore mei crucifixe! siquidem non sum dignus mori & effundere sanguinem meum amore tui intra manus carnificum, saltem volo totam vitam meam gloriæ & amori tuo dedicare. Utinam & ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit. Moriar amore tuo DEUS meus, & quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amore finire, ultimus vitæ meæ actus sit amare.

Hoc etiam insuper de me certum tibi esse velim ô dulcis amor DEUS meus, ut cum etiam virtus loquendi mortis horâ defecerit, & tè dulcissimum meum JESUM amplius proferre non valebo, supplex peto, ut saltem nutus oculorum, vel extensio digiti, vel palpitatio cordis sit innovatio & confirmatio omnium desiderabilium affectuum, verborum, atq; operum præteritorum, ac futurorum, quæ usq; ad extremum judicii diem amore tui cum devoto famulatu offerre vellem, si tamdiu vivere possem.

FERIA QVARTA.

Meditatio Prima.

De judicio Universali.

Prælud. 1. Imaginare quod videas, quomodo Angeli tubis assumptis, omnia horrendo sonitu complent, mortuosq; è cineribus ad summum Judicii tribunal citantes intonant: surgite mortui.

Prælud. 2. Pete gratiam quâ illuminatus præcognoscas, & animo præsentias horrorem judicii, & discrimina, quæ manent impios, præcipuè malos Christianos, in futuro DEI judicio.

Punctum 1. MEnte concipito te videre innumeras hominum myriades à quatuor mundi partibus in vallem Josaphat congregari. Sed ah! quali differentiâ! Plurimi enim comparebunt, in corporibus fœdis, deformibus, horridis! quid de tuo speras corpore? an gloriosâ & corruscanti, an tetrâ & horribili apparebit formâ?

2. Imaginare, quod sub tuum conspectum ex infernali abysso, aliqui infelices rapientur damnati in squalidis corporibus, ardentibus onerati catenis, pallidi, vermibus scatentes, ulcerosi, verbo velut quædam monstra horribilia.

3. Imaginare, quod videas plurimas dæmonum catervas, quorum plurimi contra te fremunt & instigant: item quod audias Angelos, instinctus divinos & omnia beneficia tibi recensentes, conscientiam propriam viscera tua corrodentem & te incusantem.

4. Puta te videre iratum Judicem assurgere, eundem cruenta vulnera ostendere, quibus veluti tot linguis loquetur damnatis: Ecce homi-

nem,

nem, quem crucifixistis. videte vulnera, quæ inflixistis: agnoscite latus, quod pupugistis, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Tunc demum indignabundo vultu dicet: sanguis meus sit vobis in condemnationem. *Ite maledicti in ignem æternum.*

5. Contemplare dæmones reproborum carnifices, auditâ Judicis sententiâ velocissimè ad prædam suam accurrere, vivos ignitis compedibus oneratos, in stagnum sulphure & flammis horrens cum summa rabie pertrahere.

6. Intuere apertam teterrimam abyssum infernalem fumo denigratam, in illaq; conspice fornaces sulphureas, turbidos fumos, vasa toxico felle plena, ferramenta ignita, quibus cruciantur damnati.

7. Imaginare, quod post feralia Judicis verba tanquam è flammeis nubibus excussa tonitrua, audias stridorem dentium, maledictiones, execrationes, horribiles in DEUM blasphemias damnatorum clamantium: Væ! væ nobis miseris! cur nati sumus? cur lucem vidimus! cur non felicitas bestiarum datur nobis!

8. Interroga te ipsum: potestnè fieri, ut tam horribilis sententia irati Judicis ac æterna reproborum confusio & perditio medullas ossium tuorum non penetret?

9. Inquire ex anima tua: an non millies propter pessimam vitam & malitiam suam audire meruit hanc terribilem sententiam ex ore justi Judicis: *Ite maledicti in ignem æternum.*

10. Ingemisce & ejula, quia DEUM tuum incircumscriptæ bonitatis Oceanum eousq; amaritudine toties complevisti, ut dolore cordis in-

trinsecus

trinsecùs tactus, te opus manuum suarum maledicere, & execrari debeat.

Pro Colloquio,
Actus Contritionis.

O Anima mea miserabilis! & quid est, quod innumeris coinquinata peccatis infelicissimum tuum statum non consideras? cur non paves Judicis vultum ipsis quoq; tremendum Angelicis Potestatibus; cur non contremiscis ab ira Potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero?

Cur non contremiscis anima mea à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam! cur non horres vermem rodentem, & ignem-torrentem, & Spiritum procellarum?

Heu me miserum! quid dicam, vel quid faciam, cum venerit tempus tremendi judicii: quis eruet me de manu potenti & brachio extento contra me? quis præservabit me à ventura ira, æterna morte, à laqueis infernalibus? quid faciam cum cœli revelabunt iniquitatem meam, & adversum me terra, & omnis creatura consurget?

Quid dicam infelix esca totius inferni? incidamnè in foveam, quam feci? nunquid laqueo desperationis præcurrere contendam sententiam, quam merui æternæ damnationis? Absit! recurram ad pedes tuos mi dulcis JESU!

Recordare JESU pie, quod sim causa tuæ viæ: ne me perdas illa die. Die illâ tremendâ, quando cœli movendi sunt & terra; quando veneris

 judi-

judicare, noli me condemnare. Quærens me sedisti lassus, Redemisti crucem passus; tantus labor non sit cassus. Sedisti lassus ad fontem: flexisti lassus in horto: stetisti lassus ad columnã: ivisti lassus ad montem. Ah! tantus labor & dolor, sudor & cruor: tantus amor non sit cassus.

Carò tua sumus ô Judex vivorum & mortuorum, Sanguis tuus sumus, membra tua sumus, qualiacunq; tandem. Carnem igitur tuam ne despexeris. Carnem tuam odio ne habueris. Carnem tuam ne condemnaveris.

Non gloriamur de nostris meritis, in hoc solo gloriamur, & confidimus, quod membra simus illius corporis tui, quod pro nobis passum, crucifixum, mortuum, abunde pro peccatis totius mundi satisfecit. Quamobrem si merita à nobis quæris, ecce tibi proferimus meritum carnis tuæ. His meritis freti coram Tribunali tuo nos sistimus intrepidi. Nostra sunt, quia nostri sunt corporis. cui per lavacrum regenerationis in virtute sanguinis tui incorporati sumus.

Tua merita mi JESU ponimus intra nos & judicium tuum, aliter tecum judiciô, contendere recusamus.

Actus Deprecationis.

O Bone JESU! plene misericordiâ & pietate; ne me perdat iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua, recognosce. quod tuum est, & absterge, quod alienum est. Miserere mei benignissime JESU, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ enim utilitas in sanguine tuo, si descendero in æternam corruptionem & damnationem?

Non patiaris benignissime DEUS, ut quem

in

in filium adoptâsti, tota æternitate habeas inimicum. Non patiaris, ut cui naturæ tuæ infudisti imaginem, ille tuorum hostium præda fœdissimè dilaceretur. Non patiaris, ut, cui inter cœlites Spiritus lumen gloriæ præparâsti, ille ad inferorum tenebras condemnetur. Non patiaris, ut, quem cœli sedibus destinâsti, ille damnatorum incendiis triste pabulum objiciatur.

Hoc tuæ bonitatis inclinatio, hoc naturæ tuæ benignitas suadet. hoc paterni affectûs suavitas exigit; hoc viduatæ Angelorum sedes suspirant, hoc sanguis filii tui postulat, qui clamore valido interpellat pro nobis, ut miserearis mei in tempore judicandi. Exhibe hoc mundo amænissimum spectaculum; ex quo discat, nunquam apud te irritas esse pœnitentium preces; & quoties contrito corde timeris Judex, toties te Patris affectum exhibere.

Si verò Domine DEUS, placebit tibi damnare, & projicere me in æternos cum reprobis gehennæ cruciatus, hoc decretū libentissimè accepto, hoc tamen unicum postulans, ut in illis ardoribus sempiternis majori amoris tui igne, quam flammis inferni ardere possim. Et dum tibi omnes dæmones & damnati rabido ore maledicent; ego inter blasphemias eorum, intensissimo affectu & amore clamare possim incessanter: Benedictus DEUS! misericordiam & judicium cantabo tibi Domine! Quia dignus es Domine, ut in omni loco dominationis tuæ benedicat tibi quævis anima, & laudem tibi dicat: tum quia adhuc citra condignū punies me. Scio enim Domine omnes gehennæ pœnas non sufficere ad ulciscendas & digne puniendas tot &

tantas meas contra te offensas: cum unica mortalis offensa gehennæ supplicia mereatur æterna.

Eodem Die Meditatio Secunda.

De pœnis Inferni.

Præl. 1, Interroga te ipsum: Quo discedis peccator cogitationibus tuis? ut tuæ tam perversæ vitæ horrorem concipias, ad tenebrosam, horridam, fætidam; ac fumo denigratam inferni cavernam te converte.

Prælud. 2. Humiliter supplica, ut igne divini amoris emolliatur & liquefiat peccatis induratum cor tuum, ex quo uberrimæ lacrymæ fiant, ne in locum tormentorum descendas.

Punctum. 1. STatue te in fundo inferni coram illis igneis & fumosis cathedris damnatorum. Aspice in hac terribili fornace refertâ flammis inextinguibilis ignis, innumera damnatorum ejulantium & ululantium millia, & quomodò ex oculis, naribus, ore ardentes & sulphureas ignis flàmmas, quibus aduruntur, spirent.

2. Interroga te ipsum, potesnè tu his ardentibus prunis unicam tantum manum, unius duntaxat horæ spatiô immittere? quomodo in iisdem æternum cruciari sustinebis?

3. Converte te ad aliam partem ad gelidissimum illud stagnum glaciei, cui damnatæ animæ ex ardentissimis ignibus immani cum furiâ immerguntur. O glacies! ô gelu horridum! Heu quis frigidissimo hyemis tempore per unam horulam nudus immersus glaciei stare posset?

4. Insuper considera, quia continuo damnatorum aures puniuntur infelicissimis gemitibus,

ulula-

ululatibus, terribili rugitu. Ah! qualis hæc musica æternum non finienda! quàm canina est hæc musica!

5. Aspice, quomodo à venenosis bestiis alii torqueantur, cum capillis eorum serpentes, cerebro ranæ, visceribus vermes, pectori basilisci, dorso dracones adhæreant.

6. Imaginare, quod audias maledictiones damnatorum, maledicentium diem, in qua nati sunt, Parentes complices scelerum. Item execrantium Christi Incarnationem, Passionem, mortem, gloriam, Christi Matrem, Sanctos omnes, peccata propria non ad pænitentiam sed rabiem.

7. Imaginare quod sentias fætorem ex ambustis damnatorum cadaveribus. Caro enim verminans & putrida prunis imposita quale thus redolebit!

8. Puta te videre damnatos arctè vinctos sicut canes ac porcos, fætidos sicut haleces in canistro, sicut lateres ardentes in fornace, sicut hædos jugulatos in macello, continuo conturbari, gemere, fremere propter dæmones insultantes, & vermem conscientiæ eorum viscera corrodentem, & illis continuo exprobrantem: En tanquam bestia, tanquam canis putridus à DEO in hanc cloacam projectus es! en frustra pro te Christus mortuus est!

9. Inquire nunc ex anima tua: an non millies jam pridem has flammas infernales; illa horrifica tormenta suis sceleribus debita promeruit? quis continuit ultrices Christi manus, ne tua tam exosa puniret scelera? quis obstruxit os inferni patulum, ne excæcatus peccatis, eo præceps cum cæteris descenderes?

10. Elice actum agnitionis coram omnibus te vivente, in infernum detrusis, quod majori tecum misericordia Dominus usus sit, quàm cum illis omnibus, neq; cum illis damnari permisit. Demum postula indulgentiam, & spatium pœnitentiæ.

Pro Colloquio
Actus Contritionis.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium & pedum dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me Mater mea! ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, & plorationis æternæ? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibus ignis?

Heu me! factus sum sicut Sodoma, combustus sum sicut Gomorra! Quis miserebitur cineri meo? O quam acerbus est fructus peccati, amarior felle, crudelior gladio!

Væ animæ meæ peccatrici! væ mihi, quia tibi Domine soli peccavi nimis in vita mea, & malum coram te feci: cui uni soli semper à me, & ab omnibus creaturis summa laus, honor, amor, & gloria debetur: omnibus autem creaturis à te tua benedictio, gratia, & miseratio: sed quia solus ego peccavi tibi, idcirco nulla mihi à te debetur venia, gratia, & miseratio, sed potius omnis tuus furor, ira, damnatio, & perditio. Idcirco infernus domus mea est, ego inferni incola & hæres sum.

Idcirco etiam omnes damnatos, reprobos, præscitosq; ex inferno facessere, ac mihi locum meum

meum cedere jubeo: quia præ me omnes illi innoxii sunt, & præ omnibus illis mihi uni & soli infernus debetur: ego solus inferni pœnas pœnis meis exhaurio, & adhuc inferno dignus sum alio atq; alio. Idcirco etiam infra omnes Luciperos, Asmodæos, Beelzebubos, infra Cainos, Judas, Pilatos, descendo ac me demergo: omnibus enim ingratis, perfidis, abjectis, malignis, ego magis ingratus, perfidus, malitiosus.

At misericordissime Domine, quamvis ego infelix commisi multa nimis, unde me justissimè damnare & abjicere in æternum debes: quia tamen tu misericordiarum Pater non amisisti, unde misericordissimè salvare potes: propterea ego de profundississimis miseriarum mearum abyssis clamo ad te: Tibi soli peccavi & malum coram te feci, miserere mei: Istud in me peccatisq; meis displicet, quia tibi soli peccavi. Amare cordialissimè & æstimare te solum super omnia debui, & tibi soli peccavi.

Non ergo Domine deprecor amissionem cœli, aut deprecor supplicium inferni, sed deprecor offensam tuam. Nec ardere metuo, sed peccâsse doleo. Nec me contristat damnum meum, sed afficit & affligit injuria tua & iniquitas mea.

Actus Amoris DEI.

O DEUS meus! quanta mihi felicitas eveniret, si possem ego supplere defectum pravorum Angelorum, prosequendo te actibus illis amoris, quibus ipsi prosequi te deberent, & non solum ipsorum defectum, sed etiam hominum damnatorum, qui pro amore & laudibus execrabili contra te odio, irâq; flagrant longè pejus, quam flammis inferni. O si

O si per meam ad inferos relegationem & condemnationem honori & gloriæ tuæ posset aliquid accedere, rogarem te hanc gratiam. Et si mihi in profundissimo inferni loco sedem præparares, in quem ego maximus totius orbis peccator & abominabilissimus recluderer, & tanquam incus omnium carnificum malleis exposita, tormenta omnia, quæ sunt, fuerunt, & erunt, meo corpore excipere possem, quæ omnibus dæmonibus & damnatis debentur, ego ex cordis mei intimo affectu offero me continuo ad has pœnas subeundas, plus inde capiens voluptatis, quod infernô exhaustô, nullæ ampliùs blasphemiæ in te DEUM meum erumperent, & ex tot animarum redemptione, quæ te DEUM meum æternis laudibus prosequerentur, quàm de mea unius salute.

Amo te DEUS meus, quam intensissimè possum, & opto supra id, quod possum, omnes omnium creaturarum affectus & amorem transferre in te, odium peccatorum omnium & damnatorum in tui amorem, blasphemias eorum in laudem tui commutare, arenas omnes, & guttas, & atomos in ardentissimos Seraphinos.

Et quia te amo mi Domine! mallem ex voluntate tua acerbissimas inferni pœnas sine fine tolerare, quam sine te gaudiis perfrui sempiternis. Ibi enim locus meus est, ubi est locus majoris gloriæ tuæ, paradisus sine majori gloria tua infernus mihi esset, infernus autem mihi paradisus erit cum majori gloria tua.

FERIA QUINTA.

Meditatio Prima.

De Gloria Cœlesti.

Præl'ud. 1. Contemplare magnificentiam altitudinem, & pulchritudinem illius civitatis supernæ quæ margaritis & auro ornata constat; odores suavissimos spirat, radiisq; splendidissimis undiq; illustratur.

Præl'ud. 2. Roga ut prægustatis interiori sensu istis paradisi cœlestis deliciis, & Ægypti peponibus ac paludibus cænosis, mundi inanes siliquas ac sordes nauseabundus semper despuas

Punctum 1. Finge animo te per civitatem cœlestem ambulare: in eaq; palatia, vicos, hortos, Reges, Cæsares, aliaq; similia intueri. O Patriam desiderabilem!

2. Erige postea oculos ad altissimum hujus cœlestis aulæ fastigium. ibiq; conspice SS. Trinitatem in coruscanti & splendidissimo throno gloriæ suæ innumeris Angelorum millibus cincto, residentem.

3. Intuere ibidem gloriosam Christi Humanitatem, ac cicatrices ejus mirificè resplendentes. Ad latus Filii inspice Reginam cœli stellis coronatam, ac omnes Beatorum cætus velut lucidissimos soles.

4. Expende tecum, quomodo felices illæ catervæ simul cum Angelis gaudeant, & in continuis cantibus & suavissimis symphoniis vitam jucundissimam vivant. Quam flagrantia lilia! quam odoriferæ rosæ videntur esse singuli!

5. Cogita quantâ felicitate deliciisq; Beati in singulis sensibus corporum & animæ potentiis perfruantur. O felicem æternitatem!

6. Gratulare Sanctis omnibus tantam gloriam & beatitudinem, tantam summi boni possessionem & æternam fruitionem.

7. Accendere famelicissimo desiderio adnumerandi

randi & adjungendi te Sanctis, cum illis DEUM videndi, DEUM possidendi, & cum SS. Angelis de illorum felicissima beatitudine participandi.

8. Concupisce quam plurimos Sanctos, quam maximos, ut ab iis DEUS laudetur, honoretur, & exaltetur, & quibus viduata cœlestis Hierusalem instauretur.

9. Confunde te coram cœlo & terra, quod tantum deviaveris à via gloriosæ Sanctorum habitationis, & æternæ DEI visionis, quod pro voluptatibus tam sordidis deserueris æternas & infinitas cœli delicias.

10. Arguendo tuam stultitiam exclama: O magna domus DEI! ô Patria desiderabilis, quam vilis mihi fuisti, & quam turpiter te pro nihilo toties contempsi!

Pro Colloquio.

Actus Contritionis.

OPeriat confusio faciem meam Domine DEUS meus, quia tam dissimilis factus sum fratribus meis & filiis matris meæ Ecclesiæ! Heu quomodo apparebo in conspectu tuo Domine, & in concilio justorum tantâ charitate ardentium! illi cum timore & tremore operabantur salutem suam. Alii castigabant corpus suum, & in servitutem redigebant, cæteri non vestiebantur mollibus, sed de pilis camelorum tegebant lumbos suos.

Alii ludibria & verbera experti sunt, lapidati sunt, secti sunt. Ego autem vilis, exosus & ingratus peccator, non tantum crucem propriam tollere & Sanctis tuis assimilari renuo, sed etiam, quod gravius est, te DEUM meum centrum omnium bonorum gravissimis peccatis offendere non desino.

Quomodo

Quomodo ergo tam exosus peccator dignus erit aliquando DEO, qui offendit & contempsit DEUM? quomodo possidebit DEUM, qui eum abjecit? quomodo videbit intuitivè DEUM, qui totum intellectum avertit à DEO? quâ fronte gratiam requiret, qui æterno odio est dignus? & cui pœna debetur, qua temeritate gloriam deposcet? Quid mi Pater dicam, merui mortem, & præsumam petere vitam? nonne dulcem affectum Patris stultus exacerbat Filius, qui post illatas Patri contumelias adhuc contumax hæreditatis sibi usurpat celsitudinem?

Ergonè mi Domine, & ego deinceps audebo te offendere, & nihilominus petere regnum tuum? Ergonè deinceps audebo delicatus miles molli strato uti, indui splendidè & epulari? si beati qui lugent, eheu! quomodo felices erunt, quibus nîl placet, nisi jocus, cibus, & ludus? Itanè me non pudebit sub spinoso capite membrum esse delicatum? Quomodo potero carni indulgere, ac nihilominus petere regnum tuum, qui non habuisti mi JESU ubi caput tuum reclinares? qui & fame cruciatus fuisti & felle potatus?

Eruntnè fortiores ac prudentiores filii hujus sæculi, quam servi tui? tolerabunt illi omnia pro supplicio, & ego nihil pro præmio æterno? An ad hoc veni ô bone JESU, ut ignavus sim miles in castris tuis?

O DEUS cordis mei! non ultra mihi sapiet mundus, aut bona illius, quando gustavi & vidi, quam suavis sis Domine! Imo etiam ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantum te DEO meo fruar.

Aspirationes ad cœlestem Patriam.

O Domus DEI magna & spatiosa nimis, quando inhabitabo te? ô terra viventiúm, quando vivam in te! ô ingens locus habitationis DEI, quando capies me! ô ubertas domus DEI, quando inebriabor abs te! ô terra lacte & melle fluens, quando perveniam ad te! ô templum Domini, quando visitabo te! ô cœna magna, quando accumbam ad te! ô torrens voluptatis, quando potabis me! ô fons vitæ, quando sitim extingues in me! ô gaudium super gaudium vincens omne gaudium, quando intrabo te, ut videam DEUM Deorum in te.

O JESU! ô JESU! quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria tua! sitivit anima mea ad te DEUM fontem vivum. O quando induces me in purum, in excessivum, in absorptivum tui amorem? quando demittes me in abyssum amorosissimi cordis tui, ut omnium præter te solum oblitus, etiam me ipsum nunquam inveniam? quando in lumine tuo videbo lumen tuum?

O quando suavissime mi JESU licebit sacros pedes tuos pro me perforatos osculari & lambere? os aperto lateri admovere? ad pedes tuos in æternum sedere?

O Si hoc gaudio! ô si te solo & unico post aliquot miseros dies frui, & vocari possim ad cœnam agni & DEI mei! O JESUM DEUM meum! ô omne desiderium meum quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te ô JESU. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit Caro mea & Cor meum in salutare tuum DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus! cupio dissolvi & esse tecum mi bone JESU! Creasti nos Domine ad te & inquietum est Cor nostrum, donec requiescat in te. Nam ubi Pater meus est, ibi spes mea, & patria mea, portio mea in terra viventium. Vade, vade cor meum, ad DEUM tuum, ad amorem tuum JESUM. Ecquid vis agere diutius in hujus pectoris mei cloaca? vade, vadeCor meum, vade ad DEUM tuum, tam dulcem, tam pium, tam amabilem! nonne anima mea, ibi debet esse Cor tuum, ubi est thesaurus tuus?

O amor meus! ô DEUS meus! ô mellifluum osculum & amplexus dulcissimus, ô indissolubilis conjunctio, ô pabulum suavissimum, ô inflammatio incentiva, non amplius, non amplius possum vivere sine te. O conflagrem! ô liquefiam amore DEI mei: ô utinam nunc mori possem præ amore Domini mei JESU! ô anime mi quis te adeo beatum efficiet, ut confestim ex hac ærumnosa vita, aut morte potius evoles in DEUM!

Age boneJESU dulcis amor cordis! educ vinctum amore tui animum, debitum charitatis tuæ triumphum. Videant te oculi mei dulcis JESU, videant te, & hic moriar, ut te fruar! Ne patiaris me diutius præ tui amore & desiderio languere & diu interire.

Eodem Die, Meditatio Secunda:

De Æternitate.

Prælud. 1. Statue te cum *S.* Davide cogitante dies antiquos & annos æternos in mente habente, atq; infige diligenter cordi tuo; quid sit æternitas.

Prælud

Præl. 2. Pete humiliter, ut felicem & beatam æternitatem promereri possis.

Punctum 1. Considera, quid sit æternitas! an duratio nunquam fluens, semper præsens, perpetuum aliquod hodie! an circulus, cujus centrum semper, & peripheria est nunquam! an rota, quæ perpetuo volvitur, & quiescit nunquam! an oceanus sine fundo, littore, termino, & fine!

2. Cogita, quid sit damnatorum æternitas? an mors semper reviviscens, & vita semper moriens? an ignis vivacissimæ flammæ nunquam extinguendæ? an vorago profundissima aquarum semper ardentium? an triceps cerberus omni tempore latraturus! an vermis continuo rodens & nunquam moriens! an Basiliscus mortifero oculo! an Draco ignitis visceribus semper nocens & nunquam interimens.

3. Quære? quid æternitas utrorumq? O exoptata Beatorum æternitas! ô exoptata cœlitum patria! ô detestandum exilium damnatorum: Quam placet ista Chanaan perpetim manans lacte & melle! quam displicet illa Ægyptus repleta absynthio & felle! Euge, euge fortunata ter & amplius filia Syon! Væ, væ ter & amplius filia Babylonis misera.

4. Considera quàm diu hi & illi? semper & nunquam! nunquam & semper! durabit ignis in stygio sepulchro semper, torquebit semper, extinguetur nunquam. Hi dilatato corde lætabuntur in cubilibus suis semper. Illi præ angustia Spiritûs gementes latrabunt in antris suis semper. Verbo tam diu durabit æternitas, quamdiu DEUS erit DEUS.

5. Ingemisce & defle maledictam damnatorum

rum æternitatem, quorum unica erit in tota æternitate occupatio, sine fine, sine termino ejulare, rugire, flere, in igne sulphureo torqueri, dentium stridore concuti, præ desperatione finis malorum suorum, æternum ardere.

6. Obi animo omnes miseras animas, & damnatos omnes, illosq; alloquere: quot secula vobis hic cum aliis contubernalibus restant transigenda? quamdiu erunt vestri cruciatus? an non videbitis Dominum in æternum in terra viventium.

7. Interroga Dominum JESUM, an non sanguine suo has infernales flammas mitigabit? an non Divino suo cruore ardorem hunc sempiternum pòst myriades seculorum extinguet? nunquid in æternum projiciet DEUS: respondebit tibi: In inferno nulla est redemptio. Damnatis jam non possunt prodesse vel integra lacrymarum effusa maria, nec sanguis Martyrum, & ipsius Christi, licet infiniti valoris in cruce effusus.

8. Inquire ex anima tua, an non detestabitur vitam suam tam pessime traductam? an pro momentaneo, quod delectat, eliget æternum, quod cruciat? an pro unica gutta consolationis præeliget mare ærumnarum & æternæ plorationis!

9. Computa vires tuas, an poteris habitare in æternum cum igne devorante & ardoribus inferni sempiternis? an poteris exul esse á DEO, æternum execrari cum damnatis DEUM, blasphemare Sanctos ejus?

10. Resolve te pro commissis peccatis tuis ad maximam pœnitentiam. Desidera, ut ex oculis tuis sanguineæ erumpant lacrymæ, ut cor tuum

præ

præ immani dolore scindatur, ita, ut hic vultum amantissimi Patris toties offensi deprecari possis.

Actus Contritionis.

JUstissime DEUS, quî fieri potest, ut æternitatem mihi mineris pœnarum, neq; tamen justitiæ tuæ metum extorqueas à durissimo corde meo? an nondum apprehendo, tametsi fornacem videam æternum arsuram, quantus peccati sis hostis & quam enorme sit delictum, te offendere Dominum universorum?

Qui fieri potuit, ut tanta insania nidularetur in corde meo, ut vivere auderem vel momento duntaxat unico tibi inimicus? neq; momento tantum, sed & mensibus, & annis integris perstiti in hoc miserabili statu, nihil interea immemor veterum mearum deliciarum; & quamvis tot peccatorum gravatus pondere, somnum tamen capio quietissimum.

O insaniam omnium, quæ unquam occupavêre hominis animum, insanissimam! merebar dudum plecti sententiâ, ad emendationem usq; meam tam diu dilatâ, merebar equidem fateor, sed tu Clementissime DEUS bonitate tua malitiam meam superâsti; age igitur ne dedignare, diutius etiam sufferre me. En victum me, & captivum Divinæ misericordiæ tuæ; qui me fugitivum tanto labore quæsivisti, ne repellas supplicem à pedibus tuis, ah! ne rejicias animam, tam carò tibi emptam.

Largire fortitudinem, ut fugiam peccatum, quod ducit ad damnationem, da gratiam, ut timeam infernum, qui separat à te, timeam æternos cruciatus, dele sanguine tuo sententiam, quâ toties damnari debui ad infernum. Sic ergo his omni-

omnibus liber, velut vivum bonitatis tuæ trophæum, misericordias tuas in æternum cantabo.

Actus Deprecationis.

O Infinitè misericors DEUS! si tu me ejicis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet? Et quid proderit mi dulcis JESU, Majestati tuæ pro me tam humiliter exinanitæ, si me in æternum à facie tua projectum & exclusum in abyssum inferni æternis trades cruciandum tortoribus?

Cujus utilitatis erit ineffabile pretium tui sanguinis adeo pro me abundè effusi? & quomodo mors tua morte mortua erit, cum tartarus deglutiens imaginem tuam, simul in oblivione absorbeat infinita merita tuæ durissimæ passionis, & animam igni inextinguibili destinatam à tua beatissima præsentia perpetuò separet.

Quomodo relinques ô Pastor bone oviculam tuam solam in terra horroris & vastæ solitudinis, inter leones, ursos, & tygrides infernales? poterisnè vocem spernere ballantis hujus miseræ oviculæ & fugientis ad te?

Nunquid mi JESU cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam! nunquid iratus fueris, misericordiæ nunquam recordaberis? nunquid hæreditatem tuam delebis, & claudes ora te canentium? nunquid facies hominem, quem creâsti ad laudem tuam, gaudium sempiternum inimicis tuis?

O Pater misericordiarum! ô DEUS æternæ consolationis! qui non lætaris in perditione peccatorum, sed magis vis, ut convertantur & vivant;

vant: en habes ad thronum misericordiæ tuæ prostratum supplicem, cui unicum hoc pro totius vitæ gemitu relictum est. Peccavi! & heu petulantissimè iram tuam. Tibi soli peccavi ô Pater benignissime! mereor mille infernos. Non habeo unde solvam: mea satisfactio est tuus sanguis.

Non avertas bone JESU faciem tuam ab hac anima mortis æternæ affecta doloribus, quam non avertisti ab iis, qui eam sputis & colaphis male tractârunt. Noli benignissime JESU filii tui licet prodigi in æternum oblivisci, quia in manibus tuis descripsisti me. Noli in æternum à facie tua creaturam & opus manuum tuarum repellere: utiq; Domine nihil horum odisti, quæ fecisti. Hic potiùs ure, hic castiga, ut in æternum parcas.

FERIA SEXTA

Meditatio Prima.

De Passione Domini.

Prælud. 1. Statue tibi ob oculos cordis, JESUM totum lividum, sanguinolentum, vulneratum, dilaniatum, de cruce pendulum, & discerptum in toto corpore.

Prælud. 2. Roga Dominum JESUM, ut ex ipsius laboribus, sumptibus, & sudoribus, uberes fructus colligas,

Punctum. 1. COnsidera, quis & qualis pro te patitur? Dignitate DEUS & homo! Quid mirabilius! quid horribilius! quis unquam cogitavit simile! potuitnè vitâ mori! DEUS flagellari! potentia DEI funibus ligari!

imago

imago æterni Patris conſpui! DEUS denique nudus inter duos latrones ſuſpendi!

2. Quære: quid & quanta patitur? Tam magna, tam multa, tam ignominioſa tormenta paſſus eſt, in urbe Orbis principe, in oculis innumeræ multitudinis, poſt tot miracula, in tenerrima corporis conſtitutione, omni genere immaniſſimo ſuppliciorum. Fuêre tanta, ut Angeli pacis amarè planxerint, tanta, ut rupes ſciſſæ, cœlum, terra, omniaq; elementa trepidàrint.

3. Pro quo patitur? Non pro diviniſſimis illis Spiritibus Cherubinis aut Seraphinis, ſed pro hominibus viliſſimis: pro te in particulari luto & cinere: pro ſuo inimico: pro te abjectiſſimo & ingratiſſimo homuncione: te damnationis æternæ reo: te nequam & prodigo filio.

4. Quo tempore incepit Chriſti Paſſio? Duæ fuerunt Chriſti cruces, una ſpiritualis, quæ à primo inſtanti conceptionis cæpit: altera corporalis, cui principium datum in præſepio. Spiritualis Crux conſiſtebat in continua triſtitia interna, quam cauſabat viva futurorum vulnerum & mortis crudeliſſimæ apprehenſio: priusquè Chriſtus ab amore, quàm ab odio crucifigi voluit.

5. Quare patitur? nulla illi patiendi neceſſitas; non quòd indigeat nobis, utpote ſe ipſo feliciſſimus, non quód accedat quidquam, aut detrahatur, ſi vitam aut damnationem æternam incurramus. Patitur ergo ex ſolo amore, pietate, miſericordia, ultro, ſponte, alacriter.

6. Tunc demum dulce cum JESU tuo inſtitue colloquium: Quid facis bone JESU! nos mori debuimus, & tu ſolvis! nos peccavimus

& tu luis! quæ non rapuisti reddis! Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.

7. Deinde admirare effusissimam ipsius in redemptione & passione liberalitatem & dic: Quæ tua mi JESU bonitas & liberalitas? una guttula non dico cruoris sed sudoris, ad redimendum universum mundum, & mille alios, si extarent, sufficeret: & tu non guttam, sed torrentem sanguinis tui effundis?

8. Revoca tibi in memoriam illa verba amoris plena Christi Domini ad S. Gertrudem prolata: Vide quomodo crucifixus sum amore vestri, quomodo pendeo nudus, despectus, toto corpore vulneratus, per singula membra distentus! & adhuc te ita amo, ut si aliter salutem consequi non posses, vellem iterum mori pro te. Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissima voluntate corpus meum traderem, eandemq; passionem, pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.

9. Cogita nunc atq; delibera; Quo ille dignus sit? quid tu illi debeas: quid retribuisti Domino tuo pro omnibus quæ tribuit tibi!

10. Erubesce & confundere, quòd tanta tãq; indigna mala pro tantis bonis & donis retribuas: quòd tantis ejus ærumnis, malitiâ tuâ & perditione causam dederis: quòd illi compati & crucem tuam tollere nolis.

Pro Colloquio.

Actus Contritionis.

O JESU pro me crucifixe! quãtorũ ego tibi dolorum causa

lorũ causa fui! verè languores meos tulisti bone JESU, & dolores meos portâsti! O JESU! ô amor! vix pro justo quis moritur, tu pro inimicis & pro injustis mortuus es? O ardentissima charitas! ô quam suaviter uris! quam fortiter trahis in funiculis Adæ & charitatis? vulnerâsti Cor meum JESU mi, vulnerasti Cor meum: utinam amore tui mori possem & vivere tibi!

O me ingratum hominem! quid pro his omnibus reddidi tibi? pro tantis beneficiis tanta reddidi mala! pro his omnibus toties tam graviter contra te benignissimum Patrem ego ingratissimus filius, contra te supremum Principem, ego rebellis servus, contra te DEUM & Redemptorem meum, ego ingratissimus & vilissimus terræ vermiculus insurrexi: toties sanguinem tuum peccatis meis conculcavi: iterum atq; iterum te in crucem adegi: tot animas tuis vehementissimis doloribus & pretioso Sanguine emptas occidi!

O Zelosissime & profundissime amator & Pater animæ meæ, induo & superinduo sicut diploide faciem meam, confusione peccatorum meorum. Sto pudore plenus ante te. Et non me movet ad confusionem & dolorem horrendus infernus, quia offendi te, non me movent acerba vincula & æterni gehennæ cruciatus! Tu me moves mi DEUS! non me movet cœlum, quod propter peccata mea amisi. Movet me, quòd videam te totum excarnificatum, & in toto corpore discerptum. Movet me caput tuum Spinis coronatum. Movet vultus tuus sputis, alapis, & livore deformis. Movent manus & pedes clavis saucii. Movent me opprobria, & mors tua, & Sanguis tuus, & ita movent, ut si non

esset

esset infernus ullus, & si nullum esset cœlum, tamen peccata mea detestari & execrari amore tui vellem.

O si vel nunc tota abyssus ingentium aquarū recipiatur sinu cordis mei, illamq; effundam in signum doloris mei! ô si præ acerbo dolore omnes guttæ sanguinis mei mutentur in lacrymas, aut lacrymæ mutentur in sanguinem, quia toties ausus sum contemnere ô bone JESU pretium sanguinis tui.

O si etiam daretur in me unicum æterno priùs in te amore donatum, & in eo confirmatum omnium damnatorum & damnandorum pœnas colligi & acervari, sic ut cæteri omnes, qui modò impiè calcant pedibus suis tuum sanguinem, te Salvatorem suum laudarent, & nullus omnino non amaret, qui potest amare! profectò mi JESU non diceres amplius, justè conquestus, quæ utilitas in sanguine meo?

Actus Compassionis.

QUis mihi hoc tribuat, ut pro te moriar amantissime JESU! tuas angustias considerans in me ipso deficio, & præ dolore exanimis efficior, dum te pro me tanta mala sustinere conspicio. Quid fecisti Domine? quare pro me vilissimo ascendisti crucem? & quid sum ego putredo & vermis, pro quo tu Dominus omnium debeas sic affligi?

Quare talem mi JESU commutationem fecisti, ut dares vitam pro morte, veritatem pro vanitate, gratiam pro malitia, & gloriam pro miseria? Nonnè meliùs erat mi bone JESU, ut non essem, quàm ut factus te occiderem? & cur carnes meas non lacero præ dolore? aut

quomo-

quomodo me omnis Creatura non occidit, qui fui occasio tuæ mortis?

Nonnè mirabile videtur me cogitare, te tam nobilissimum & benignissimum Dominum pro me vilissimo mortuum, & non statim deficere præ nimia tristitia? O Frater dilectissime & primogenite, tristitiâ nimiâ affecte, quomodo ego frater tuus, si hujus tristitiæ tuæ conscius non contristor! O JESU benignissime, qui pro me angustiatus & afflictus es, flagellis laceratus, & terribili morte peremptus. quomodo ego filius tuus, si hæc videns mærore non consumor! O Sponse dulcissime pro me tantâ amaritudine plene; quomodo ego Sponsa, si tuam amaritudinem non participo?

Morior mi JESU, morior, nisi videro in manibus meis fixuram clavorum tuorum, & in pedibus meis cicatrices & vulnera pedum Sanctorum tuorum. Morior mi JESU nisi videro pectus meum tuâ lanceâ transverberatum, & Caput meum tuâ spineâ Coronâ redimitum. Certè mi dulcissime JESU nolo vivere sine vulnere, quia te totum pro me video vulneratum.

O cur crucis illius loco non fui, ut tu Domine mi fuisses manibus meis & pedibus conclavatus! certè illi Joseph ab Arimathea dixissem: non auferas JESUM à me, sed mecum illum sepelias, & deponas in sepulchro.

Eodem Die meditatio Secunda.

De pœnis Purgatorii.

Prælud. 1. Descende vivens in purgatorium, domum flammarum ingentium, lacumq; ingentem maximum & ardentissimum, ac ibidem

intu-

intuere hominum myriades, & inter illos Principes, Prælatos, Sacerdotes, Religiosos, plebeios conspice.

Præl. 2. Pete lumen, ut agnoscas, quàm sit intensus ignis purgatorii.

Punctum. 1. CONsidera, quia pœnæ purgatorii tantæ sunt, ut S. Augustinus dicat: *Ignis durior est purgatorii, quàm quidquam in hoc sæculo pœnarum videri, excogitari, aut sentiri potest.* Ser: 42. de Sanctis. Et S. Thomas 3. p. q. 46. a. 6. asserit pœnis Martyrum omnium, imo ipsius Christi Salvatoris cruciatibus esse acerbiores pœnas purgatorii.

2. Quære ob quam causam, hæ animæ, creaturæ nobilissimæ, genus electum, gens Sancta, tantas & tam atroces patiantur pœnas? Ideò, *quia etiam stipula, etiam fœnum in judicium & pœnam veniunt:* 2. Cor. 3. *Etiam de verbo otioso reddetur ratio in die judicii* Mat. 12. *Etiam minutissima cogitatio divinis oculis discussa non placuit.* S. Gregor. 21. Homil.

3. Tunc demum imaginare, quód videas ignea in flammis purgatorii corpora, lacrymas, quas fundunt ignes esse.

4. Postea odorare sulphureum illum & teterrimum odorem, & gusta quàm amarus sit calix punientis DEI.

5. Deinde si quam illæ flammæ animam extulerint ad conspectum tuum, percunctare: cur tot annis in igne devorante & ardoribus sævissimis misera permaneat? certè respondebit tibi, ut ille Paraliticus, qui 48. annis jacuit ad Piscinam Probaticam: *Domine hominem non habeo?* qui me è loco isto moveat.

6, Insuper inspice mentis oculo, quantus sit in ani-

in animis illarum dolor & mœror, ut clamant querulæ: Quia lumen cœli non video! quia à DEO meo centro & ultimo bono meo, tãdiu arceor & exulo!

7. Gratias age nomine animarum purgatorii, Divinæ bonitati, quòd temporaliter in illas igne & pœnis advertat, ne in æternum igne gehennæ puniat.

8. Opta tibi tantam felicitatem. O si Divina misericordia te etiam hoc igne purgatorii dignaretur! O si hic potius ureret, hic secaret, ut in æternum parcere possit.

9. Excita in te desiderium, quòd velis ex corde animas purgatorii tanquam ardentes stipulas lateri Christi aperto admovere, ut ex illo ceu limpidissimo fonte guttæ Sanguinis, aut aquæ stillæ bullientes effluant ad extinguendum, vel saltem mitigandum ardorem purgatorii.

10. Pete gratiam, ut totum vitæ tuæ tempus benè & fructuosè impendere possis, & pro peccatis hic satisfacias; ne cogaris ibi solvere usq; ad novissimum quadrantem.

Actus pro Defunctis.

RESpice pie Pater de sede magnitudinis tuæ, ad miseras animas in purgatorio detentas. Respice pœnas & cruciatus, quibus tam miserabiliter torquentur. Considera gemitus & lacrymas, quas ad te fundunt: audi preces & supplicationes, quibus misericordiam tuam implorant, & esto propitius peccatis eorum.

Offero tibi Pater Clementissime animam dulcissimi Filii tui JESU cum omnibus ejus actibus, & animas omnium Sanctorum & Sanctarũ,

ut

ut è pœnis liberentur Electi tui.

Offero tibi pie Pater JESUM flagellatum & crucifixum, & Sanguinem ejus in terra effusum, JESUM morientem & lacrymantem pro omnibus peccatis animarum purgatorii, quæ unquā perpetrarunt. ac pro illarum negligentiis, offero tibi ferventissima ejus desideria: pro omissionibus bonorum operum, offero tibi ejusdem meritorum abundantiam.

Demum pro omnibus pœnis quibus obnoxiæ detinentur, offero tibi omnes pœnitentias, jejunia, vigilias, orationes, labores & afflictiones, vulnera, livores, passionem & mortem, quàm innocentissimè & promptissimè Filius tuus sustinuit.

Insuper offero tibi misericors DEUS venerabile SACRAMENTUM in omnibus Templis per universum mundum, omnia Sacrificia jam peracta, & ad finem seculi peragenda, omnia Martyria, omnia vota & obsequia justorum, quæ tibi dant gustum, vel quæ tibi placuerunt, & in æternum placebunt, omnem pœnitentiam, mortificationem, jejunia, vigilias, & omnia merita totius militantis Ecclesiæ. Et offero hæc omnia pro peccatis animarum purgatorii, humiliter obsecrans, ut per hæc, libertatem vel saltem levamen pœnarum consequantur.

DIE SABBATI.

Meditatio Prima.

De beneficio vocationis.

Prælud. 1. Constitue te coram DEO totaq; cœlesti

lesti Curia, & cogita quanta tecum Dominus misericordiâ usus est. qui te cum paucis aliis, imò paucissimis respectu multorum ex prædestinatione, ut speras, vocavit ad Religionem Sacram.

Prælud. 2. Pete lumen cœleste, quo clarè cognoscas beneficium vocationis tuæ, & ad quē finem vocatus es.

Punctum. 1. REvoca tibi in memoriam in quantis periculis verlabaris vivens in seculo, commemorando peccata tua, occasiones, & miserias, in quibus ceu iu limo profundo hærebas.

2. Perpende, quanto in periculo versentur ii, qui sceleribus implicati vivunt in seculo, vel qui gratiam similis vocationis acceptam deseruerunt. Quis hoc effecit ut ab illis avulsus ad portum securitatis pervenires?

3. Considera, quomodo singularem benevolentiam, familiaritatem, & intimos amores SS. TRINITAS exhibet castis & à mundo avulsis. Nam tota anima sanctificante gratia nobilitatur, Deniq; filia electa dulcissimis affectibus DEUM semper intra se complectitur Deinde gaudent Religiosi; quia nomina illorum scripta sunt in libro vitæ. Imò jam corde in cœlo fixi ea gaudia prægustant. Tanta hæc est exultatio, ut Xaverios exclamare cogat: *satis est Domine, satis est.* Et Antoniis, Macariis, Bernardis, breves dulcesq; reddat totas insomnes noctes cum DEO transactas. Verissimè S. Aug. *Justis non subtrahuntur delciæ, sed commutantur illicitæ in licitas, fluxæ in solidas, fædæ in puras.*

4. Commemora, quid S. Bernardus dicat de Cella Religiosi, ita ille: Cœli & cellæ Religiosi

habita-

habitatio cognata eſt: à celando enim cœlum & cella nomen habere videntur, & quod geritur in cœlis, hoc in cellis. Quid enim aliud eſt hoc? vacare DEO & frui DEO? à cella ſæpè in cœlum aſcenditur, raró à cella in infernum deſcenditur.

5. Adora Dominum in illo loco, in quo tibi primùm data gratia efficax ingreſſûs in Religionem. Item in loco, in quo veſtem Religioſam aſſumpſiſti: vota & Profeſſionem feciſti.

6. Gratias age Sancto Religionis Fundatori, quòd te inter ſuos adlegerit, cùm tu millies indignus fueris hâc veſte Religioſa, indignus omni gratiâ, & cœleſtibus inſpirationibus.

7. Incuſa & argue te coram cœlo & terra: O ſi hoc medium ſalutis alii haberent, vocationis ſcilicet beneficium, quam ſanctè illo uterentur! Hoc enim cordi tuo altè imprime, quia dum vinci te à ſæcularibus in ſervitio DEI permittis, cadit ſæpius ſuper te ipſius Chriſti ſententia. Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus. Multi veniēt ab oriēte & ab occidēte & recubent cũ Abraham, Iſaac, & Jacob in regno DEI, Filii autem regni ejicientur in tenebras. Sic in die judicii dicet multis Chriſtus, qui in nomine ejus multas virtutes fecerunt: Neſcio vos, recedite à me operarii iniquitatis.

8. Interroga te ipſum: quoties Religionem Sacram tuâ peſſimâ vitâ diffamaſti? quot à te neglectæ inſpirationes Divinæ? quot occaſiones DEO ſerviendi præteritæ? quàm exigua talentorum à DEO conceſſorum, temporis pretio-

ſiſſimi, conſiliorum piorum, & exemplorum bonorum cura?

9. Plange itaq; ſuper te, quia te plangunt Angeli, te plangunt guttæ ſanguineæ Chriſti, plangunt lacrymæ Sancti Patris tui, quia peccaſti, & mali illius quod commiſiſti, pœnitentiam non egiſti, quinimò graviùs in Religione deliquiſti.

10. Proteſtare de tua fidelitate & emendatione, quòd velis in poſterum ſanctius in Religione vivere, & diligentius vota emiſſa obſervare, continuò ad perfectionem debitam aſpirare.

Pro Colloquio,

Actus Contritionis.

OBſtupeſco Domine! quomodò ampliùs ſuſtineas conſpectum meum, cùm ſim creatura tibi tam ingrata & rebellis. Profectò Domine ego ſum vilior peccator omnibus reprobis, & credo neminem tam longè unquam à te receſſiſſe, quàm ego receſſi per mea flagitia. Imò credo ſi maximi quiq; peccatores mundi habuiſſent talia auxilia, qualia ego à te accepi, majore ſinceritate cordis & feſtinatione ad te redituros. Latrones ipſi & ſacrilegi perfectiùs tibi Domine famularentur, ſi eos tot, ùt me affeciſſes beneficiis & vocaſſes.

Ideo prorſus me indignum reputo, mi Domine, ut tibi ſerviam, tuq; exaudias orationes meas, indignus ſum hâc veſte Religioſa, indignus omni gratiâ, indignus ſum etiam, cùm tibi ſim inobediens & refractarius, qui habitem inter tuos ſervos, à quibus ſi pro meritis me

tracta-

tractare vellent, nihil aliud audire me opporteret, quàm contumelias & convitia.

Quin etiam procul amandari me conveniret à consortio tuorum servorum, ne fortè putrefcendo abominabilium ulcerum, & vitiorum meorum quenquam illorum inficiat.

O JESU mi Clementissime! en gravissimus peccator, servus tamen tibi mille votis mancipatus, recurro cum fiducia ad pedes tuos, summoq; cum dolore animi meam ingrati udinem & malitiam accuso, confitendo omnia peccata, præcipuè in Religione commissa; quorum me summopere pœnitet.

Nihil inferni, mi dulcis JESU, timor neq; amittendi cœli metus in detestatione scelerum meorum loci habet. Solus ante oculos meos Tui amor obversatur. Non aliam doloribus oppressi cordis propter iniquitates meas reperio causam, quam quia te JESUM amo.

Largire quæso Domine, ut omnia peccata in posterum longè a me fiant: & quamvis ego natura non possim esse impeccabilis, saltem ô bonitas infinita, fac mihi hanc gratiam, ne unquam mortaliter peccem. Deinde fac Domine, ut loco vitiorum in me imprimantur omnis generis Sanctæ virtutes, quod totum tibi cedat in gloriam, gratiarum actionem, & salutem animæ meæ.

Actus Amoris DEI.

O Fons amoris perpetui bone JESU, quid dicam de te? quomodo potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari, etiam postquā perii! quis hoc misericordissime Domine effecit, ut, cum ego in peccatis mortuus & sepultus jacerem, me tua gratia excitaret! Quid feci ego

ei ego? quid merui? nihil: sed vox sanguinis tui ô! JESU! ô JESU! clamavit ad Patrem, & inveni gratiam in oculis ejus, & venisti, & sustulisti me, ex mediis periculis.

O altitudo judiciorum & magnitudo miserationum tuarum! quot homines interea in medio peccatorum suorum cursu subita morte sunt abrepti, qui nunc misere torquentur in inferno! quid factum fuisset de me, si tu me tunc ad strictum evocasses tribunal? quis cúm ego dormiebam, pro me deprecatus est?

Quid in me dulcissime JESU invenisti obsequii, ut tantum rependeres præmii? quid in me vidisti amplius, quam in aliis quos reprobasti? Toto vitæ meæ tempore te non cognoscebam, te non amabam, abyssus eram iniquitatis & tenebrarum; & tamen tu mi JESU super hujuscemodi peccatore dignum duxisti aperire oculos tuos.

Benedictus sis Domine JESU in illo primo intuitu ad peccatricem animam meam, & cum in tota collectione animarum nullam indigniorem haberes, quam respiceres, in eam tamen indignissimam respexisti. Benedictus sis Domine JESU in hoc triumpho bonitatis tuæ de Te ipso, in quo tam magnificè, & gloriosè triumphavit de te Bonitas & misericordia tua. Laudēt te Domine omnes Sācti tui, quia respexisti super unum canem mortuum.

Quomodo ergo mi bone JESU non exaltabit te anima mea pro tantis miserationibus tuis, omnibus diebus vitæ meæ? quomodo non tota se eviscerabit, exinanietq; in dilectionem bonitatis & charitatis tuæ? O DEUS meus! ô dulcis amor meus! hoc tibi de me certum esse

velim, quod abhinc tam firmâ, tamq; constanti voluntate statuerim te diligere, ut etiamsi mihi nihil unquam, neq; in hac, neq; in altera vita, boni conferre velles, imò si in hac vita omnibus ærumnis, pœnis & cruciatibus, & in altera vita suppliciis æternis me afficeres, nihilominus amare te velim, & ex intimis cordis mei medullis tibi servire.

Eodem die Meditatio Secunda.

De Cultu Magnæ DEI Matris.

Prælud. 1. Statue te in conspectu pretiosissimæ DEI Parentis Virginis MARIÆ.

Prælud. 2. Petas ut pretiosissima DEI Parens, tibi sit Domina, tu autem illius sis servus, & mancipium.

Punctum 1. GRatulare Beatissimæ, quòd sit arctis vinculis alligata affinitatis & consanguinitatis cum Divinissima Trinitate. Est enim Filia Patris æterni: est Mater Filii DEI: est Sponsa Spiritus Sancti: est Templum SS. Trinitatis.

2. Gratulare ipsi de illo gustu & complacentia, quam habet SS. Trinitas de hoc singulari opere suo.

3. Exulta, quòd DEUS amet Beatissimam super omnia opera sua.

4. Gratias age DEO pro electione hujus Virginis in Matrem, pro conjunctione Virginitatis & Maternitatis.

5. Adora in B. Virgine relucentem DEI Puritatem, Sanctitatem, Sapientiam, Misericordiam &c.

6. Gratulare, duo dona soli Beatissimæ propria;

pria: donum Virgineæ Maternitatis divinæ, & donum Immaculatæ Conceptionis.

7. Congaude illi, quòd sit Domina, & Regina totius universi & omnium creaturarum: creaturas autem omnes & singulas illius esse subditas ejusq; mancipia. Quia enim Filius ejus est verus DEUS, & ideo absolutus rerum Dominus, omniaq; ei subjecta naturaliter fiunt: inde consequenter Mater hujus DEI ac Domini omnium, est etiam naturaliter omnium Domina, & omnia ejus mancipia.

8. Cum tota *Ecclesia* ages gratias DEO pro omnibus donis naturæ, gratiæ, & gloriæ, pro omnibus favoribus & privilegiis, super omnes Sanctos Beatissimæ à DEO collatis.

9. Protestare coram DEO, quòd gloriæ ipsius integritatem redimere, augmentumq; illius procurare cupias, etiam cum tui ipsius jactura, inquantum id gustui divino conforme esset.

10. Exulta & gaude, quòd Beatissima (teste S. Anselmo) sit Advocata, Patrona, & Mater nostra, *tam pia, tam potens, ut omnem ad eam conversum & ab illa respectum impossibile sit perire. Imò nullus est, qui salvus fiat, nisi per hanc Sanctissimam: nemo est, qui liberetur à malis, nisi per hanc Purissimam: nemo, cui cœleste donum conferatur, nisi per hanc charissimam*, inquit S. Germanus.

Affectus varii erga B. Virginem.

EMinentissima DEI Mater & Virgo, adoro Te cultu Hyperduliæ; cum tota Ecclesia, tanquam Matrem DEI & Dominam mundi.

Saluto te in unione amoris & per Cor dilecti Filii tui, atq; omnium te amantium dicens cũ

S. Mechtildæ: Ave ex Omnipotentia Patris, ex Sapientia Filii, ex Clementia Spiritûs Sancti, dulcissima Virgo MARIA cœlum & terram illuminans.

Saluto te eo affectu, quo salutat te Æternus Pater, tanquam Filiam suam: eo affectu, quo te salutat Verbum æternum, tanquam suam Matrem: eo affectu, quo te salutat Spiritus Sanctus tanquam suam Sponsam.

Saluto te, eo affectu, quo te salutaverunt Sancti, qui ante nos fuerunt, quo te salutant nunc, & salutabunt ad tempora Antichristi. Saluto te & omnibus Salutationibus Sanctorum omnium, tota æternitate duraturis.

Pretiosissima DEI Parens, amo te post DEUM super omnia: quia DEUS super omnem puram creaturam amavit & amat te: quia omnes Cives cœli amaverunt & amant te: quorum amore amo te.

Tantum te diligo dulcissima DEI Mater, ut si ego solus possiderem omnium electorum gratissima corda, libenter illa omnia amori tuo impenderem.

Agnosco te & recipio, dignissima DEI Mater, in Matrem & Dominam meam, meq; Tibi in filium & mancipium perpetuum offero.

Monstra ô MARIA! te veram esse mihi Matrem, ama me usq; in finem, & fac, ut te redamare totis visceribus cordis mei contendam.

Accipe ô Serenissima Regina, & Domina mea, accipe jam ex hac hora possessionem absolutam & perpetuam mei.

Tibi, tuoq; servitio omne tempus, quantùm possum, dedico: & opto momenta singula illius con-

converti in æternitates, quibus Tibi inserviam.

Doleo, quòd hactenus non servierim Tibi, ut debui. Pœnitet me, quòd tibi aliquando ingratus fuerim ô dulcissima Domina mea, confundor, quòd nihil dignum hucusq; honore tuo fecerim.

Utinam! utinam omnia momenta vitæ meæ pro maxima gloria tua impendissem, & servivissem Tibi corde perfecto.

O Mater dilectissima, de filiis tuis semper solicita accende nostrum in te affectum, ut te Matrem nostram ex corde veneremur, diligamus, & colamus.

CAPUT VI.

De pœnitentiâ, vera salutis semita, quâ homo ex regione longinqua ad DEUM & salutis viam revertitur.

ITinere trium dierum Israëlitæ ad montem DEI Oreb profecti sunt, ut sacrificarent Domino DEO. Viator postquam revertitur ad viam salutis æternæ, & vult contritioni operam dare, veluti quodam itinere tridui pergat in desertum ex Egypto, & de Pharaone & exercitu ejus triumphabit. Hujus tridui, spirituali intellectu, dies primus est contritio, secundus confessio, tertius satisfactio.

Motiva

Motiva ad maturam & feriam conversionem Viatoris ad DEUM.

1. *Incertitudo mortis.*

DEUS pœnitentibus promifit veniam, fed peccantibus fpatium pœnitendi non promifit. Quotidie efferuntur cadavera, cadunt juvenes & fenes, audis & legis, ille hodie occubuit gladio, ille cervicem fregit, ille fomnum produxit in mortem, alius pefte, fulmine, latrociniô interiit. Quid fi & tuam hac nocte, hac die, repetent animam àte? Quot millia hominum delufit ifta fpes, aut potiùs ftulta præfumptio? an nunc in inferno pofiti funt, mors depafcit eos; præcifa enim eft velut à texente vita eorum, dum adhuc ordiri viderentur. Omnē ergo diem crede tibi diluxiffe fupremum, ac ultimum, & cum mane fueris, puta te ad vefperum non perventurum.

Confidera diligenter, quia cōtinuò veloci curfu pergis ad æternitatem nullo termino concludendam, & finiendam, & audes vel uno momento manere in ftatu peccati mortalis? in quo fi moriaris, in puncto defcenfurus es in infernum! cur non recogitas, quia, fi in ftatu peccati deceſſeris, habitabis infelix in igne devorāte & ardoribus fempiternis? quia totus DEUS vacabit ad pœnas tuas, & vacabit per omnē æternitatē fuā, ufq; ad inferni noviſſima, ufq; dū cōpleat inebrietq; fagittas furoris fui juftiſſimi in te. Cōputa vires tuas, num poteris fuftinere irruentes fuper te montes vindictæ DEI!

Quòd fi nunc tuum confpectum ex infernali abyſſo (DEO ita jubente) infelix ille Chrifti difcipulus, aut alius ob unicum folùm pec-

catum

catum mortale damnatus raptaretur, catenis oneratus igneis; quem si hujuscemodi compellares verbis: Expone Juda quinam & quamdiu tui erunt cruciatus? quot sæcula tibi cum tuis contubernalibus pro diluendo tuo peccato restant ibidem transigenda? cruciatus nostri reddet ille, sunt acerbissimi. Vos in plumis stertitis, nos in flammis æternas vigilias agimus, vos ridetis, nos dentibus stridemus, vos gulæ litatis, nobis pix & sulphur propinatur.

2. *Passio Christi Domini.*

VIde durum & impœnitens cor, vide Christum Dominum pro peccatis tuis in cruce erectum, nudum tot scurrarum risui & blasphemiis inimicorum expositum! caput immitti spina ad cerebrum usq; perfossum, & ad mortis imperium incurvatum, sub quo astra tremunt. Vide pectus divinorum ignium officinam lethali frigore contractum languere, & manus ac pedes attritis Clavis ligno affixos, totum Virgineum corpus unum propè vulnus factum.

Intuere illum ipsum, qui cum DEUS esset, propter te DEUS homo factus est. & propter eundem te, propè non homo, sed hominis figura, specie & decore amisso. O quale spectaculum porrigit oculis tuis Golgota! in medio Palæstinæ.

Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum. Et his non moveris, ut peccata deseras? quamdiu ludes & illudes sanguini Christi tui? Christus

ſtus innocentiſſimus Salvator, pro te in acerbiſſimis cladibus ac doloribus ſuis, in infami ligno medius inter latrones pendet, & tu ingrederis in domum tuam, domum infelicis gaudii, domum improbæ voluptatis, ut comedas & bibas, & dormias, atq; indormias peccatis tuis?

Moveat te amor boni JESU, & ad eum revertere. Crudelis es, ſi fructu laboris ſui JESUM tuum defraudes, fruſtra pro te mortuus eſt. Sanguinem ſuum ſeriò de manu tua requiret, & tota Paſſio Chriſti ſtabit contra te ad majorem damnationem tuam.

3. *Pœnitentia ſera rarò ſolet eſſe vera.*

TAlis pœnitentia uſq; ad mortem dilata ſæpiùs ex parte pœnitentis non eſt vera; quia talis pœnitentia non eſt voluntaria, & conſequenter non eſt meritoria. Ratio: quia ſi mors nunquam veniret, aliqui ex pœnitentibus nunquàm pœnitentiam facerent. Hinc S. Auguſtinus ſer. 36. Age pœnitentiam dum ſanus es, ſi ſic agis, dico tibi quia ſecurus es: quia pœnitentiam eo tempore egiſti, quo peccare potuiſti: ſi vis pœnitentiam agere, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Et iterum. Ipſa eſt res, quæ multos occidit, cum dicunt cras, cras, & ſubito clauditur oſtium. Remanſit foris cum voce corvina, qui non habuit gemitum columbinum.

Quia licet pœnitentibus venia, non tamen perinde etiam pœnitendi gratia promiſſa eſt, uti rectè Hugo de S. Victore cum aliis advertit dicens: Ego ſcripturam audio dicentem, quia

in qua-

in quacunq; hora ingemuerit peccator, salvus erit. Ezech: 33. non dicit biduo, aut biennio ante mortem si ingemuerit, sed in quacunq; hora ingemuerit, salvus erit. At verò paulò pòst subjungit: nec tamen sub hac spe securè tibi peccandum est, propterea, quod in fine, si conversus fueris, salus tibi promittitur. Nam quamvis etiam tunc venia tibi, si verè pœnitueris promittatur, non tamen tibi, ut tunc verè pœnitere debeas promittitur, valde difficile est, ut tunc vera sit pœnitentia.

Deinde omnes SS. Patres, & sapientes viri talem procrastinationem disuadent. De quo motivo sic discurrit Dionysius Carth. a. 2. de conver: peccat: in omni materia acquiescendum est prudentibus, & expertis in illa materia. Cum ergo ipsemet Dominus noster JESUS Christus Sapientia DEI Patris, & magni consilii Angelus, & universi Sancti ipsius Apostoli, & Prophetæ, & Sancti Doctores hanc pœnitentiæ dilationem omninò disuadeant, concorditer reprobent, ac vehementer condemnent, certum est, quòd stultissimum & iniquum sit, pœnitentiam sic differre.

Dionysius Carthusianus, de quodam defuncto scribit, illum ex divina dispensatione alteri apparentem, ad nostram eruditionem, in memorabilia hæc prorupisse verba: O cras! cras! quàm longam mihi restim fecisti, & in barathrum mortis me procrastinando traxisti!

In vita Thomæ Mori Regni Anglicani Magni Cancellarii, & Martyris sequens impii cujusdam legitur exemplum, in tom: 1. l. 2. c. 13. operis, quod mortes peccatorum pessimæ, insti-

titu-

titulatur, his verbis recensitum: Rogabant amici amicè hominem, ut maturaret ad meliorem mentem redire, sed responsum aliud non tulerunt, quàm plenum illud vanissima præsumptione, cùm migrandum hinc fuerit, tribus se verbulis DEUM ad clementiam expugnaturum, & cœlum exoraturum. Verùm res aliter cecidit, cum enim postea equitando transiret in ponte fluvium, & improvidum pedem equus impingeret saxo, unâ secum sessorem Herum in subjectam aquam effudit. Jam miserando casu præcipitabatur eques, cùm subitò, ubi periculum animadvertit, sensitq; intra fluctus non sicca se morte occubiturum, contentissimo nisu clamavit tria novissima verba. Et quæ illa? utiq; quibus salutem, & astra momento uno apud DEUM impetraret, quēadmodum jactaverat non semel facturum se in ultimo vitæ discrimine? Dixerit itaq; cum Regio Vate: Miserere mei DEUS: aut illud: Tibi soli peccavi; vel cum publicano: DEUS propitius esto: sed heu! de sceleribus suis, de cœlo, de DEO altum servavit silentium, illud unum ingeminavit: Rapiat omnia dæmon. Ita miserum sua memoria destituit, & cum deberet in eo casu tria salutis verba dicere, tria desperationis protulit tractus inter vortices ad eum, quem vocibus ultimis compellavit.

Insuper sciendum est, quia talis procrastinatio, seu impœnitens cor peccatoris numerum peccatorum à DEO ad reprobationem præde-finitum citiùs implere facit, ut sentit Mansi disc. 19. n. 7. Nam certum est, DEUM uniuscujusq; omnes enumerasse passus & gressus, quibus à divinorum præceptorum suorum semita

mita deviavit, dicente patientiæ speculo: *Tu quidem gressus meos dinumerasti*. Paulo post clariùs inquit: *Signasti quasi in sacculo delicta mea*: Divina enim justitia certum quendam limitavit peccatorum præfixum numerum, ad quem usque tolerare vult impium, filum vitæ ipsius detruncaturus, mox ut ad illum peccatorum numerum, impius pervenerit. Unde apud S. Jobum Spiritus Sanctus ait: *Usq; huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos*: Cum igitur ad quem usq; peccatorum numerum, DEUS nos expectare decrevit, ignoremus, meritò de uno quoq; peccato, quod futurum sit ultimum, timendum nobis erit.

4. *Seria cogitatio post vitam pœnarum.*

QUia paucitas dierum nostrorum finietur brevi, ibimus vel cum electis in vitam æternam, ubi omne bonum: vel cum reprobis in supplicium æternum, ubi omne malum. Habitatio reproborum paucis describitur à misero ejusdem loci incola divite Epulone Luc. 16. *Est locus tormentorum*. Est locus cadaverosus, teterrimus, ubi fætor, squallor, illuvies, putredo. *Ille dabit ignem, & vermes in carnem eorum, ut urantur & sentiant usq; in sempiternum*. Judith. c. 6. Ibi damnati quærent mortem, & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Apoc. c. 9.

Ibi oculi atrâ torquebuntur caligine, continuò videbunt formidabiles dæmones, horribilia spectra, videbunt serpentem illum antiquũ, colubrum tortuosum, Asmodæum cruentum,

Beemot

Beemot illum immanem, & Leviathan, cujus (teste Job c. 41.) *sternutatio splendor ignis*, de cujus ore procedent lampades, & de naribus fumus.

Quid auris? continuo damnatorum aures punientur infelicissimis gemitibus, ululatibus, terribili bestiarum rugitu. Nihil aliud ibi audietur, præter mæstum illud *Væ*. Ah! in quo incondito cantu tanta erit vocum confusio, tantus stridor, tantus quiritatus, in tenebricosa illa caverna, ac si scissis undiq; nubibus horribilium tonitruum frangores undiquè resonarent.

Quid odoratus? *Hæc* Arabia infelix, quos odores exhalat? quantus tot dæmonum, tot damnatorum erit fætor? vel unius sufficeret inficiendo orbi universo! quid è tot cadaverũ putrescentium acervo, è sulphuris Oceano, ex obscænissimo illo volutabro, ubi monstra illa putida in stercoribus suis volutantur.

Quid gustus? linguæ sitientissimæ & aridissimæ etiam guttula unica aquæ negabitur, cibus & potus eorum erunt una fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

Quid tactus? jacebunt in igne, ut vasa sordium fætidissima, ut bufones flammei, monstra turpissima, hædi fætentissimi colligati, continuò cremabuntur corpora, & in proprio adipe frixæ libidines bullient.

Hæc omnia prudentissimè considerans ita complectitur S. Greg. apud Mansi. disc. 22. n. 8. Dum recognosco Job sedentem in sterquilinio, Joannem esurientem in eremo, Petrum pendentem in patibulo, Jacobum decollatum Hero-

Herodis gladio, cogito, qualiter DEUS in futurum cruciabit, quos reprobat. qui ita dure affligit, quos amat. Si cum intimis amicis sic agitur tempore gratiæ, quid hostibus fiet tempore vindictæ & justitiæ?

5. *Momentaneum est quod delectat, æternum, quod cruciat.*

SAnctus Gregorius interrogatus, quomodo justum sit, ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? Respondet: Hoc rectè diceretur, si districtus Judex non corda hominum, sed facta pensaret, iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt, nam voluissent utiquè si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

Similem rationem assignat S. Bernardus ep. 253. cur peccatum in hac vita commissum & præteritum, æterno subjici debeat supplicio; dicit enim: Ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis sumitur æternaliter malum, licèt temporaliter perpetratum, quia, quod breve fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Illa namq; contumacia, & mentis obstinatio, qua cùm peccator in hac vita DEUM offendit, nisi illam in hac vita corrigat, in perpetuas æternitates incorrigibiliter perseverabit.

Qui

Qui enim in peccatum mortale propria voluntate labitur, se in eum statum injustitiæ redigit, ex quo propriis viribus erui nusquam in æternum poterit: unde ex hoc ipso, quod vult peccare, vult consequenter in peccato per totam æternitatem manere. Quare justè à DEO peccator, non solùm ob actionem peccati, sed præsertim & ob voluntatē in peccato permanendi, quæ in æternùm protenditur, pœnâ interminabili & æternâ plectitur.

At verò non pauci requirent, quâ ratione pœna æterna dæmonibus & aliis damnatis justè infligatur, cum illorum peccatum fuerit quasi momentaneum? Resolvit S. Thomas in suppl. q. 99 a. 1. Pœna peccati taxatur secundùm dignitatem ejus, in quem peccatur! unde majori pœna dignus esset, qui percuteret alapâ principem aut regem, quam si cuicunq; alteri privato hanc injuriam irrogaret. Atqui sive diabolus, sive homo mortaliter peccans; contra DEUM infinitæ majestatis & excellentiæ peccat, ejusq; honori summam (quantùm in ipso est) infert injuriam, dum in creatura per peccatum finem ultimum constituit. Ergo infinitâ pœnâ dignus est. Cum autem creatura, quæ in se finita est pœnam secundùm intensionem acerbitatis infinitæ ferre non possit, pœna secundùm durationem temporis infinita illi subeunda est, quæ proinde justè à DEO illi infligitur.

Quædam observanda ante Confessionem Sacramentalem,

1. DIspertire totum tempus à novissima Confessione in certa spatia, tum menses, hebdoma-

bdomadas, & dies singulos percurre, qualibus cogitationibus, verbis, & operibus usus fueris, quibus te peccatis contaminaveris: quibus cum personis, quo loco.

2. Postea institue comparationem inter DEUM & te ipsum. inter opera ejus & tua.

Quis peccavit? Ego quoddam phantasma, horror, & fætor, & pene nihilum. Ego fons malitiæ, sentina pravæ concupiscentiæ. Ego vermis terræ vilissimus, damnationis æternæ pridem reus, sponsa adultera.

In quem peccavi? in DEUM Creatorem, summū bonum, amorem infinitum. Peccavi filius rebellis in optimum Patrem, servus infidelis in benignissimum Dominum, vilis & abjecta creatura in Conditorem universi. Peccavi in eum, cui Angeli serviunt, cui omnes creaturæ obediunt. illi ego solus fui refractarius,

Quid peccando feci? Animam meam interemi, & ad infernum detrusi: Chirographum meæ fidelitatis conscripsi dæmoni; ex corde meo Angelos exturbavi. Heu! quis unquam crederet, ipsum Spiritum Sanctum à me expuli, & libellum repudii dedi DEO.

Cur peccavi? Ob res caducas & vilissimas, propter obscænam voluptatem, pro luto & cinere. Sine metu, sine horrore peccati, in præsentia DEI, acsi unius idoli, quo tempore à DEO conservabar, & beneficiis obruebar,

3. His peractis, imaginare tibi SS. Angelos te fugere, contra te instigare, Ipsam B. Virginem, te ultra pati non posse, SS. omnes te abominari.

4. Insuper concipe affectum adhuc majoris timoris, quia ipse DEUS te detestatur, ac i-

ratus

ratus præcipit, ne coram eo ultra compareas, ne ipsius ampliùs creatura dicaris.

5. Deinde convertere ad cor tuum, illudq; de duritia sua increpa, quòd nihil tot considerationibus emolliatur. Invoca contra illud in testimonium cœlum, terram, elementa, & creaturas omnes. Sicq; coram illis conquerere, Cor tibi esse lapideum.

6. Post hæc tunde pectus tuum perseverans in oratione & compunctione, brachia in modum crucis componens, imaginem Crucifixi intuere.

7. Ad extremum humi prostratus cum gemitu cordis plora clamans. O! Domine pietatem, lacrymas, contritionem, misericordiam, & veniam humiliter efflagito, qui veniam publicanis, meretricibus, latronibus, prædonibus non denegâsti. Ne patiaris me diutius præ contritionis desiderio languere aut interire.

Premunt cor meum mala, quæ non sum verecundatus facere in facie cœli. Video ah me! aversum tui mi DEUS irati vultum. Heu! heu! quis me liberabit à perditione mala hac? quis placabit vindicem DEUM? Plorans plorabit anima mea, gemens sub pondere peccatorum.

Quid tamen faciam ô Pater! ego rebellis ac prodigus filius, Patri recalcitravi, Domino non servivi, Creatorem non agnovi, imò offendi, cœlo excidi, terra sub ingrato pondere meo gemit, expecto donec me dehiscat infernus.

Ah damnum! filii ego titulum prorsus deperdidi! sed an tu Patris? tu tamen Pater es,

qui

qui facis oriri solem super bonos & malos. Aperi igitur piissime Pater, aperi neminem despicientes oculos tuos! vide indignum quidem visu, tamen filium ad te ô Pater! recurrentem, audi confitentem: Peccavi coram cœlo & terra & te Pater! non amplius tamen non amplius, malo millies mori, quàm te offendere, hic sit terminus delictorum meorum.

Ante Confessionem

Actus Contritionis.

QUis dabit ô bone JESU, capiti meo aquã, & oculis meis fontes lacrymarum, ut diebus ac noctibus rigare possim stratum meum rugiens à gemitu cordis mei? Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciẽ meam, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, quia offendi DEUM meum! Patrem meum! ego rebellis servus.

O anima mea! dic mihi, quid tandem illa bonitas, illa majestas, illa misericordia fecit tibi? aut in quo unquam contristavit te, responde mihi? Cur inebriavi te dulcis JESU absynthio, qui mille benedictionibus dulcedinis prævenisti me? Cur me tibi DEO meo ego improbus & rebellis opposui?

Fierinè potuit mi JESU, ut credens ego te ad iracundiam provocarem, in re vilissima & momentanea, & pudenda, & despicerem te, & lacrymas & vulnera & Sanguinem tuum? O caput mille dignum infernis! si pro uno delicto infernum, pro tot, quot infernos promerui? Quot scelera, tot onera, tot vincula, tot de-

bita

bita sunt, quibus dissolvendis, nec si memetipsum vendam, satis sum.

Cur terra tam diu sceleratum pondus portas tanti patiens flagitii? Cur non aër pro Conditore tuo contra tam insensatum mille pugnas fulminabis? Cur mare non mille concitas tempestates in me Jonâ multo nocentiorem? Cur non omnis creatura in me armata peccatorem adeo impudentem in Orcum præcipitat.

Væ mihi quia peccavi! væ mihi quia DEUM, & Sanctos contra me provocavi, iram tremendi Judicis in me cōcitavi! Quis eruet me de manu potenti & brachio extento contra me?

O quam bonum erat, si natus non fuissem, neq; enim vitam mihi dedisti, ut te offenderem DEUS meus! utinam prius repentina morte extinctus fuissem, quàm te ô JESU offendissem! Quantò suavius flammis infernalibus in gratia tua arderem, quàm extra gratiam paradiso gauderem!

Quid tamen gravissimus & ingratissimus peccator faciam? en ad tuos Sanctissime JESU pedes pronus confugio. Hi sunt afflicti & contriti cordis mei solatium. Abhinc juro & statuo custodire judicia justitiæ tuæ. Malo millies mori, quàm te offendere. Utinam nunc omnia corda, omnium lacrymas haberem! omnium cordibus, omnium lacrymis peccata deflerem! cum neq; sic sufficerem, offero tibi Pater dolorem & lacrymas Filii tui. Aspice in Filio, quod condones, & propitieris servo.

Effusio contriti & humiliati cordis.

O Pater amantissime! cujus ego unicum terræ monstrum ob gravissima facinora mea

non

non ſum dignus vocari filius, qui Patrem in inferis elegi ſceleribus meis, aperio tibi abyſſum peccatorum meorum.

Tentarem Domine flumine lacrymarum abluere ſcelera mea, ſed nonniſi cruor amantiſſimi mei JESU lixivium peccatorum eſt. In inferno nequitiæ meæ deſcriptæ ſunt, ideo non guttam aquæ, ut ille dives à Patre Abraham, ſed guttam ſanguinis Chriſti poſtulo, ego dives & locupletiſſimus, ac plenus omni iniquitate.

Hâc verò mea petitione ô Pater miſericordiæ! nolo fraudare juſtitiam tuam, ſed volo deprecari bonitatem & Majeſtatem tuam. Non deprecor amiſſionem cœli, non deprecor ſupplicium inferni: ſed deprecor offenſam tuam, nec ardere metuo, ſed peccaſſe doleo.

Quinimo optarem in ipſum infernum deſcendere vivens, ne ampliùs vultus tuus horrendis peccatorum meorum ſpectaculis lædi poſſit.

Sed quanta arrogare audeo? an in profundo inferni ſub pedibus Luciferi aut Judæ collocabor? an ſub pedibus ejus, qui alapam JESU dedit? an expectabo præcipitium Antichriſti? an ad januam inferni collocabor, ut omnes introëuntes me dilacerent & peſſumdent? nihil horum! cum ego non infernum, ſed novos millies ac millies infernos commeritus ſim! Ac proinde indignum me cenſeo etiam ſocietate dæmonum ac damnatorum, quia mihi ſoli infernus vilior & atrocior præparandus eſſet, quia ego omnium peccatorum maximus!

Ego ſum opprobrium naturæ, pudor gene-

 ris hu-

ris humani! si in te Creator dignissime verecundia aliqua cadere posset, nullius rei te puderet, nisi quòd tam horrendum & abominale monstrum conserves in mundo, ut meæ culpæ me fecerunt.

Quin & ipsis dæmonibus dedecori sum, & à sua societate infernali meritò me repellerent. Nam licèt illi peccaverunt, non tamen experti erant tantam misericordiam DEI: non peccaverunt contra DEUM, qui pro ipsis crucifixus fuit, qui se ipsum dedit in cibum, At ego peccavi! Ergo indignior & deterior sum Lucifero, indignior Judâ, qui nondum viderat JESUM pro se mortuum! indignior Antichristo, qui non toties experietur gratiam ùt ego, indignior omnibus dæmonibus, qui semel peccaverunt.

Quid igitur miser faciam? nunquid cum Cain præcurrere contendam laqueo desperationis sententiam, quam merui æternæ damnationis? Misericordia Domine, Misericordia! Hoc solùm verbum relictum mihi est: in reliquis os meum apud te sine voce, & silentium meum loquitur tibi: Ne projicias me à facie tua misericors JESU, & propitius sis mihi maximo peccatori. Et cum præ multitudine iniquitatis meæ loqui non audeam, gemitus meos & lacrymas cordis mei intellige misericordissime Domine.

Breviores Actus Contritionis.

HEu mihi! heu millies dicam! peccavi! super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt iniquitates mèæ! non est peccatum super peccatum

catum meum! non eſt iniquitas ſuper iniquitatem meam. Indignus ſum miſerationibus tuis Domine, ſed miſericordia tua ſuperat malitiam meam.

O JESU! Fili DEI vivi miſerere mei, & propitius eſto mihi peccatori, quia tibi nihil impoſſibile eſt, quàm miſeris nolle miſereri.

O Pater miſericordiarum! patientiam habe in me, & omnia reddã tibi, non de meo, ſed de pretio Sanguinis Filii tui.

O dulcis JESU, quia te amo, deteſtor omnia peccata mea, ſupra quidquid deteſtabile & execrabile eſt, & ſi poſſem, de illis infinito dolore ſemper dolerem.

O DEUS meus! ſumma bonitas omnium creaturarũ, tuoq; ipſius amore infinitè digna, doleo quòd tam impudenter te offenderim; doleo, non quia timeo, ſed quia amo. Si ſanguine meo fieri poſſet, ut non ſis offenſus; ecce me, diſcerpe me, paratum cor meum. Si tormentis inferorum deleri poſſit, ecce me: nullum eſt, quòd non merui; nullum quod amore tui non præeligo peccato quod tantopere odiſti.

O ſi omnes præteritos dies, horas, momenta pro maxima gloria tua impendiſſem mi DEUS! ô ſi ex corde perfecto tibi toto vitæ meæ tempore ſerviiſſem, te intenſiſſimè amâſſem! ô pretioſum tempus non amplius rediturum!

His peractis omnibus, perge cum omni compunctione ad pedes Confeſſarii, tanquam ad pedes ipſius Chriſti Domini. Erubeſce & confundere ad

U 2

re ad tanta facinora; quæ cum summo dolore confiteberis.

Ad quodcunq; peccatum, quod profers, puta te videre venenosissimum bufonem egredi per os, ex visceribus cordis tui.

Postea persuade tibi, te cernere Angelos imò ipsam Angelorum Reginam, tibi congratulantem & applaudentem.

E contrario aspice adversariorum tuorum rabiem, qui tanquam maximâ clade affecti, & opimâ prædâ spoliati, præ invidia, rabie, & furore rumpuntur.

Actus post Confessionem.

O DEUS meus! ô misericordia mea! quis sum ego homo miser & miserabilis, ut memor sis mei, imò vermis sum ego & non homo, omnium malitiosissimus & ingratissimus. Et dignum ducis super hujuscemodi peccatore aperire oculos tuos; & vel semel respicere de summo cœlorum? Quis hoc effecit ô Sponse animæ meæ, quia me ingratissimum hominem, me vilissimum terræ vermiculum, tam benigne respexisti, ad pœnitentiam vocasti, & in gratiam ut spero, ac in dilectionem tuam recepisti?

Quoties verò ô inexhausta bonitas in ipsis peccatis morti me in spolium permittere potuisses, & æternum perdere, & hucusque tamen conservasti? Et nunquid millenæ animæ in igne inextinguibili jam ardent, æternumq; ardebunt; & minorum, & pauciorum, quam ego scelerum reæ? & ego nondum ardeo toties læsæ reus Majestatis?

O Do-

O Domine! quàm diu halitus erit in ore meo, misericordias tuas in æternum cantabo. Benedicam te Dominum meum in omni tempore, semper laus tua in ore meo, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis, & sanas omnes infirmitates meas, qui redimis de interitu vitam meam, & coronas me in misericordia & miserationibus.

Quis ergo me ampliùs separabit à te ô bone JESU! an diabolus? an caro? an mundus? an tribulatio? an voluptas? an mors? nihil horum cum gratia tua mi DEUS! O utinam nunc mi JESU opere monstrare possim, quòd abhinc sincerè te ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus amem! utinam meus amor in te adæquet omnium Seraphinorum, omniumq; Electorum in cœlo & in terra ardentissimum amorem. Utinam priùs moriar in gratia tua, quàm vel unico iterum peccato te offendam.

Quod verò mi DEUS! ad dignos pœnitentiæ & satisfactionis fructus faciendos, ex mea parte vel intermissum, vel imperfectè peractum, obsecro mi JESU amantissime, suppleant tua vulnera, suppleat tuus Sanguis, tuæ lacrymæ, tua mors, suppleant merita totius triumphantis & militantis Ecclesiæ.

CAPUT VII.

Praxis Sacræ Communionis.

Ambulavit in fortitudine cibi illius usq; ad montem DEI Oreb. Exod. c. 3.

Observanda ante Sacram Communionem.

1. Erige

1. ERige primò mentis oculos ad cœlum, & puta te videre DEUM Patrem innumeris cinctum Angelorum millibus, & ex ejus latere B. Virginem filium infantulum in gremio suo gestantem.

2. Provolve te pedibus Virginis Beatissimæ, & obsecra, ut pro te supplicet, quatenus per manus ejus dulcissimum JESUM accipias. Puta eam primo quidem congressu, repulsam pati propter peccata tua; at post multas preces tui gratiâ prolatas, eum tandem placare.

3. Audi quomodo DEUS ob amorem Matris MARIÆ, & preces illius tibi polliceatur filium suum.

4. Exulta, & gratias age utriq; quòd Imperator totius universi descensurus sit in pauperculam domum tuam, eamq; inhabitaturus.

5. Admirare tantum DEI erga te amorem, tam effusissimam humanitatem & liberalitatem.

6. Æstima Sacerdotem esse Angelum DEI, qui à manibus B. Virginis suscepturus sit speciosissimum Filium ejus, eumq; de cœlo susceptum tibi porrecturus.

7. Eo puncto, quo tibi communicandum est, puta tibi ab Angelis reserari cœlos: Christum à throno sive manibus Beatissimæ Matris suæ plenum Majestate & gloriâ in occursum tuum descendere; his te alloquentem: En adsum anima dilecta! En ego ipse ad te venio! Quid desideras ampliùs? quid ultra requiris?

8. Eja summâ animi demissione invita Christum Dominum, & pete ut his modis ad te veniat. Veni Domine cum patientia, ut sustineas gravissima facinora mea. Veni cum humilitate, quia homo inops & pauper sum ego.

Veni

Veni cum liberalitate, ut me donis tuis munificentiſſimè dites. Veni cum dulcedine, ut corda noſtra in imbres lacrymarũ reſolvas. Veni cum charitate & amore, ut nos totos ad tui amorem accendas, inflammes, & comburas.

9. Dum tibi Sacerdos Angelico adjutus miniſterio porrigit verum DEI Filium, imaginare te os applicare lateri Chriſti, & Sanguinem ejus pretioſum exugere. Vel conſidera te videre puerum ſpecioſiſſimum radiis ſplendidiſſimis circumfuſum, undiq; Angelis circumdatum. Cogita te fieri tunc templum Spiritûs Sancti, & tabernaculum totius SS. Trinitatis, præcipuè verò ſacrarium quoddam Filii DEI.

Actus timoris & humilitatis ante Sacram Communionem.

O Amor vim patior reſponde pro me! quid dicam DEO vitæ meæ? ô amor! quò tuam inclinas Majeſtatem? unde mihi, ut tu venias de templo ſancto gloriæ tuæ? DEUS de DEO? & quo? ad me ſpeluncam latronum, ſerpentum habitaculum, cloacam fætidam, vas contumeliæ toties fædatum, licet toties in ſanguine tuo lotum! ad me leproſam & fornicariam Sponſam, quæ pro dilectione odium, pro beneficiis maleficia reddidit!

O amor! quò ducis fontem Sapientiæ? ſtupet cœlum, mirantur Angeli, certè uſq; ad abyſſum miſeriæ & malitiæ! Quis credat mi JESU, eo te in amore progreſſum, ut mihi mortuo cani & prodigo filio ad te reverſo des carnem tuam & ſanguinem, unde comedam & bibam? ô flos campi! ô lilium convallium! ô Panis Angelorum!

orum! quomodo factus es pabulum bestiarum? Ideonè Domine venies ad me, quia te amorem summum toties peccatis meis calcavi, sprevi, & crucifixi?

Quæ pars animæ meæ munda est, in qua te potero sepelire? quid os meum, nisi sepulchrum patens, de quo nihil præter fætores peccatorum meorum procedit? quid cor meum, nisi spelunca & abyssus iniquitatis? An forte Domine vis iterum in stabulo nasci bestiarum? an denuo vis ad infernos descendere?

Non sum dignus Domine JESU, ut intres sub tectum meum, cordialiter tibi dico, dico millies: undequaq; mi JESU conspectu tuo sum indignissimus. Indignissimus, quia sum vas sordidum, esca vermium, putredo & cinis: Indignissimus sum ob execranda facinora, nequitiam & malitiam meam. Indignissimus sum ob abusum naturæ & gratiæ, spretum sanguinem tuum, tuam divinam Clementiam pessumdatam. Indignissimus sum ob peccata, quæ prævides DEUS meus me in posterum commissurum.

Ergo nec oculos, nec cor audeo levare Pater Sancte, quia peccavi nimis in cœlum & coram te, quia omnibus peccatoribus, ac ipsis damnatis deterior sum. Exi à me Domine! quia homo peccator sum. Non expedit hanc pretiosam cœli gemmam ante porcum projicere. Et non est Domine bonum sumere panem Angelorum & mittere canibus.

Scio tamen mi JESU! quia etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum: ideo & ego miser & indignus catellus, tuus Domine, pedes tuos sacratos lambens,

bens, corpus tuum esuriens & sanguinem sitiens clamo post te: Da mihi dulcis JESU amor meus micas panis vivi, qui de cœlo descendit, ut refocilletur anima mea.

Resolutio.

FIat mihi amor mi JESU secundùm verbum tuum. Jám veni Domine JESU, ingredere benedicte Domini. Quid foris stas, & perstas. Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, portæ cordis mei. Ecce enim introibit Rex gloriæ. Hæc est porta Domini, & Sanctus Sanctorum intrabit per eam. Paratum tibi cor meum.

Exurge igitur gloria mea, mi JESU, exurge psalterium & cithara mea, mi JESU. Jam veni mi JESU, & noli tardare. Tibi dicit cor meum, Domine JESU veni, facies mea requirit te, & vultũ tuũ exquirit. Audeo & aveo dulcissime JESU recipere te, habere te, possidere te, vesci te, conjungi tibi, concorporari tibi.

Tædium.

USquequo Domine dulcissime amor mi JESU, tenes animam meam, & non venis ad eam, ecce jam tædet ipsam vitæ suæ. Domine descende, festina, veni, priusquam moriatur vita mea in me, & antequam extinguatur lucerna spiritûs mei. Odiosa est mihi omnis quies sine te, omnis dulcedo amara, omnis consolatio insulsa est, longa est mihi omnis mora, aut tolle me, aut veni ad me.

Ubi est expectatio mea, ubi est Dominus meus, ubi est qui dicebat: Ecce venio cito?

O Do-

O Domine! quousq; modicum, modicum expecta, quousq; istud? Expecto ecce modicùm, jamq; transit, & tu non compares. Ades Domine, ades, desidero te millies, moriar sine te, veni, ostende mihi faciem tuam. Ades mi JESU, ades ocyus, & tædium cordis mei præsentiâ tuâ releva, nolo Angelos, nolo quidquã tuum, te volo, tu veni.

Fames.

CAligant ecce oculi mei præ inedia dulcissime Amor JESU, & non est tibi curæ, fames oppressit animam, & tu non venis? ô ubi es qui dicebas! Caro mea vere est cibus; Sanguis meus vere est potus. Quomodò verò est, quando non est? aut si est, cur & non mihi? Famesco & non cibas me, sitio & non inebrias me.

Ecce ostenduntur mihi cibi, sed quia non tu, non vere cibi. Nolo illos, tuum cibum, te cibum volo, aruerunt fauces, substantia mea redacta est in nihilum, & tu ô cibus meus non venis, das escam omni carni in tempore opportuno, ego autem cur hìc fame pereo? Nunquid sanguinem taurorum, aut hircorum bibam? Aut si esuriero, cui dicam, si non tibi, cujus est orbis terræ? O DEUS! qui pascis me à juventute mea, da mihi panem hunc vitæ supersubstantialem quotidianũ, ut mortem non gustem in æternum.

Invitatio Christi.

O Sancti DEI omnes, ô S. Angeli, ô divinissima Mater MARIA, nunc saltem adeste

& ope-

& operam vestram non denegate! Abite ad Sanctissimum hoc Sacramentum, & Dominum Vestrum, amorem meum, quâ scitis, & soletis reverentiâ pro me adorate, & ad cordis mei habitaculum invitate. Adoro te, dulcissime JESU! adorationibus Sanctorum, & adorationibus Sanctorum Angelorum, & adorationibus Beatissimæ tuæ Matris, & eas in æternum continuo.

Invito te ad cordis mei domunculam, tibi desideratam, apertam, & pro paupertate mea paratam, veni igitur ô Sanctissimum Sacramentum, veni amor mi JESU, venite merita, gratiæ, dona, gloria, beatitudo. Veni amor mi JESU ad servum tuum, ad domum tuam. En cor meum area est, materia est, tu architectus es, omnipotens es Verbum, omnia creans es. Vis palatium, vis mundissimum, vis te dignum, ædifica illud & erit.

Veni mi JESU, veni millies, veni, fuge Dilecte mi, formose mi, veni unice mi, columbule mi veni, veni similis capreæ hinnuloq; cervorum. Veni saliens in montibus, transiliens colles, veni ascensor cœlorum, ascensor Cherubinorum, qui ambulas super ventorum pennas, veni, en te desidero, veni, te concupisco, veni tui amore langueo, veni mi JESU, veni & desiderium meum imple, implendo auge, ut plus te appetat, te habere in æternum gaudeat.

Affectuosæ aspirationes ad Christum suscipiendum.

O Mi suavissime JESU! anima mea ardet, æstuat,

ſtuat, flammeſcit in te. tota ſe exerit, quanta quanta eſt. tota igneſcit & ebullit in te, deficit in te uſq; ad languorem & deliquium.

O amoris dulcedo! ô unicum centrum cordis mei! manducet te anima mea, & omnia interiora mea dulciſſimo ſuavitatis tuæ liquore repleantur.

O vita & totum bonum meum! non poſſum vivere ampliùs ſine te. Deſidero te JESU mi intimè frui, da ut te comprehendam. Anima mea corpus tuum concupiſcit, cor meum tibi uniri deſiderat.

Quid dicam? quo vadam? ubi te mi JESU inveniam? quis renuntiabit dilecto, quia amore langueo? Ibo & ibo plorans quæram quē diligit anima mea. Ubi es dilecte mi? ubi requieſcit cor tuū? ubi latet amor meus?

Ubi es ô ſpecioſe JESU præ filiis hominum, odorem tuum haurio, te autem non video? cur faciem tuam abſcondis? an ideo quia dicis: non videbit me homo & vivet? Eja Domine moriar ut te videam, videam ut hic moriar!

Pacifica mi bone JESU ſpiritum meum ad inhærendum tibi jubiloſis exceſſibus anhelantē. In te enim eſt totum, quod deſiderare poſſum, tu ſalus mea & redemptio, tu ſpes & fortitudo, tu decus & gloria; tu divitiæ, theſaurus & poſſeſſio.

Cupio te ſuaviſſime JESU cum tali affectu, amore & honore ſuſcipere, cum tali fide, ſpe, & puritate, ſicut te ſuſcepit Virgo Beatiſſima.

Deſidero ex corde te tractare & ſuſcipere cum tali devotione, gratitudine, & amore, quemadmodum multi Sancti & devotæ perſonæ te

næ te desideraverunt in communicando, qui tibi unquam placuerunt.

Desiderium & invocatio Christi.

O Pater amantissime! monstra te esse Patrem: ostende mihi Filium tuum & sufficit mihi. Quid enim mihi est in cœlo, & præter illū, quid volo in terra? ille DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Adjuro te Mater misericordiæ, & vos animæ Beatæ: nuntiate dilecto JESU meo, quia amore langueo, præ magno faciei ejus videndæ desiderio.

O mi JESU suavissime, spes suspirantis animæ, te quærunt piæ lacrymæ, & clamor mentis intimæ. Desidero te millies, mi JESU quando venies, me lætum quando facies? Quemadmodum desiderat Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS. O JESU! ne patiaris me diutiùs præ tui amore & desiderio languere aut interire.

Alii alia quærant, te solum ego mì JESU quæro, te solum mi JESU desidero. Hoc millies dicam, hoc millies repetam: DEUS meus & omnia! Quid enim possum extra te desiderare cum in te sint omnia? nimis avarus est, cui tu non sufficis.

Veni obsecro Dominè & noli tardare. Veni, descende priusquam moriar ô vita mea ut vivam. Desidero te millies, in quem desiderant Angeli prospicere, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur.

Veni Domine in domum tuam templum tuum animam meam, quam tibi millies dedi-

cavi

cavi & dedico toto corde meo. Absorbeat me vel nunc immensa & melliflua vis amoris tui: ut amore amoris tui moriar, qui amore mei dignatus es mori.

Veni JESU mi dulcissime! JESU suavissime! ut quiescas & maneas in me, ut videam te, amem te, ardeam, liquescam, consumar, & consummer in te. Moriar mi JESU! nisi videro te, moriar nisi gustavero, quàm suavis sis Domine.

Jam jam accessurus dic.

O Anima mea! en Sponsus tuus! en amor tuus! divertit in pauperculum diversorium cordis tui! En cœlestis medicus accedit ad sanandum te! En amicus millies dilectissimus ditare vult extremam paupertatem tuam! En sol amabilissimus illuminabit densissimas tenebras tuas. O pietas! ô bonitas! ô misericordia mea! O utinam mi JESU nunquam te offendissem! utinam te semper & unicum amassem.

Veni ergo bone JESU! Veni Sponsæ animæ meæ? Veni ad me & ne spernas pauperculam animam meam, Veni ô unice amor meus! O JESU dono tibi cor meum, animam meam, corpus meum. Paratū cor meum DEUS, paratum cor meum.

Affectus in sumptione Corporis Christi mente & corde ardentissimo exercendi.

DOminus meus & DEUS meus! Quid mihi & tibi ô JESU Fili MARIÆ Virginis? O

res

res mirabilis manducat Dominum pauper servus & humilis!

Quis sum ego servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?

Jam quod quæsivi, habeo, quod concupivi, teneo, DEUM meum possideo, & summo bono gaudeo, cur jam corde non ardeo. Quàm panis hic dulcissimus, & verè suavissimus, plùs millies gratissimus, quàm dicere sufficimus.

O Pater! dono tibi cor JESU, ô JESU dono tibi cor MARIÆ, dono tibi cor meum licet indignissimum! O JESU! osculor Vulnera tua, osculor pedes tuos! O JESU! amo te ex toto corde, utinam non meo, sed amore ardentissimorum Seraphinorum.

Ave dulcissime JESU amor meus! ave dulcedo cordis mei. Avete venerabiles manus pro me cruci affixæ. Ave latus speciosum pro me vulneratum. Ave cor suavissimum mei JESU. Moriar mi JESU! moriar, inter desideratissimos amoris tui amplexus.

O JESU! gaudeo de omni bono & gloriâ tuâ. O JESU! omnia peccata mea & totius mundi commissa, quantùm possum detestor propter te. O JESU! esto mihi JESUS & Salvator nunc & in hora mortis meæ. O Domine! totus sum tuus, eroq; in æternum, sicut tu totus meus esse voluisti.

Observanda post S. Communionē.

1. IMaginare quòd videas mentis oculis speciosissimum puerum in medio cordis tui radiis splendidissimis circumfusum.

2.

2. Admirare tanti Hospitis apud te præsentiam. Ergonè putandum est, quòd vere DEUS habitet super terram? Quid! Ergonè corculum meum (ô amor meus) locus est tuus, tuum templum, tua sedes, tuum tribunal?

3. Gratias age, quas potes maximas, quia ad unum stabulum, ad unum gravissimum peccatorem Filius DEI descendit. Invita omnes creaturas, ad gratias ei tecum referendas.

4. Considera postea, quæ fuerint loca minus digna, quæ tamen Christus, sponte ingressus est, eaq; glorificavit. Itaq; his eum alloquere.

Æstimo Domine te hodie intrasse stabulum Bethlehemiticum, in quo sunt bestiæ indomitæ & effrænatæ passionum mearum, converte obsecro illud in Sacrum tibi palatium. Persuadeo mihi te accubuisse in præsepi pleno stramine & paleis sensualitatis: converte illud quæso in thronum gloriæ. Agnosco te DEUM meum intrasse infernum tot dæmonibus plenũ, quot anima mea inquinata est sceleribus, converte illum obsecro in paradisum Angelorum.

5. Præterea exerce omnes actus, quos cogitatione concipere potes exercuisse S. Paulum raptum ad tertium cœlum. Et S. Magdalenam, quando post tot annos pœnitentiæ inter Angelorum melodias Sacrum hoc Viaticum de manibus S. Maximi Aquensis Episcopi suscepit.

6. Considera attentè, quid fecerit & dixerit B. Virgo, quanto cum fervore & ardore gratias DEO retulerit, quando sensit se gravidam DEI Filio.

7. Imaginare, quòd videas SS. Angelos ante SS. Hostiam prostratos, & eam in corde tuo adorantes.

Actus Salutationis CHRISTI.

SAlve mundi salutare, Salve, Salve JESU Chare, cordi tuo me aptare, vellem verè, tu scis quare. Ore meo te contingo, & ardenter ad me stringo, in te meum cor intingo. O quàm dulcis Panis iste qui te gustat JESU Christe, tuo victus à dulcore, mori posset præ amore.

Salve sacer Christi vultus, cæsus, consputus, incultus, qui mutasti tuum florem, pro me versus in pallorem. Salve caput venerandum, totis votis amplexandum, quod diræ spinæ presserunt, & undiq; confixerunt.

Ave caro delicata, flagris scissa fatigata, quæ pro me pergens ad lethum, gustasti fel & acetum. Ave latus fons dulcoris, in quo patet vis amoris, te saluto cor amænum, cor omnibus bonis plenum.

Manus, pedes perforatos, & cruore purpuratos, corde veneror ac ore, interno ductus amore; Tuas mi JESU sacratas, & mirè vernantes plagas, nunc inscribe meo cordi, ut sim gratus tuo cordi.

Ave dulcissime & gratissime JESU, desideratissime & expectatissime, dignissime & honorabilissime Hospes, amorq; mi JESU, ô quàm te libenter in hac paupercula domo mea degentem video.

Benedictus sis infinities JESU dulcissime Amor meus, benedicta sit caro tua, sanguis tuus, Anima tua, Divinitas tua, quòd venire dignatus es ad me, Benedicta sint omnia membra corporis tui, omnes guttulæ Sanguinis tui,

Benedicta sit unio hypostatica. Benedicta sit sacratissima Divinitas, & omnes Divinitatis personæ, quæ cum carne & sanguine tuo concomitanter ad me hodie venire dignatæ sunt.

Actus adorationis.

SAluto & adoro te Augustissimum Sacramentum, adorationibus omnium hominum & Angelorum usq; ad diem judicii duraturis.

Agnosco te ô divinissimum Sacramentum in pectoris mei sacrario, inibiq; te totâ cordis mei præparatione adoro ac glorifico. Adoro te Corpus & Sanguis dulcissimi amoris mei JESU Christi.

Adoro te adorationibus omnium animarum purgatorii, & omniũ Sanctorũ jam in cœlo triumphantiũ & omnium creaturarũ, quæcunq; fuerunt, sunt & erunt.

Saluto te Domine illâ præcipuè salutatione, quâ te SS. Mater Incarnatũ, genitum, redivivũ, in Eucharistia ad se venientem solita fuit salutare. Illâ, quâ te Sancti cùm primùm in cœlũ veniunt salutare solent. Illâ, quâ tu Patrem Cœlestem, & quâ te Pater Cœlestis unàq; omnes Angeli cœlum ascendentem salutavêre.

Laudo & adoro te SS. Sacramentum tot laudibus, quot ore proferri, quot corde omniũ hominum excogitari unquam potuêre vel possunt.

Laudo, & adoro te SS. Sacramentũ tot laudibus, quot Sanctissima Trinitas suâ potentiâ depromere, Sapientiâ concipere, bonitate optare potest.

O! adorande & divinis tantummodo amoribus sat digne redamande amor meus, inassumo etiam omniũ creaturarum possibilium adorationes, & amorosos affectus, omnesq; illos ante te amor meus JESU dulcissime, plenâ hilaritate effundo, eosq; omnes tibi impendo, & affectum hunc in omne momentum & æternitatem continuare cupio, ac quantùm possum continuo.

Actus Gratiarum actionis.

QUid retribuam tibi Domine JESU pro omnibus quæ tu tribuisti mihi? quomodo te non amabo dulcissime Hospes, amorq; mi JESU, aut potiùs quomodo amabo te?

Non est quidquam in omnium rerũ universitate pretiosius te, et ipso mi JESU. Itaque te ipsum, cum tua divinitate, humanitate, gratia, donis, meritis, gloria, omnibusque divitiis tibi offero. Offero & omnium justorum ab origine mundi, usq; ad ejus consummationẽ virtutes & merita, ac pios affectus erga te dulcissime JESU in Venerabili SACRAMENTO existentem.

O! quis etiam mihi det omniũ Sanctorũ triumphantium & militantiũ corda ad te mi JESU diligendũ? ô utinam haberem latitudinẽ cordis sicut arena maris, sicut totus mundus, ut amare te possim latissimè mi JESU! Utinã cor omnium hominũ, cor omniũ Angelorum, atq; utinã cor tuum & MARIÆ meũ esset, ut ardore succensus Seraphico & divino igne inextinguibilis charitatis tuæ ardeã, & totum me consumat, totũ rapiat in-

gnita vis amoris tui, ac me tecū unum efficiat.

O quàm libenter te mi JESU excipio! ô quàm cupio digne tractare te! ô utinā ab initio semper fuissē secundùm cor tuū! utinā nunquam te offendissē! confidentiùs irem in tuos amplexus sanctissime Amor. Nunc autē conscius pudor rejicit animā meā ad pedes tuos hærentem.

Actus Petitionis post S. Communionem.

O! Dives Domine in misericordia & miserationibus, cujus sapientiæ & bonitatis infinitus est thesaurus, miserere tā magni mendici, cujus hodie pauperculam domum visitasti.

Benedic mi JESU hospes amantissime toti corpori, animæ, sanguini, visceribus, vitæ, membris, in quibus receptus, & hodie moraris. Benedic linguæ meæ, labiis, pectori, palatui, atq; illi horæ, momento, quo ad me venisti. Benedic omnibus cogitationibus, conciliis, operibus, sermonibus, officiis, muneribus, motibus meis.

Extingue in me omnia terrena desideria, & succende me ignita vi amoris tui, ut sim tecū consummatus in unū, omninò abstractus à me ipso. & ab omni creatura. Dirige me in via tua & doce me facere voluntatem tuā. Auge in me fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes statui meo necessarias. Da mihi veniam peccatorum meorum, quæ multiplicata sunt super numerum arenæ maris. Da usum salutarem hujus SACRAMENTI, &

con-

concede, ne unquam te in mortali peccato suscipiam, & ne sine hoc viatico decedam ex hac vita.

Miserere omnium, pro quibus orare debeo, præcipuè consanguineorum, affinium, amicorum & N. Respice Domine omnes ægrotos, afflictos, tentatos, agonizantes, & in quacunq; necessitate vel periculo constitutos. Respice misericors DEUS, omnes Reges, Principes, & gentes Catholicas. Respice omnes Hæreticos, Schismaticos, Judæos, & totũ Ethnicismum, omnes gentes a fide alienas, & omnes in peccato mortali existentes ac obstinatos peccatores, da illis gratiam, ut resipiscant, & ad te convertantur. Miserere Domine omnium inimicorum meorum. Succurre omnibus, qui se meis precibus commendaverunt, & pro quibus orare debeo. Da omnibus vivis gratiam & veniam, animabus fidelium defunctorum lucem & requiem sempiternam.

Deprecatio pro felici morte.

O! Corpus Domini mei JESU crucifixi custodi animam meam migrantem in vitam æternam. O! JESU esto mihi JESUS in vita & in morte. O sanguis pretiose Domini mei, fac, ne tuus infinitus valor & pretium pereat in me.

O mi dulcis JESU pro suprema illa necessitate supremam misericordiam tuam imploro. Illam gratiam peto, per MARIÆ & omnium Electorum tuorum merita, cum qua vides gratum me fore tibi in æternum. Suggere Domine mi iis, qui circa me tunc erunt, sug-

gere-

gere illa. quæ maximè vis fieri à me.

Anticipato benedic mihi misericors Domine, benedic mihi morituro. Et dum spiritus vitales deficient, mortuaq; lingua non poterit hoc tuum suavissimum nomen eloqui. Agnosce tamen tunc creaturam tuam non à diis alienis creatam, sed à te solo DEO vivo & vero. Non pereat in malitia sua, quod operata est bonitas tua.

Pulsant ad ostium tuum ô! JESU Crucifixe desideria rugientium præcordiorum meorum, ut in æternum non avellar à te. Noli me ô DEUS! in æternitatem plenam ærumnarum cōdemnare, qui pro me ad Crucem damnatus es. Non expedit, ut hæc lingua mea, quæ tunc pretioso sanguine rubescit, in æternum cū dæmonibus blasphemet te.

Ne patiaris mi JESU! Sanguinem tuum pretiosum perire in me, suoq; fructu privari, quem pro salute nostra effudisti. Ne patiaris Salvator Clementissime tantos labores tuos, quos nostri causâ pertulisti fieri irritos, tantum pretium ne sustine in vanùm fuisse expensum: sed compleatur in nobis fructus Passionis tuæ, labor tuus in nobis proficiat, mors tua in nobis vitam operetur.

Ad B. Virginem & Sanctos.

RESpice in me gloriosissima Virgo MARIA, quia nunc habeo in corde meo amantissimū Filium tuum JESUM, illum ipsum hodie mihi dono datum tibi repræsento, & offero tuis brachiis constringendum, tuo ore exosculandum, tuo corde amandum, & unâ mecum adorandum.

Sancti

Sancti Angeli, Sancti Archangeli, Cherubim & Seraphim aspicite primogenitum Patris æterni, quem introëuntem in orbem terrarũ jussu Patris adorastis, adorate nunc eundem in corde meo, cantate illi pro me Sanctus, Sanctus.

Omnes Sancti & Sanctæ DEI, vos præsertim Patroni mei amate in corde meo, laudate & magnificate mecum hunc Dominũ meum, quia esurientem implevit bonis, & respexit super canem mortuum similem mei.

Conclude.

ANima JESU sanctifica me. Sanguis JESU lava me. Passio JESU conforta me. Vulnera JESU sanate me. Cor JESU recipe me. Spiritus JESU anima me. Bonitas JESU reconcilia me. Pulchritudo JESU attrahe me. Humilitas JESU deprime me. Mansuetudo JESU mitiga me. Pax JESU pacifica me. Amor JESU inflamma me. Gratia JESU reple me. Misericordia JESU salva me. Sanctitas JESU consecra me. Puritas JESU emunda me. Crux JESU sustenta me. Clavi JESU configite me. Spinæ JESU coronate me. Fel JESU inebria me. Os JESU benedic me, in vita & in morte, in tempore & in æternitate. Amen.

Praxis alia
Devotissimè CHRISTO *in S. Eucharistia sumpto*, DEUM *colendi.*

ACcedo supplex & repo ad te mi DEUS! cùm sim pulvis & cinis, atomus & minuscula creatura tua, imo nihil sum, & nihil est

te

te dignum; quod ego ex me, cum omnibus puris creaturis, in ullo genere tibi offerre possim. Sed habeo tamen ex dono tuo unde me juvem, ut dignè & ut divinam Majestatem tuam decet, glorificem, te adorem, laudem, amem. gratias agam.

Habeo enim intra me Christum JESUM, DEUM hominem, hominem DEUM, qui ita se mihi communicavit, imò commiscuit, ut ego in illo, & ille sit in me. Usurpare igitur nunc Domine commodissimè, aptissimèq́, possũ verba Prophetæ tui: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini Sancto ejus.

O! mi DEUS, quod nunc intra me est, est ut dixi, homo DEUS, Filius tuus, ille igitur, qui nunc totus meus est, & intra me positus, vices meas obeat; ille digne pro me benedicat nomini sancto tuo, ille intra me, & in me amet te, glorificet, adoret, gratias agat, deferatq; tibi (nam potest) non modò infinitum, sed dignum te honorem, ad infinitam complacentiam & gustum tuum.

Per illum Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, quidni & ego per illũ id faciam? cùm sit intra me; imò vérò, quia factus sum illi concorporeus, consanguineus, adeoq; ita in illum transmutatus, ut non ita ille sit unum mecum, quam ego unum cum illo, amo te sic unum cum illo factus corde, & amore illius infinito, jam & corde meo, ad infinitum gustum tuum.

Detéstor omne peccatum, & quidquid tibi displicet, odio & detestatione illius: adoro te, glorifico, magnifico, benedico, adoratione,

glori-

glorificatione, magnificatione, laude, benedictione, obsequiis infiniti valoris, & theandricis, ac te dignis.

Gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, Sāctissimæ illius Humanitati, Beatissimæ Virgini Matri ejus, omnibus Sanctis, atq; omnibus creaturis, & inter illas mihi postremò concessis, gratitudine & affectu illius, universosq; ejus affectus internos & externos, vitæ mortalis ac immortalis, seu æternæ; quos & secum mihi donavit, & sicut me unum secum, ita illos meos fecit, tibi velut thymiama suavissimi odoris ad infinitam oblectationem divini cordis tui tibi offero.

CAPUT VIII.

Praxis devotè & reverenter celebrandi Sacrificium Missæ.

Ante celebrationem, considerandum, quanta sit Sacerdotum dignitas, & quanta debeat esse Sanctitas.

DIgnitas Sacerdotum, omnium Principum, omnium Regum & Cæsarum fulgorem & potestatem superat ac excedit. Ita de illa S. August. in Psal. 37. O! veneranda Sacerdotū dignitas in quorum manibus DEI Filius velut in Utero Virginis incarnatur. O felices Sacerdotes, si sacerdotaliter vixeritis. O magnum mysterium, quod per vos Sanctissima TRINITAS operatur, Cœlum miratur: horrescit infernus: contremiscit diabolus: reve-

retur

retur quàm plurimùm Angelica celsitudo. Ille enim, qui creavit me sine me (si fas est dicere) creatur mediante me. Et ille, qui ex nihilo cuncta creavit sine me, dedit mihi creare se. O Sacerdotes attendite! major est vobis dignitas collata, quàm Angelis, qui adorant, quod vos conficitis.

Considerate ergo (monet aurea Chrysostomi lingua) quo non oporteat esse puriores atq; ferventiores tali & fruentes & ministrantes sacrificio? quo solari radio non splendidiores manus Christi carnem dividentes? Os, quod igne spirituali repletur, & lingua quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? Cogitate quali sitis insigniti honore, quali mensa fruimini, quod Angeli horrescunt, neq; liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc vos tractatis, hoc dividitis, hoc pascimini, & facti estis unum Christi corpus, & una caro. Nullus itaq; Judas assistat.

Idem in alio loco: Sacerdotem Christi sic necesse est esse purum, ac si in cœlis ipsis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret: Illi enim, qui non mundâ animâ Corpus Christi accipiunt, idem supplicium perferunt cum illis, qui eum clavis cruci affixerunt. Immo magis exaggerat S. August. qui dicit: Graviùs peccant indignè offerentes Christū regnantem in cœlis, quàm qui eum crucifixerunt in terris.

At verò multi sunt ministri seu Sacerdotes Altissimi, qui contra eminentissimam Angelici Apostolici imò summi atq; divini statûs dignitatem in gravissimorum facinorum cæno voluntantur. Unde ut talibus ad emendationem,
probis

probis autem ad cautelam, DEI timorem incutiam, adduco terrificam S. Gregorii Magni de off. post sententiam: Nullum puto ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat DEUS, quando eos, quos ad aliorū correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit. Et *S.* Petri Dam: op. contra Insti: Cler. Deteriùs nemo peccat, quàm Sacerdos indignè sacrificans. Aliter in quocunq; modo peccantes, quasi Dominum in rebus ejus offendimus: indignè verò sacrificantes, velut in personam ejus manus injicere non timemus.

Nec immeritò in Sacerdotem indignum invehitur purpuratus Ecclesiæ Doctor S. Hieron. *Væ tibi Sacerdos! qui eodem ore osculaaris filiam Veneris, quo paulò ante sumpsisti Filium Virginis. O impie Juda! osculo filium hominis tradis?* Tales multo digniùs multoq; rectiùs ad carcerē vel catastam pœnalem, quàm ad Sacerdotium protracti fuissent.

In Revelationibus S. Birgittæ sæpissimè DEUS conqueritur super iniquitate Sacerdotum, exaggerans gravitatem, &c: vocans eos pejores Judæis & Paganis, & omnibus aliis delinquentibus, asserens majora tormenta inferni esse illis reservata, & majori supplicio puniendos, quàm Judam. Et in quodam capite replet eos mille horrendis maledictionibus, & in fine maledicit JESUS, quidquid edunt, bibunt, tangunt, elementa, quæ eos sustentant; & illæ Revelationes sæpiùs ab Ecclesia approbatæ fuerunt.

D. Dion. Carth. ait. Angelum revelasse servo DEI, ferè nullos in Purgatorio Sacerdotes inveniri, eò, quia, qui sanctè vivunt, illico cœlum intrant, vel parum in igne mo-

rantur,

rantur, cæteri qui impure vivunt, damnantur, non permittens DEUS ob gravem injuriã illatam Ordini, & Sacramento, ut verè pœniteant: cui concordant D. Jo. Chrysostomi verba. *Non temerè dico, sed ut affectus sum, ac sentio, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, quì pereant, in causa est, quia res excelsum requirit animum, & innumeris oculis illis opus est undique.*

Quapropter ô Sacerdotes, ô Religiosi ad tantũ dignitatis fastigium evecti! recogitate (per salutem vestrã) recogitate, quia membra Christi, ac templum estis Spiritûs Sancti. Si beatus est venter, qui novem mensibus Christum portavit, & beata debent esse corda eorum, in quibus quotidie elegit hospitium Filius DEI. Si beata sunt ubera, quæ parvulus suxit, beatum debet esse os quod carnem Christi sumit, & sanguinem sugit. *Nescitis* inquit S. Paulus, *quia templum DEI estis, si quis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS.* Si Laicus est templum DEI, quantò magis Sacerdos?

Et ideo Fratres charissimi (verba sunt Sancti Augustini ser. 152. de temp:) unusquisq; consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, priùs cõfessionis lavacro, orationibus, jejuniis, & eleemosynis studeat emundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat suscipere.

Præcognitio futuri Operis.

QUid facere aggredior? negotium omnium negotiorum maximum! introibo in Sancta Sanctorum, hominum ad DEUM media-

torem

torem agam! in conſpectu Curiæ cœleſtis corã SS. Trinitate publicam totius mundi cauſam perorabo! Parum eſt, ſed etiam quod non eſt conceſſum Angelis, quòd omnis creaturæ merita excedit, corpus & ſanguinem JESU Christi veri DEI verbis producam, & cum SS. Trinitate operabor hoc magnum Sacramentũ! inſuper etiam manibus tractabo! intuebor oculis! ore contingam! in viſcera recondam!

O negotium omnium negotiorum maximum! Faceſſite quævis alia negotia. omnes aliò avocantes cogitationes abite. Ruat mundus, pereant amici, quidquid pretioſiſſimum eſt, unius horæ involvatur damno. Majus præ omnibus negotium eſt. Ad hoc ſolum anima mea omnes potentiarum ſenſuumq; vires intende, hoc tracta. Cum illo jam inde occupari elige, cum quo beatiſſimè æternùm occupabere. Melior omnibus creaturis DEUS, huic omnia creata poſtpone.

Ante Miſſam dicenti hanc Orationem conceſſit 50. annorum indulgentiam Gregorius XIII.

EGo volo celebrare Miſſam & conficere Corpus & Sanguinem Domini noſtri JESU Chriſti, juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ad laudem omnipotentis DEI, totiusq; Curiæ triumphantis: ad utilitatem quoq; meam, totiusq; curiæ militantis, pro omnibus qui ſe cõmendaverunt orationibus meis, in genere & in ſpecie, & pro felici ſtatu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ.

Gau-

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus. Amen.

Deinde illa potest dici Oratio ex l. 2. Mach. 1. Jonathæ Sacerdotis. Domine DEUS omnium Creator, terribilis & fortis, justus & misericors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israël ab omni malo, qui fecisti Patres electos & sanctificasti eos: Accipe Sacrificium pro universo populo tuo, & custodi partem tuam & sanctifica, ut sciant gentes, quia tu es DEUS noster.

Oblatio Sacrificii inquantum est Latreuticum, seu Adorativum.

O Ter magne DEUS! in unione primi, & summi sacrificii & Sacerdotis Christi: in unione omnium Sacerdotum novi & veteris testamenti, & sacrificaturorum usq; ad diem judicii; Toto corde & corpore prostratus ego pulvis & cinis, hodie offerre tibi intendo Sacrificium corporis & sanguinis JESU CHRISTI Domini nostri. Et inprimis.

In recognitionem Tuæ admirabilis in unitate TRINITATIS; Tuarum Personalitatum, DEI Patris, DEI Filii, DEI Spiritûs Sancti.

In adorationem infinitarum perfectionum, Attributorum, & Proprietatum tuarum, Tuæ nimirum Sapientiæ, qua comprehendis te ipsum; & omnia possibilia, præsentia, præterita & futura. Tuæ Immensitatis, quâ cœlū

& terram imples. Tuæ Æternitatis & Immortalitatis, quâ semper idem es, & anni tui non deficient. Tuæ Omnipotentiæ, Tuæ Voluntatis, Pulchritudinis, Beatitudinis.

In adorationem tuorum actuum liberorum, Tuæ Misericordiæ, quâ gravissimos quosq; toleras peccatores, ut convertantur. Tuæ Justitiæ, quâ nullum peccatum impunitum relinquis. Tuæ Prædestinationis Electorum, ac reprobationis præscitorum. Tuæ Providentiæ & dispositionis æternùm de nobis duraturæ. Tuæ Liberalitatis in omnes creaturas diffusivæ.

In cultum latriæ tibi soli debitum, ac in protestationem supremi tui dominii in omnes creaturas, & nostræ subjectionis, ac omnimodæ dependentiæ à te.

In recompensationem laudis & gloriæ tibi ab Angelis Apostatis & damnatis, item ab omnibus infidelibus & peccatoribus, denegatæ & non persolvendæ. In supplementum omnium blasphemiarum. quæ fiunt in terra & inferno contra Eucharistiam. In suppletionem omniũ superstitionum & adorationum impensarũ creaturis inanimatis & falsis Numinibus; & subtractarum Tibi DEO vivo & vero.

Inquantum est Gratiarum activum.

IN unione gratiarum actionis, quam agit & egit ab initio creationis suæ Sanctissima anima Christi, B. Virgo MARIA, & omnes Sancti & beati. Gratias tibi Domine hoc Sacrificio ago, pro immenso gratiarum, donorum, & gloriæ thesauro, quem contulisti Humanitati Christi Domini in via & in Patria.

Gratias tibi pro beneficiis concessis Beatissimæ Virgini, præcipuè verò dono Virgineæ Maternitatis divinæ, & immaculatæ Conceptionis, ac pro ipsius exaltatione in cœlesti gloria super omnes Angelos & Sanctos.

Gratias tibi pro beneficio creationis, conservationis, cooperationis, concursûs exhibito & exhibendo omnibus & singulis creaturis. Pro Incarnatione Verbi divini, pro vita, Passione JESU Christi. Pro doctrina ejus, consiliis, præceptis, exemplis, miraculis. Pro redemptione nostra, pro usu & institutione Sacramentorũ. Pro dilatatione per totum mundum Christianæ fidei, fundatione Religionum, extirpatione hæresũ.

Pro creatione omnium Angelorum ad gloriam tuam, & nostram custodiam. Pro prædestinatione, Vocatione, Justificatione, Glorificatione omnium Electorum. Pro conversione omnium peccatorum.

Pro beneficiis collatis omnibus comprehensoribus & viatoribus prædestinatis, & reprobis peccatoribus, ingratis & infidelibus, dæmonibus & damnatis: imò etiam pro beneficiis, omnibus creaturis irrationalibus, quæcunq. fuerunt, sunt & erunt præstitis.

Gratias tibi Domine & pro beneficiis mihi indignissimo collatis. Præcipuè quia me creasti ad imaginem & similitudinem tuam, dono tuæ gratiæ per baptisma ditasti. Angelũ ad mei custodiam deputasti, me pretioso Sanguine Filii tui redemisti, è sæculo nequam eripuisti, Sacerdotem fecisti, donis tuis naturalibus ditasti, tot media ad salutem æternam & alia necessaria ad decentiam status, copiosè præbuisti: ac pro beneficiis omnibus notis & inco-

gnitis, præteritis, præsentibus, & futuris mihi præstitis & præstandis.

In quantum est Impetratorium.

O Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis! quia me famulum tuum, licet gravissimâ flagitiorum meorum onustum sarcinâ, legatione fungi apud te voluisti pro omnibus hominibus vivis & defunctis. Offero tibi Sacrificium hoc.

Imprimis pro Summo Pontifice Papa nostro. N. Cardinalibus, Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, Parochis, Sacerdotibus, & universo Clero. & omnibus aliis curam animarum gerentibus; ut omnes oves sibi cōmissas verbo & exemplo fideliter pascant.

Pro statu Religionum omnium, & cunctis Religiosis, præcipuè N, ut reducantur ad fervorem & perfectionem, in qua fuerunt institutæ.

Pro Augustissimo Christianorum Imperatore, & cunctis Regibus & Principibus Catholicis, pro omnibus Magnatibus & Magistratibus, ut Ecclesiam venerentur, mandata tua custodiant, & de hostibus fidei triumphent.

Pro omnibus Benefactoribus, consanguineis, amicis, & inimicis. Pro omni statu Ecclesiæ. Pro Virginibus, conjugatis, viduis, & orphanis, pauperibus, peregrinantibus, captivis, ægrotis, navigantibus, incarceratis, afflictis, in quacunq; necessitate & periculo constitutis: ut illis dones auxilium, remedium & consolationem prout expedit ad gloriam tuam & salutem illorum.

Pro omnibus infidelibus, Turcis, Mauris, Idololatris, Judæis, Hæreticis, Schismaticis, & aliis diffidentibus ac omnibus obstinatis peccatoribus, ut ad te convertantur & resipiscant.

Pro me ipso tandem infelicissimo peccatore supplico tibi DEO meo, ut præsentiam tui æterni Remuneratoris semper vivacem ubiq; in omnibus circumferam; ac omnes annos meos, menses, dies, & noctes, horas, & momenta, cogitata, dicta, & facta impendam soli gloriæ tuæ.

Da mihi Domine veniam & remissionem omnium peccatorum. Confirma me in gratia tua, ne unquam mortaliter peccem. Da vitam plenam meritis & tuo amore ferventem. Da mihi gratiam semper dignè celebrandi, communicandi, & Viaticum in extremo agone sumendi. Largire præservationem à malis animæ & corporis, perseverantiam in bono finalem. Insuper tribue gratiam, ut in his totâ vitâ mihi carissimis immoriar nominibus: JESUS & MARIA. In particulari autem fructū quem possum & debeo illi N. principaliter applico, pro quo celebrare intendo.

In quantum est Propitiatorium.

QUis sum ego indignissimus terræ vermiculus ut audeam faciem meam levare ad te, & aspicere altitudinem cœli? Christi igitur Filii tui, Clementissime Pater, pretiosissimo Sanguine & meritis onustus, offero tibi infinitam hanc propitiationem divinissimi hujus Sacrificii, pro omnibus peccatis, quibus offensus es à

es à creatione mundi, & offenderis uſque ad diem judicii.

Offero pro omnibus peccatis meis commiſſis, corde, ore, & opere. Accipe tremenda juſtitia DEI corpus & ſanguinem Domini mei, & delicta mea, ac ignorantias meas ne memineris.

Offero tibi Sacrificium hoc & pro omnibus, cum majori Majeſtatis Tuæ indignatione perpetratis peccatis: Præcipuè per hæreſes, ſuperſtitiones, idololatrias, dæmonum invocationes, errores, & magicas artes. Per Chriſticidium & Antichriſti peccata.

Offero & pro animabus omnium fidelium defunctorum præcipuè N. implorans Clementiã tuam, cui propriũ eſt miſereri ſemper & parcere, ut extinguas earum ardorem optato rore miſericordiæ tuæ, & cito purgatas in conſpectum tuum admittas.

Actus diverſarum Virtutum.

Actus Fidei.

PErſuadeo mihi firmiter, mi dulcis abſcondite JESU me ſub candido ſpecierum Sacramentalium velamine, millies deſideratiſſimum & ſpecioſiſſimum vultum tuũ latentem agnoſcere.

Perſuadeo mihi videre mentis oculis roſeum corpus tuum, ex quo fontes ſaluberrimi quinque vulnerum tuorum, fontes aquarum viventium ſcaturiunt.

Etſi non videam nunc in manibus tuis fixuram clavorum, etſi non mittam manum meã in latus tuum, credo tamen, quia tu es Dominus meus & DEUS meus.

Et quia te DEUM meũ in SS. SACRAMENTO hic latentem firmiter confiteor, ideò nomine omnium infidelium te non credentiũ & scire volentium, nomine omnium Hæreticorum & Schismaticorum te blasphemantiũ, nomine omnium dæmonum & damnatorum te non adorantium, ego credo, adoro, ante te procido, tibi nomine terrestrium & infernorum inclamo: centies millies laudetur SS. SACRAMENTUM.

Actus Spei.

SCio mi Domine! quia propter peccata mea indignus sum àére, quem respiro, indignus cœlo quod aspicio, dignus mille infernis. Et quomodo præsumam accedere ad te sub his Eucharisticis speciebus verè præsentem? Ibi enim adest corpus tuum sole splendidius electum ex millibus. Ibi est Sanguis pro nostra salute effusus. Ibi deniq; latet divinitas tua.

Abyssus tamen malitiæ, nequitiæ, & nihili mei abyssum invocat misericordiæ & bonitatis tuæ Domine. Nam licet plures sint arenâ maris iniquitates meæ, spero tamen quia non repelles me à te, spero in pretio Sanguinis tui, utiq; Domine nihil horum odisti quæ fecisti. Utiq; & catelli edunt de micis Dominorum suorum.

Actus Charitatis.

QUid retribuam tibi Domine JESU, quia transiturus de hoc mundo ad Patrem, reliquisti nobis pignus amoris immensi, donans nobis pretiosissimi corporis & Sanguinis tui Sacramentum?

Cur non mille habeo corda mi JESU! quæ ad tan-

ad tantam tui vivi incendii flammam resolvantur in cineres dilectionis tui? quomodo anima mea tota se non eviscerabit, exinanietq; in charitatem bonitatis & misericordiæ tuæ?

O si quantus quantus sum, totus nunc consumar, totus liquescam, totus suspensus de te deficiã à me, & transeã in te, totus vitali amoris tui morte moriar.

Actus Humilitatis.

QUis sum ego eminentissime DEUS, ut tantum opus aggredi audeam? quis ego sum & quis tu es? Tu DEUS magnus & grandis nimis! DEUS Majestatis! DEUS cui cogitatio nulla par! DEUS nihil horum omnium, quæ cogitantur, aut sunt, sed super illa omnia!

Ego autem quis sum? ego conceptus & educatus totus in peccatis! ego peccator major & vilior, quàm putem, & quàm cogitare possim! ego labiis & toto corpore pollutus! ego mille titulis debitum inferno caput! ego terræ exosum pondus, & cœli odium! ego tanto vilior, quantò plurium peccatorum constringor reatu! ego vilissimorum omnium vilissimus!

Tantusne DEUS tantillo homini incorporabitur? O Sacramentum! ô Mysterium! ô arcanum abditum! quis unquam id beneficii genus ausus est optare? nunquam in cor hominis descendit dignatio tanta.

O Domine! si tu ob immensitatem non agnoscis te, sine saltem, ut mea vilitas cognoscat se, & quidem meritò formidet conjungi tibi.

O Cor meum, quàm audax & temerarium es,

quod

quod vel cogitare audes accedere ad hoc Sacramentum. Eſtnè tibi Seraphica illa cryſtallo nitidior puritas? Inſtar miraculi Eccleſia prædicat, quòd Filius DEI non horruerit Virginis uterum, qui tamen à Spiritu Sancto pulcherrimo gratiarum, donorum, ac virtutum omnium apparatu fuerat inſtructus. Quomodo igitur te cubile draconum; te proſtibulum, immunditíes, te ſentina ſcelerum non exhorreſcat? &c.

Actus Contritionis.

O Quantâ contritione ac lacrymarum fonte, quantâ reverentiâ, & tremore, quantâ corporis & animæ puritate hoc divinum ac cœleſte Sacrificium eſt celebrandum mi Domine! ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi Sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima ſummis, terrena divinis junguntur, ubi adeſt Sanctorū Angelorum præſentia, ubi tu es ſacrificium & Sacerdos mirabiliter & ineffabiliter conſtituţus.

O utinam & millies utinam, nunc totum mare verſum in ſanguinem, vel potius lacrymas ducere poſſem per caput meum, ut vel ſic mundaretur ſentina extremæ vilitatis & peccatorum meorum, quam tu inexcogitabilis dignitatis Domine mi JESU inhabitare elegiſti.

O utinam & millies utinam cor meum extractum à corpore daretur mihi candentibus carbonibus fruſtatim adeò examinandum, ut decoctâ ad purum ſcoriâ ejus, ſaltem etſi non dignam, non tamen tàm nimis indignam tibi præbere poſſem manſionem,

O utinam mi JESU nunquam te offendiſſem! ô utinam te ſolum & unicum ſemper amâſſem!

Pœni-

Pœnitet me peccasse, ideò solùm, quia amo te, semperq; pœnitebit: & si possem, infinito dolore nunc dolerem, quòd offenderim te. Non amplius tamen mi JESU non amplius. Hic sit terminus delictorum meorum. Priùs à dæmone obsidear, aut pœnas inferni patiar, quàm peccem; & te amorem meum offendam.

Commemoratio Dominicæ Passionis.

OMnes sancti Patres, Commemorationem Dominicæ Passionis, Sacrificium celebranti, super omnia necessariam esse affirmant, præcipiente Apostolo: *Quotiescunq; manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Quæ verba expendens Seraphicus Doctor dicit: Timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ ac præjudicio ad Sacrificium posse accedere, nisi præmemorata ipsius institucentis charitate, ac ejus passione & morte, in cujus memoriam perpetuò recolendam, illud Sacramentum debere confici & percipi ipse præclarè asseruit & injunxit.

Praxis.

SAlvete delicata membra Domini mei JESU Christi, pro salute nostra diversis pœnis in passione cruciata. Salve reverendum caput pro nobis spinis coronatum, arundine percussum. Salve pretiosissima facies pro nobis consputa & alapis cæsa. Salvete benignissimi Salvatoris nostri oculi pro nobis lacrymis perfusi. Salve sacrum os, gutturq; suavissimum pro nobis felle & aceto potatum. Salvete aures nobilissimæ pro nobis opprobriis & contumeliis afflictæ.

Salve collum regium pro nobis colaphizatũ, dorsumq; Sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles manus & brachia pro nobis in cruce extensa. Salve pectus divinissimum pro nobis in passione conturbatum & conusum. Salvete pedes adorandi pro nobis clavis confixi. Salve latus gloriosum pro nobis lanceâ militis perforatum. Salve corpus JESU totum pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, ac sepultum.

Salve cor mellifluum summæ Trinitatis gazophylacium pro nobis in cruce dirruptum. Salve ter Sanctissima JESU Christi anima ad mortem usq; contristata. Salve Sanguis pretiosissime è vulneribus Christi copiosè effuse. Salvete adoranda Salvatoris nostri vulnera, monimenta charitatis & pretia Redemptionis humanæ. Per hæc vulnera tua mi bone JESU, sana animam meam, & esto propitius mihi indignissimo peccatori.

Pia desideria & affectus immediatè ante Sacrum eliciendi.

O JESU millies desideratissime! ecce jam appropinquat hora, hora inquam felicissima, quâ te DEUM meum in animam meam suscepturus sum. Extende igitur Sacratissimas manus tuas mi dulcis JESU ad amplexandam animam meam, & ne projicias me à facie tua, licet id peccatis meis meruerim.

O utinam nunc talem ac tantam devotionẽ, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, quâ ullum unquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem.

Utinam & millies utinam, omni virtute, omni desiderio repletus essem!

O utinam & millies utinam omnium Angelorum puritatem, omnium Apostolorum charitatem, omnium Martyrum merita, omnium Confessorum sanctitatem omnium Virginum haberem puritatem & munditiem.

Utinam tali reverentiâ devotione & amore te possem suscipere, sicut Beatissima Mater tua in tua Incarnatione & postmodum in Sacramento suscepit.

O quàm ego illo tempore, quo Sanctissimam hostiam sumam, cuperem esse Cherubin & Seraphin, non propter meam sensualitatem sed propter tuam dignitatem mi DEUS!

O utinam & millies utinam tuum sacratissimum & divinissimum Cor haberem mi JESU! ut Te in illud ipsum, tali quo dignus es modo suscipere possem.

Utinam me dulcis JESU totaliter ex tua præsentia accendas, comburas & in te transmutes, ut unus tecum efficiar Spiritus per gratiam intimæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris.

O si vel ad unicum momentum transferar in te, absorbearq; à te, ut te DEO meo, quantus quantus es in te, fruar & satier, poter & inebrier, hauriar & obruar, tenendo atq; fruendo, amando atq; innatando.

O Virgo Beatissima Mater misericordiæ! ô SS. Angeli, Sancti DEI omnes præcipuè Patroni mei N. N. ad vos clamo pauper, nudus, & humilis me euntem ad altare, ad immolandum corpus & sanguinem JE-

Salve collum regium pro nobis colaphizatū, dorsumq; Sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete venerabiles manus & brachia pro nobis in cruce extensa. Salve pectus divinissimum pro nobis in passione conturbatum & confusum. Salvete pedes adorandi pro nobis clavis confixi. Salve latus gloriosum pro nobis lanceâ militis perforatum. Salve corpus JESU totum pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, ac sepultum.

Salve cor mellifluum summæ Trinitatis gazophylacium pro nobis in cruce diruptum. Salve ter Sanctissima JESU Christi anima ad mortem usq; contristata. Salve Sanguis pretiosissime è vulneribus Christi copiosè effuse. Salvete adoranda Salvatoris nostri vulnera, monimenta charitatis & pretia Redemptionis humanæ. Per hæc vulnera tua mi bone JESU, sana animam meam, & esto propitius mihi indignissimo peccatori.

Pia desideria & affectus immediatè ante Sacrum eliciendi.

O JESU millies desideratissime! ecce jam appropinquat hora, hora inquam felicissima, quâ te DEUM meum in animam meam suscepturus sum. Extende igitur Sacratissimas manus tuas mi dulcis JESU ad amplexandam animam meam, & ne projicias me à facie tua, licet id peccatis meis meruerim.

O utinam nunc talem ac tantam devotionē, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, quâ ullum unquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem.

Uti-

Utinam & millies utinam, omni virtute, omni desiderio repletus essem!

O utinam & millies utinam omnium Angelorum puritatem, omnium Apostolorum charitatem, omnium Martyrum merita, omnium Confessorum sanctitatem omnium Virginum haberem puritatem & munditiem.

Utinam tali reverentiâ devotione & amore te possem suscipere, sicut Beatissima Mater tua in tua Incarnatione & postmodum in Sacramento suscepit.

O quàm ego illo tempore, quo Sanctissimam hostiam sumam, cuperem esse Cherubin & Seraphin, non propter meam sensu libitatem sed propter tuam dignitatem mi DEUS!

O utinam & millies utinam tuum sacratissimum & divinissimum Cor haberem mi JESU! ut Te in illud ipsum, tali quo dignus es modo suscipere possem.

Utinam me dulcis JESU totaliter ex tua præsentia accendas, comburas & in te transmutes, ut unus tecum efficiar Spiritus per gratiam intimæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris.

O si vel ad unicum momentum transferar in te, absorbearq; à te, ut te DEO meo, quantus quantus es in te, fruar & satier, potter & inebrier, hauriar & obruar, tenendo atq; fruendo, amando atq; innatando.

O Virgo Beatissima Mater misericordiæ! ô SS. Angeli, Sancti DEI omnes præcipuè Patroni mei N. N. ad vos clamo pauper, nudus, & humilis me euntem ad altare, ad immolandum corpus & sanguinem JE-

SU Christi, ornate vestris virtutibus, fulcite meritis vestris.

O Pater da mihi Filium tuum JESUM! ô JESU! da mihi te ipsum! O divinissime Spiritus da mihi corpus & sanguinem Domini mei! O JESU sis mihi JESUS.

De proxima diſpoſitione ad Miſſam.

Antequam Sacras vestes induas breviter tacita mente institue colloquium. Et inprimis,

INterroga te ipsum. Quid facere aggrederis peccator & vilis homuncio? tunè hodie apud SS. Trinitatem in conſpectu Curiæ cœlestis habebis audientiam? tunè introibis in Sancta Sanctorum?

Postea alloquere DEUM Patrem: O Pater! egonè mancipium tuum indignum, repræsentabo hodie Filium tuum in Ara crucis tibi immolatum? Egonè labiis sordidioribus ipsius inferni faucibus, & manibus Luciferi, manibus quodammodo inquinatioribus præsumam attrectare dilectum Filium tuum? Egonè linguâ meâ fædis contaminatâ sceleribus, è sinu tuo in terram sub species Sacramentales unigenitum tuum evocabo?

Interroga Clementiam divinam, qui fieri poterit, ut pro tanto ausu & temeritate ipsi dæmones tuorum scelerum conscii, te è vestigio altaris abreptum in oculis hominum non strangulent?

Dum Sacras vestes induis, velut lupum te in vestimentis ovium esse æstima: & dæmones tuorum scelerum conscios videaris audire per irri-

irrisum exprobrantes: En Saul inter Prophetas!

Postea singula sacri cultus ornamenta cum contumelioso Christi amictu compara. Porro Amictus, velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cùm percutiebant eum, illudentes. Alba, vestem albam denotat, quâ ab Herode velut stultus indutus fuit. Cingulum funes, quibus in horto vinxerunt eum, sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissimè ceciderunt. Manipulus, vincula. Stola, funes collo ejus injectos, sive crucis patibulum humeris ejus impositum. Planeta, vestem purpuream.

Ad Altare procedens, mente intueberis Christum, quasi cruce onustum ante oculos tuos ad montem Calvariæ incedentem.

Cum perveneris ad Altare, cœlum tibi desuper velut apertum contemplare, & effusam innumerabilem Angelorum & Sanctorum omnium multitudinem te intueri, cogita. Admirare tunc, esse tibi homuncioni indignissimo, & exuli cantanda cantica Domini in terra aliena, & cantica Angelorum.

Epistolam & Evangelium lecturus dic intra te: Egonè in Ecclesia DEI depromam oracula, qui tamdiu sedi in Cathedra pestilentiæ? Egonè Evangelium promulgabo, qui factis & exemplis Evangelium impugnavi?

Ante tempus oblationis erubesce & confundere, tecum serio versans; quidnam animi gerere velis, qui unicum & percharum Patri Filium, quem non semel peccatis tuis enecuisti, præsumas offerre?

Quando Patinam cum Hostia accipis, repone

simul

simul in ea cor tuum, cor omnium circumstantium & fidelium. Dum vinum Calici infundis, gratias ages DEO, quòd sub his speciebus se occultare voluerit, vel elicies desiderium te totum immergendi in abyssum meritorum CHRISTI.

Dum manus lavas, desidera ut erumpant sanguineæ lacrymæ ex oculis tuis, vel pretiosissimæ guttæ aquæ & sanguinis ex latere Christi ad diluenda peccata tua.

Cum dicis ante consecrationem, memento Domine famulorum famularumq; tuarum: statue tibi ob oculos cordis JESUM recenter cruci affixum, totum sanguinolentum, dilaniatum, & discerptum in toto corpore, eumq; cum lacrymis pro omnibus nobis Patri supplicantem.

Memento igitur vivorum junges cum memento Christi in cruce pendentis, ac in ipsius vulneribus depones omnes ac immerges, pro quibus orabis

Ante Consecrationem cum summo timore & horrore Christi verba tibi ad aurem dici existima: *Ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur in manus peccatoris.* Dum accipis panem, puta te videre splendidissimos & lucidissimos reserari cœlos, Angelos omnes effundi, ipsum Filium DEI in divinis splendoribus supra panem consecrandum descendere.

Verba consecrationis prolaturus, considera te ipsius Christi personam gerere, & verba enuntiativè in persona ipsius proferre. Proinde tunc vel maximè mentaliter intentionem actualem breviter formare poteris. Volo in persona Christi & Ecclesiæ conficere corpus & Sanguinem Christi; vel sicut ego converto

mi

mi DEUS ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis tui, & vini ſubſtantiam in Sanguinē tuum, ut deſidero converti cor meum in amorem tui perpetuum.

Cogita & illud Auguſtini ſub actu conſecrationis, quòd tunc quaſi incarnatur & naſcitur Filius DEI in manibus Sacerdotis. Proinde deſidera, ut guſtu hujus Sacrificii aboleantur omnes offenſæ (& ut ita dicam) diſguſtus divini ob mundi peccata. Deinde deſidera renovare guſtum divinum ex Sacrificio cruento Chriſti & ex omnibus Sacrificiis à primo ad ultimum ante diem judicii.

Inſuper tunc elice deſiderium concentrandi omnes actus ſanctiſſimos cujuſvis creaturæ intellectualis & poſſibilis, omnia merita, affectus devotiones, præparationes ab ullis elicitas & eliciendas, cujuſvis loci & temporis, cum omni circumſtantia, intenſione, multiplicatione, extenſione, perfectiſſimè.

Prolatis verbis conſecrationis cum ſumma admiratione, amore, & timore, puta te videre aut infantulum JESUM, eumq; ſpecioſiſſimũ formâ præ filiis hominum, ad quem adorandum eumq; cuſtodiendum innumerabiles Angeli de cœlo lapſi ſunt: aut JESUM in manibus tuis quaſi in cruce recens extenſum. Proinde tunc cordialiſſimos mente affectus elice. Dominus meus & DEUS meus; vel: JESU Fili David miſerere mei; vel: ô Pater! dono tibi JESUM. Vel: Non dimittam te Domine JESU, donec benedixeris mihi & toti mundo; vel: voces cœleſtium, terreſtrium, & infernorum dicite elevato Domino: Laudetur SS. Sa-

cra-

cramentum. Vel amo te DEUS meus pro omnibus & in omnibus & in æternum amare volo: vel: O JESU crucifixe parce mihi & omnibus peccatoribus! vel: O Pater dilectissime respice in me, quia in manibus meis habeo dilectissimum Filium tuum; vel: O si exulcerationem illam sentire nunc possem quæ te Dominum, dum crux attolleretur, totum excruciavit! vel: O MARIA' en dilectus Filius tuus: Vel: Hâc genuflexione in persona omnium creaturarum adoro te, ac demum pro omnibus, qui te non adorant, sed blasphemant, sive in terra sive in inferno.

Dum calicem elevas dic in corde: O Pretiose Sanguis Domini mei ablue me: Vel: O JESU in Sanguine tuo depono & demergo peccata mea & totius mundi: Vel: Quis mihi det ut moriar etiam pro te mi JESU? ô si meum scatentem in venis cruorem pro te effundere possem! Vel: O Pater! en sanguis Filii tui clamat ad te pro nobis non vindictam sed misericordiam.

In memento Defunctorum, primo commendabis animam, pro qua specialiter offers sacrificiũ. Postea sine præjudicio illius commendabis animas consanguineorum, benefactorum, Religiosorum, devotorum ad Beatissimam, fame, peste, bello sublatorum, animas, quæ suis carent suffragiis. Animas, quarum corpora in hac Ecclesia & in omnibus aliis per totum mundum requiescunt. &c.

Ante Communionem post verba: Domine non sum dignus. Imaginare Sanctos Angelos cum summa alacritate aperire penetralia cordis tui, & illuc introducere optatissimum Hospitem tuum dul-

um dulcem JESUM.

Admirabundus ad tanti hospitis præsentiam clama ardentissimo corde: unde mihi ut veniat Dominus meus ad me? *Exi à me Domine*, quia peccator sum, & ipsis damnatis deterior. Cur tantùm te mi JESU humilias? Credo, spero, diligo. O JESU dono tibi cor meum. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum. Doleo mi JESU quod unquam offenderim te. Misericordias tuas in æternum cantabo. Non dimittam te Domine, donec benedixeris mihi.

Ante Evangelium daturus benedictionem populo, elevatis in Christum crucifixum oculis dic: O mi JESU tu ipse avulsis à cruce manibus benedic mihi, benedic circumstantibus, benedic Patriæ nostræ, & omnibus Fidelibus.

Actus post Missam.

CRedo quia tu es Christus Filius DEI vivi, qui ad me descendisti. Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum mi JESU? Cor meum & caro mea exultaverunt in DEO meo. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ. Per viscera misericordiæ DEI nostri visitavit nos oriens ex alto. Gloria in excelsis DEO. Quid mihi jam est in cœlo & à te quid volui seper terram? defecit caro mea & cor meum DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum. Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum,

quòd

quòd parasti ante faciem omnium populorū. Domine JESU noverim me, noverim te, nec aliud cupiam nisi Te. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo. Misericordias Domini in æternum cantabo.

Actus Admirationis & gaudii de DEO.

En coram te JESU dulcissime JESU se sistit anima mea, miseriis plena! ut quid permisisti à me indignissimo peccatore te hodie tractari: & in latrinam corporis mei sceleribus multis1 beffœdatam deponi? Quomodo tulisti, ut hanc tibi execrandam injuriam irrogarem? Anni lacrymarum & pœnitentiæ mille non sufficerent ad Sacramentum tam excellens semel dignè suscipiendum, quantò minùs ego indignus aptus esse possum, qui peccare quotidie non cesso, incorrigibilis persevero, & imparatus accedo!

Pro admirando habetur, quòd ad imperiū Josue Sol in cœlo steterit. sed nunquid non magis est stupendum, quòd ad vocem Sacerdotis velut vocem meam hominis nequissimi & malitiosissimi, DEUS cum tota sua immensa ac infinita Deitate sub species Sacramentales descendit, & ibi non rarò indignissimè tractatur?

Quid est hoc mi dulcis JESU? Quid inquā est hoc? Tu qui adeò immensus es, ut cuncta creata te capere non valeant, à parvula contentus Hostia in mea intrasti viscera fœda? unde mihi Domine ut tu venias ad publicanum & peccatorem? An nescis, quis sim ego?

pulvis

pulvis utiq́, & cinis, vas sordidum, esca vermium, & ad hunc tu de cœlo venis? O DEUS & Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum! Quid retribuam tibi Domine pro omnibus his, quæ retribuisti mihi?

O si te nunc non meo indignissimo sed Seraphico, sed Mariano, sed tuo corde, mi JESU intensissimè amare possem! ô si omnia creata corda omniumque cordium affectus & amores in meum cor immergere & includere possem, quàm vellem te amare dulcis amor meus!

Tibi laudes concinant, tibi mecum gratias agant, te pro me mi JESU ignitissime ament Beatissima Virgo MATER, SS. Angeli, ac omnes Beati, universi populi, tribus, & linguæ. Jubilent tibi pro me omnes creaturæ, & misericordias tuas in æternum concinant.

Actus Adorationis.

AVe augustissimum SACRAMENTUM. Ave dulcissime & gratissime hospes amorq; mi JESU: Saluto te salutationibus omnium creaturarum, quæcunque fuerunt, sunt, & erunt.

Ave mi bone JESU, deliciosissimum cordis mei centrum, recipe me in suavissimos amoris tui amplexus. Transfer me in te.

Osculor mi JESU venerabiles manus tuas pro me cruci affixas. Osculor pedes tuos pro me clavis confixos. Osculor latus gloriosum pro me vulneratum.

Ave tremendum Salvatoris mei caput coronâ spineâ redimitum. Ave frons sole se-

renior cruentata & in lapſu percuſſa. Avete oculi pro me velati, contuſi, livore pleni. Avete aures contumeliis ſauciatæ. Ave dulce os pro me ſiti & aceto cruciatum.

Petitiones poſt Miſſam.

O Domine! cujus viſcera miſericordiæ patent omnibus, qui neminem vis perire, ideòq; pro omnibus hominibus mortem ſubiiſti, & hoc Sacramentum inſtituiſti. Reſpice in me oculis miſericordiæ tuæ, ſuccende me ignitâ vi amoris tui. Dirige me, & da finalē in gratia tua perſeverantiam.

Obſecro etiam Domine, ne ob reſpectum fœditatis meæ & peccatorum meorum illos negligas vel non exaudias, qui ſe per me tibi in hoc Sacrificio commendaverunt. Succurre itaq; & eſto propitius benefactoribus, conſanguineis, &c. &c.

Effunde miſerationes tuas Domine Princeps Regum terræ, in omnes Reges & Catholicos Principes, & in omnes gentes, quæ Te non noverunt, Turcas, Idololatras, Hæreticos, &c.

Defende omnes fideles tuos à fame, peſte, & bello, à cunctis adverſitatibus & periculis. Memento tot miſerabilium peccatorum in peccatis mortalibus exiſtentium. Ne ſinas eos labi, qui in periculo & occaſione peccandi verſantur.

Succurre Summo Pontifici noſtro, cunctisq; Prælatis & Preſbyteris. Diſſipa conſilia impiorum, ne quidquam Eccleſiæ tuæ, Regno huic & propagationi gloriæ tuæ officiant. Da huic congregationi, ad quam me vocare dignatus

gnatus es bona spiritualia & temporalia. Da Superioribus omnibus zelum disciplinæ, subditis obedientiam.

Succurre omnibus afflictis, pauperibus, ægrotis, agonizantibus, tentatis, incarceratis, & universo omnium statuum populo tuo. Succurre animabus purgatorii, ut refrigerium, quietem, & lucem æternam obtineant.

Actus alii superiùs videantur post Communionem fol: 313.

Ad Beatam Virginem & Sanctos.

RESpice me ô Domina! quoniam unitus sum Filio tuo JESU, & cum unitus sim Filio tuo, ego quoq; Filius tuus sum.

O Domina mea! ô Mater mea! doce me Filium tuum amare, ut tu illum amâsti, doce me cum illo deliciari.

Omnes Sancti Angeli & Patroni mei, vos amate, vos adorate, vos laudate meum dulcissimum JESUM, quia ego nescio, quid dicam DEO vitæ meæ.

Conclude post Missam.

ANima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: Sanguis Christi inebria me: Aqua lateris Christi lava me: Passio Christi conforta me: O! bone JESU exaudi me: Intra vulnera tua absconde me: ne permittas me separari a te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis meæ voca me: & jube me venire ad te: ut cum Sanctis tuis laudem te, in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

Proponuntur quædam Praxes seu Exercitia colendi per Annum Festa Christi Domini.

VIATOR DEUS.

In Adventu Domini.

O! Quando factus Viator DEUS cœli exultabit ut Gigas ad currendam viam? ô quando procedet tanquam Sponsus de thalamo suo?

2. O Pater misericordiarum! num in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudinem dierum? operi manuum tuarũ non porriges dexteram? Excita Domine potentiam tuam & veni, ut salvos facias nos.

3. Quid lactor ipse magna dilecte mi, & spe detineor sola? quousq; promissis dives, pauper, & inops jaceo? quoties discissis cœlorum nubibus, flumina effudi melior delphinus, nec tot aquis prodigè sparsis, attraxi dilectu n meum?

4. Quousq; nostrûm æmuli cœli, tot promissum sæculis tanquam ære circumsessum dilectum meum cingitis? tot sæculis vester est, ut exsatiari fames sitisq; potuerit. Quid negatis, promissum pignus mundo ad vos rediturum?

5. Utiq; tot sæculis expectatus, tot signis adumbratus, tot vaticiniis prædictus, tot votis expetitus, tot suspiriis exoptatus, tot deniq; lacrymis quæsitus es mi Domine! quid moraris? ô longa mora! ô tædiosa dilatio!

6.

6. Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea, ut te videre possit, in ergastulo carnis, natum sine contagio carnis.

7. O nos felices! quid audio? propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Læsus est peccato DEUS; satisfacit DEUS, factus est homo reus, fiat homo DEUS, ut liberetur reus. Peccavit caro, mundet caro.

8. O ingenium amoris divini! ut redimeretur homo factus est DEUS homo.

9. Ecce jam Rex noster advenit de cœlis, lætentur cœli & exultet terra ante faciem Domini, quia venit: quoniam venit salvare nos & dare se nobis.

10. Salve dies tot ætatibus exoptata, quâ DEUS pro nobis factus est homo. Salve Gabriel Archangele tantum nobis annuntians gaudium. Salve Virgo gloriosa in cujus utero castissimo carnem assumpsit DEUS!

11. O quàm potens es amor, qui ad tam infima abjicis DEUM! ô quàm divino est dissimilis amor meus.

12. O bonitas infinita! ô admiranda dignatio tua Domine, ut servum redimeres, Filium tradidisti!

13. Ama, amplectere Virgo Beatissima pro me dulcissimum Filium tuum in claustro uteri tui Virginalis latentem.

14. O; Sancti Angeli adorate pro me primogenitum Patris æterni, quem ad nos traxit amor, rapuit charitas, reclinavit in utero Virginis misericordia, amate illum pro me, cantate illi Sanctus.

15.

15. Tu, qui in Sancto habitas, excita potentiam tuam, & veni ex utero: tædet animam meam vitæ meæ quia non videbo te DEUM Deorum in Sion.

16. O utinam mi Domine citiùs disrumperes cœlum uteri Virginalis, & ad nos descenderes! ô longa mora! ô tædiosa dilatio!

17. Tibi dicit Domine JESU cor meum, exquirit Te facies mea, faciem tuam ardentissimè videre concupisco: sonet vox tua divine Puero in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Eodem tempore.

Actus ante S. Communionem.

Dilexisti nos ô bonitas! & tantopere, tanta cum amoris vehementia dilexisti, ut dares non creaturam, sed Filium, eumq; non è pluribus unum, sed unigenitum atq; unicum, donâsti nobis vilissimis, indignissimis, ingratissimis peritissimis.

Etenim ille propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto, qui Amor est, & Homo factus.

Mi DEUS amabilissime! eccnè te adduxit amor, ut in unam rem compaginares res dissimillimas, infiniteq; distantes, DEUM & hominem, ut DEUS fieret homo, quæ major potest esse exinanitio? ut homo fieret DEUS, quæ major potest esse exaltatio? qui excogitari potest arctior cum creatura nexus, imo unitas? Nempe hoc amoris est, amantem cum amato reddere quàm potest maximè unum.

O In-

O Ingeniose amor! quid non ampliùs excogitasti, quod nec cogitari quidem videbatur poss., en non tantùm homo fieri propter me voluisti, sed etiam in SS. Sacramento te ipso tuo corpore & sanguine nos cibare constituisti?

Obstupescite cœli super hoc! sed & laudate cœli, & exultet terra, jubilate montes laudē, simulq; universa cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, verè mirabilia. An non hoc novum, non hoc mirum, quod creavit Dominus super terram? hominem peccatorem cum DEO, DEUM cū homine unum facit amor!

Veni ergo ô amor! etiam ad pauperculam animam meam, & qui fecisti, ut unum sint DEUS & homo unitate personæ, effice, ut unus tecum efficiar sub speciebus Eucharisticis Te sumendo, amore inseparabili.

O! panis vitæ descende de cœlo uteri Virginalis, refice esurientem animam meam non amplius non ampliùs possū vivere sine te. Quid me dilecte diutius mortē inter vitāq; suspensū tenes? mors mihi certa sine te, vita nulla sine te est. Quid vitam morituro negas? tu vita mea & vita, solus es. Vivam, si in me vivas, mihi moriar, si moreris mihi. Quousque Virginis pasceris utero, & fraudor aspectu tuo?

Quid te tenet in conclavi castitatis abditum? tot jam annos expectavi ante sæcula conditū. Redde pignus, quod tulisti Virgo manens integra, satis ventre nutrivisti Matris, dones ubera. Scimus Matrem, scimus natum nasciturum sæculo, tumor prodit cœlo datum, quem fovebas clanculo.

Quo-

Quousq; Virgo Mater dilecto gaudes solo? impleamur omnes votivo tantùm in hunc diem gaudio gravidi. Tuus est fateor, sed & meus est. Matris jure tuus, adoptionis meus. Quid diutiùs recondis Mater & publicare metuis cœlo concessum natum? Si non erubuisti ad conceptionem, quid erubescis ad partum? concepisti Virgo, fovisti Virgo, paries Virgo, lactabis Virgo.

Ne verere, solo Virgineo lacte pascetur dilectus tuus, virgineo ludet ille sinu tuo, collo pendebit tuo, ubere lactabitur tuo. Videamus te Matrem: an erubescis ad nomen Matris? Uterus natum prodit, Angelus totque jam ante Vates cœlo pleni. Largire proinde mundo natum, ut propriè jam dicaris Virgo Mater.

O! veni, & expectatione lassam refice mentẽ mi dulcis hospes hæc vota mea de penetrali cordis mei deprompta, inter suspiria lagrymis natantia, inter inæstuantes amorum flammas oculorum fluminibus temperatas, inter calentes melioribus ignibus preces denso oculorum imbre rigatas, offero tibi & effundo.

Quo affectu te suscepit Virgo Beatissima dulcis JESU, eodem affectu sub his speciebus tibi manenti cor meum inscribo, exhibeo & offero. Tu homo factus es in utero. Ecce anima mea ancilla tua, fiat ei, fiat mihi secundum verbum tuum. Veni Domine Homo DEUS. Utiq; apud te non est impossibile omne verbum, non est difficile in conspectu Domini ditari pauperem.

Impetra mihi Virgo Mater, ut Verbum Caro, tua factum habitet in nobis per Sacramentalem

talem præſentiam, & videamus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre pleni gratiæ & veritatis.

O S. Gabriel Archangele impetra mihi, ut gratiâ plenus ſim, & Dominus ſit mecum in SS. Sacramento præſens, utinam idem regnet in domo mea in æternum, & regni ejus non ſit finis.

Gaude & exulta anima mea, ecce Rex tuus venit tibi. En ipſe ſtat poſt parietem, en pulſat ad cor tuum, ut ipſi aperias. O quanta mea felicitas! Regem cœli & terræ meo ſuſcipiam hoſpitio, illum complectar, quem caſtiſſimis ſuis viſceribus, ac in ulnis ſuis Virgo Mater geſtavit.

Actus poſt S. Communionem.

ANima mea liquefacta eſt ut dilectus locutus eſt; quæſivi & inveni quem diligit anima mea, verè viderunt omnes fines terræ ſalutare DEI noſtri.

Nolite mirari SS. Angeli & Archangeli, quòd DEUS homo ad hominem peccatorem diverterit, Spiritus enim Sanctus ſupervenit in me, & virtus Altiſſimi obumbravit mihi, ideoq; & quod per verba, conſecrationis natum eſt, ſanctum vocatur, DEUS homo vocatur, latens & immolatus DEUS.

Salve itaq; ô dilecte, ſalve ô ex millibus electe, ſalve candide & rubicunde fili MARIÆ Virginis, ſalve totus deſiderabilis, totus delectabilis. Salve unice votorum meorũ, ſpes mea ab uberibus.

Salve Puelle maximè, ſalve infans Verbum DE-

DEUS homo, te adorant omnia viſcera animæ meæ, te agnoſcit, te amat, te æſtimat ignitiſſimè anima mea.

Tu Virgo Mater digniſſimo hoſpiti meo, Filio tuo canta in corde meo illud tuum Magnificat. quo SS. Trinitatem delectaſti, Tu mihi concede illos tuos affectus amoris, quibus eundem, ſive in utero, ſive in ulnis tuis proſecuta es.

Benedicant etiam te ô tenelle JESU generoſe Virginis Matris ſanguis, omnes Sancti & Electi tui, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendens de cœlis incarnatus es, nec horruiſti puriſſimæ Virginis uterum, ſed de pretioſo ejus ſanguine carnem aſſumens, Homo factus es.

Agnoſco & amplector miſericordiam tuam æternam erga me hoſpes amantiſſime, atque infinitas tibi pro omnibus, quæ tribuiſti nobis gratias ago: teq; ſupplex omnium creaturarũ poſſibilium poſſibili affectu adoro, laudo, glorifico, te amo & amabo ſuper omnia in æternum.

Accedo etiam ad te acclinis Virgo Mater, ago tibi gratias, quod hunc Filium DEI Dominum meum, quem ego nunc in Sacramento ſuſcepi, in uterum tuum ſuſcepiſti, quòd ei ſanguinem tuum puriſſimum ad formandum hoc corpus ſuppeditaſti, quòd illum pro hoc uſu meo nutriviſti & educaſti. Beata viſcera tua, quæ portaverunt hunc æterni Patris Filium, & Beata ubera, quæ lactaverunt Chriſtum Dominum.

In vigilia Nativitatis Domini.

1. Nasce e tandem aliquando post tot sæ-
culorum luctum atq; squallorem ô
parve DEUS! ô magne puer! tam impati-
enter expectate. quam vehementer expetite.

2. Nascere Domine, expectat te Mater tua,
ut te osculetur osculo oris sui, ac pannis
involvat: expectat te Josephus, ut te DEUM
in carne adoret: expectat bos, ut cognoscat
te possessorem suum, asinus, ut cognoscat
præsepe Domini sui.

3. Nativitas tua infans divine, gaudium
annuntiabit universo mundo, tu enim es sol
justitiæ, & gaudium universæ terræ.

4. Egredere Domine de terra tua; evocat te
militia cœlestis, ut evangelizet gaudium ma-
gnum: Pastores, ut te salutent: Magi, ut
munera offerant, Simeon, ut te excipiat in
ulnas suas.

5. Veni Domine propter miseriam inopum
& gemitum pauperum: expectant te cæci, ut vi-
deant; claudi, ut ambulent; leprosi, ut mun-
dentur; mortui, ut resurgant.

6. Age, perge Rex magne, ab ætheris pa-
latio ad pauperrimam casam, à stellis ad pa-
leas, ab Angelis ad jumenta, à divina Numi-
nis tui forma ad humanam Christi speciem
delabere.

7. Dic mihi Virgo Mater ubi nascetur Fi-
lius tuus? num in stab lo? ô inaudita amo-
ris prodigia! dilecti mei cubile. stabulum
est, lectus Sponsi mei fœnum, pulvillus stra-
men, aula, vilis spelunca.

8. O Puelle *Divine*! Amor magne & par-
ve!

ve! Tu es qui seraphinos tuis dulcissimis ignibus inflammas, cur non stipulam & fænū, in quibus jacebis infantulus accendes?

9 O divinitas tremenda! ô Humanitas amanda! ô DEUS! ô HOMO! ibi agnus in cœlis es! & hic parvus in terris! ibi regis sydera, hic suges ubera! ibi sedes inter Angelos, hic jacebis inter bestias! ibi dives in throno, hic pauper in fæno.

10 Heu me! quàm votis meis contraria ego video? noluerunt te mi DEUS homines, hominem DEUM habere inter se non te admiserunt, sed ad bestias & stabulum amandârunt, quasi de te dictum fuisset, quod de superbo Rege dictum erat: *Ab hominibus ejicient te, & cum bestiis ferisq; erit habitatio tua.*

11. Utinam mi JESU tuæ nativitati præsens adesse possem, dignusq; habitus, qui te halitu meo; pro brutis animalibus calefacerē!

12. At miserebuntur tui ipsa jumenta & tui satellites, bosculus & asellus, hi rigens immiti brumâ & frigore tenerrimum corpusculum & delicatula membra anhelitu suo utcunq; fovebunt & calefacient.

13. Veni ergo Domine & noli tardare, veni JESU pulcherrime, clarissima gemma nata in mari divinitatis paternæ, cujus originem nullus intellectus creatus potest indagare.

14 O Puer! ô DEUS! ô hominum & Angelorum amor! ô Rex cordis mei! ô Imperator animæ meæ, te videre concupisco, te desidero amplecti, osculari, tuos pedes, quia catellus tuus lambere volo.

15 Felicem diem, quâ amplectar dilectum meum, quâ infigam casti pudoris oscula, quâ tene-

teneras plantas diſſuaviabor baſiis, quâ manus illius tornatiles aureas. digitosq; ebore candidiores purpureis figam labris: quâ membra à virgineo Matris utero recentia, virgineo ante purpureoq; rore paſta, ſinu manibusq; fovebo meis.

16. Cur non hodie hâc felicitate beari poſſum, ut connivente Matre, plaudentibus Angelis, arridente Nutritio, ſtupente cœlo, mille dilecto meo figam baſia! involvam cordi cunarum vice, pro faſciis ſtringam brachiis, pro culcitra ſubſternam pectus, pro pulvillo genas? O ſi hodie ſtaret dulce pondus genibus meis! ô ſi ſuavis penderet collo ſarcina!

Eodem Die.

Actus ante S. Communionem.

HEu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt dum dicitur mihi quotidie ubi eſt DEUS tuus? JESUS tuus? Quando veniet Dominator, quem tu anima mea quæris & Angelus teſtamenti, quem tu vis & deſideras? Quis mihi det, ut inveniam te mi dulcis JESU foris, & deoſculer te?

Quid igitur dicam aut quid reſpondebo dū dicitur mihi: Ubi eſt Rex tuus & JESUS tuus? ubi Rex gloriæ & Dominus virtutum?

Si Rex eſt, & quidem Regum Rex; an in eo ſedet, quem demonſtravit Daniel throno? ubi millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia ei aſſiſtunt? An ibi eſt, ubi eū vidit Iſaias ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, ubi Seraphim velant faciem & pedes ejus alis, clamantq; alter ad alterum:

San-

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS exercituum?

An ascendit super Cherubim & volat super pennas ventorum, & è tenebrosâ aquâ in nubibus aëris tonat, ac mittit sagittas suas, fulguraq; multiplicat, ut commoveatur & contremiscat terra, & fundamenta montiũ conturbentur?

At frustra in augusta atq; horrifica specie quæro Amorem meum! Non benè conveniunt, nec in una sede morantur majestas & amor. Non etiam ego te quæro dilecte mi prout intus es in sinu Patris, quia sic lucem habitas inaccessibilem, te potius quæro in gremio Virginis Matris.

O Virgo inclyta utporè partui proxima speciosa facta es & suavis in deliciis tuis, ex quo gaudium Angelorum & delicias humani generis possidere incæpisti, quàm gloriosa dicta sunt de te civitas DEI, ex quo homo DEUS, homo victus & homo captivus receptus est in te.

Scio Domine, quia in cœlo parasti sedem tuam & in sole uteri Virginalis posuisti tabernaculum tuum, & ego non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatum mearum; dixisti tamen Domine deliciæ meæ sunt esse cum filiis hominum. Et alibi: Ponam tabernaculum in medio vestri. Ergo veni Domine & noli tardare. Visita nos in salutari tuo. Excita potentiam tuam & veni.

Jam enim venit mi DEUS plenitudo tẽporis, & Matri impletũ est tempus pariendi, quo debet apparere benignitas & humanitas tua, ut visites nos, qui novem mensibus, die-

bus ducentis septuaginta sex inhabitasti Virginis uterum, similis per omnia infantibus reliquis effectus.

O dulcissima Mater dulcissimum mihi portans pondus, descende ad me, en tibi cor meum. Scio quia non es habitura locum in diversorio, diverte ad cor meum, ibi tuum & totius mundi thesaurum depone; volo illum halitu meo, imò amore intensissimo calefacere.

Veni Domine JESU, veni, adest jam dies, ut adsis; veni patet tibi porta cordis mei. Veni amor mi, jam tandem inveniam te foris fraterculum meum. Veni amplectar te, exosculer te, introducam te in cubiculum cordis mei. In unione amoris illius quo tu suscepisti carnem nostram. In unione puritatis, amoris, affectuum & meritorum, cum quibus te suscepit Virgo Mater in incarnatione, desidero te hodie suscipere, te tractare, illos æstus amoris concentrare in cor meum, quibus cor Virginis Matris ardebat in tuo adventu.

Actus post S. Communionem.

SAlve mi dulcissime ac potentissime hospes Domine mi JESU diu desiderate, anxiè quæsite, solicitè adamate, saluto te ex intimis animæ meæ visceribus, ac quâ possum veneratione, te excipio.

Adoro & amo te Infans divinissime, quo Verbum assumpsit corpus & animam inter se unita ad componendam individuam naturam humanam.

Jubilate etiam omnes Angeli & Sancti in conspectu

ſpectu Regis Domini: conſpiciendum enim ſe, humanitate indutus præbuit Rex & Dominus noſter, viſus in terris eſt, & cum hominibus converſatus. Moveatur mare & plenitudo ejus, flumina plaudant manu; montes exultent ab hoc conſpectu Domini, quoniam venit.

Laudem dicite DEO noſtro puſilli & magni, venit enim ad me deſideratus cunctis gentibus, & qui in ſole poſuerat tabernaculum ſuum, nunc ad hominem peccatorem divertit. Verè viderunt omnes fines terræ ſalutare DEI noſtri, Benedictus, qui venit, DEUS Dominus & illuxit nobis, Dominus venit: Occurrite illi omnes animæ meæ potentiæ dicentes: Magnum principium & regni ejus non erit finis, DEUS princeps pacis.

Dignus es ô Agne mi! ô Verbum incarnatum, ô mi dulcis JESU, accipere honorẽ & gloriam & benedictionem ab omni creatura, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, ut omnes junctis vocibus ſine ceſſatione dicant tibi: Benedictio & honor, & gloria, & poteſtas, Agno & DEO noſtro humana carne induto, & ad nos venienti in ſæcula ſæculorum.

Media Nocte Nativitatis Domini.

1. NUm, quem diligit anima mea, vidiſtis? vobis loquor Angeli Sancti: dicite mihi de JESU meo, cui nunc ceciniſtis? indicate mihi quem diligit anima mea.

2. Piiſſima JESU Mater aperi mihi oſtiũ dilecti mei: vadam & videbo hunc Puerum natum antequam moriar.

3. JE-

3. JESU Fili DEI, ostende quæso te animæ quærenti, & vultum tuum cernere cupienti: quare enim dignatus es nasci, nisi velles etiam agnosci?

4. Omnes Reges terræ desiderabant videre faciem Salomonis, & audire sapientiam ejus, & ecce plus, quam Salomon hic: finite ergo Pastores me introire ad Regem natum, ut osculer scabellum pedum ejus, & stabulum ejus.

5. Jam quod quæsivi habeo, JESUM meũ invenio, & summo bono gaudeo, cur jam corde non ardeo?

6. Gaudens hodie gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO JESU meo: inveni quem diligit anima mea, tenebo pedes ejus, nec dimittam, donec benedixerit mihi.

7. Salve millies desideratissime hospes, salve dulcis puelle JESU, ô JESU Nazarene, Rex sæculorum, Rex cordium, deliciarum omnium, primæ ac summæ deliciæ, felicissima beati amoris æternitas. Salve vivificans gemma divinæ nobilitatis. Salve immarcescibilis flos humanæ dignitatis JESU amantissime.

8. Salve JESU, dominator omnium, speciosus forma præ filiis hominum, te agnoscimus & veneramur nostrum clementissimum Dominum.

9. O Mater! ecce Filius tuus. En pallent illius labella corallina! marcent roseæ genæ, ubertim stillant geminæ ocellorum gemmulæ; crebrò gemit os formosulum; alternis singultit pectusculum lacteum, miserè tremunt frigidulæ manus; undiq; titubat mollicela caro; tenerè palpitant parvula cum corculo viscera, toti trepidant infantiles artus.

10. O verè beatissima nox clarior omnibus sæculi noctibus quæ scire meruit tempus & horam quando de virginali utero egressus est DEI Filius nostræ fragilitatis corpore indutus.

11. O benedicta nox, & laudent eam omnes Filii lucis, quia natus est in ea Christus Filius DEI, lux æternæ lucis.

12. Sed quomodo mi DEUS! pusillus vagis in duro præsepio, & jaces mutus inter animalia?

13. O prodigium! en Viator JESUS cœli terrarumq; amor, procumbit inter bestias, quia non est ubi reclinet caput suum in diversorio, & fessus est ab itineribus æternitatis!

14. Angelus dicit: Evangelizo vobis gaudium magnum, natus est Salvator; at quale mihi gaudium, dum plorat contemptus, nec diversorio receptus Amor?

15. O prodigium gaudii simul & doloris! Salve, inquit Deipara Fili mi & osculabatur eum, sed lacrymando, quia præsagiebat illud: Ave Rabbi: Ecce DEUS, & canitur: Gloria in altissimis! sed quid illud? Ecce homo, & clamabitur: Crucifige eum. O! quã diversa sors. hic in stramine, ibi cum arundine: hic in fasciis, ibi in vinculis: hic tenero vagitu vitam inchoat, ibi clamore valido & lacrymis vitam finiet.

16. O! Virgo beatissima, præbe lambenti JESULO mamillam, ut ipse pro te præbeat percutienti maxillam. Lacta pia Mater Christum tuum & Dominum in gratiam nostram;

Lacta

Lacta eum, quem concepisti sine pudore, peperisti sine dolore.

17. O! mi JESU humillime & altissime plantulis tuis pronus accido, osculor pedes tuos intra præsepis angustias arctatos, osculor pro me clavis perforandos. Adoro in parvo corpusculo tuo tuam immensitatem, in paupertate tuas divitias, in muta infantia tuam sapientiam, in tenella ætate tuam æternitatem, in carne mortali tuam immortalitatem.

Die Nativitatis Domini.

1. O Felix! ô ter beata hora! quâ hodie secus viam cecidit Verbum caro factũ.

2. Cur non ardet cor meum tenerrimo tui amore infans formosissime, qui salutem meam in ipso tui ortu operari cœpisti? quomodo non amabo te mi Domine ita amantem me?

3. O homo! quantùm magnificatus es, & quantùm DEUS benignissimus apposuit cor suum erga te? an non clamabis usq; & usque: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ tribuit mihi?

4. Non misit DEUS Angelum, non Archangelum, non Patriarcham, non Prophetã, sed ipse venit Rex Angelorum, & Dominus Prophetarum ad liberandum me.

5. O DEUS bonitatis! nunquam magis te reddidisti amabilem, quam cum te exhibuisti miserabilem. Nunquam clariùs resplenduit bonitas tua, quàm cum annihilata videbatur majestas tua.

6. Vulnerasti cor meum tuo adventu mi JESU, vulnerasti cor meum, utinam exnunc mori possem & vivere tibi.

7. Quis te adduxit mi JESU nisi amor? & quis de cœlo te traxit, & ad me inclinavit nisi amor? O amor & amor, quam dulcis & fortis est hic amor! O etiam in me tam vehemens nascatur ardor, cui nihil sapiat, nisi JESUS æternus amor!

8. O quando in amplexibus vestris beatæ cunæ colliquescam totus? quando pro fæno substernar tibi dilecte votorum meorum? quando pro fasciis stringam, involvam pro pannis? quando infigam dilecto meo casti pudoris oscula? occupavit ora Mater; infigam pedibus cum Evangelica amatrice, amoris lavando fontibus, tergendo crinibus. Spargite oculi amica lacrymarum balnea, quibus innatent pedes ab uberibus Matris pendentes.

9. Meis affectibus parvule JESU careo: offero tibi affectus Angelorum psallentium, & Pastorum te adorantium. Offero tibi affectus Virginis Matris. Quàm enim grata & suavia Matris oscula tuis teneris impressa labris? quàm mollia tui ipsius basia Virginis Matris suavitantia genas: quàm dulcia Matris ubera Virgineo rore gravida?

10. Repræsento tibi terra puerum natum, tibi datus, tibi natus, ex intacta Virgine.

11. Non audebam ob peccata mea accedere ad te mi JESU, nunc accedam, quia vinctus es & ligatus. Quis enim posset timere hunc parvulum? quem non succendent amore calentes JESULI lacrymæ?

12. O dulcissime Fili MARIÆ! ô dilecte mi JESU candide & rubicunde! en pauperculus servus accedo ad Te. Veni intra brachia mea. Requiesce supra cor meum. Irriga me

lacry-

lacrymis tuis. Inflamma me amore tuo. Benedic mihi parvulis manibus tuis. Osculare me suavissimis labellis tuis.

13. Tu es mi JESU Pater pauperum, dator munerum, da mihi obsecro strenam, strenam gratiæ & amoris tui. Quid enim nobis denegare poteris, qui te ipsum nobis dedisti?

14. Quam vero etiam ego tibi mi Domine hodie strenam offeram? dono tibi mi JESU cor meum, dono me totum, dispone de me, sicut de jumento tuo in tempore & æternitate. O Domine! ego servus tuus, & mancipium perpetuum Matris tuæ MARIÆ.

Eadem Die.

Actus ante S. Communionem.

UBi quæso est natus Filius tuus? ô mi DEUS amantissime æterne Pater! cum introduxisti primogenitum tuum in orbem terrarū dicitō mihi ubi posuisti eum? & ego eum tollam. Si enim mihi natus, mihi datus est, quidni eum mihi tollam? ubi est, qui natus est Rex Judæorum? imò & Rex gentium.

Quis mihi det, ut eum inveniam fratrem meum, sugentem ubera Matris meæ, eumq; deosculer, & jam nemo me despiciat summâ votorum positum. Surgamnè & circumbo civitatem, per vicos & plateas Bethlehem quæram, quem diligit anima mea?

Dicitis Sancti Angeli: Invenietis infantem, ubi? ô ubi! Anima enim mea desideravit illum in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad eum, nec cessabo die ac nocte, neq; dabo somnum oculis meis.

meis, nec requiem temporibus meis; donec inveniam tabernaculum DEI Jacob.

Quid vero audio? non est ei locus in diversorio. Ubi igitur pascit, ubi cubat in calentissimi amoris æstu & meridie amor meus? Ergonè vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, ille, ubi caput reclinet, non habebit?

Tu potiùs Virgo Mater conservas omnia conferens in corde tuo, dicito mihi, ubi puer natus est nobis, Salvator mundi, qui est Christus Dominus in civitate David? Ubi est Rex meus & DEUS meus? si cuncta prospera sunt erga tuum natum? Ubi posuisti eum? & ego eum tollam. O Spectaculum admirabile mundo, Angelis, & hominibus! positus est in præsepio! positus inter bestias, qui natus est Rex noster & DEUS noster. Eonè ex splendoribus Sanctorum in tetrum tenebrosumq; antrum an spelæum se demisit candor lucis æternæ? in hocnè throno, hoc solio, se visendū præbet Rex gloriæ, Dominus virtutum, DEUS majestatis, Princeps Regum terræ?

O dolor! en vagit coram oculis Matris ac sui Nutritii inter paleas candidus & rubicundus Pusio, ille electus ex millibus, fovet pauperculis pannis rigentia membra Regina Mater, occupant cœlestes ephebi obsequia, quæ homo ingratus contempserat.

Quid igitur ages amor meus? ô DEUS meus! ô dilecte votorum meorum quid ages? quorsum te ab amore abduci abripiq; fines? dū te homines cognata similitudine, habitu, specie, carne, sanguine, corpore, humanitate indutum, ad eos adeuntem ne recipiunt quidem, hospitii jure excludunt, locum ubi diverseris, quin

quin & quò divertas negant, ergonè te ad jumenta relegabunt?

Tu verò etiam, quid agis anima mea, aut quid ages? excludesne ex tugurio cordis exulem infantem recens natum? ô mi JESU! quò me vertam, aut quid priùs, quid posteriùs agam? Undiq; urit me amor tuus & liquefecit ô amor! anima enim mea liquefacta est ad id, quòd de te audio, & in te video dilecte mi. O! liquescam & diffluam penitus mihi, tibi verò arctissime uniar, & in unum tecum instar ceræ colliquescentis coalescam.

Illinc discindit me dolor cum cerno te tam amabilem, & tàm amantem Dominum, non modò non redamari sed tam indignè & injuriosè tractari excludi, negligi contemni. An non hic dolor adigit me, ut non tantùm eo discindar, sed in atomos discerpar? Hinc admiratio tantæ dignationis & charitatis tuæ levat me super me, & sustollit super altitudinē cœli in sublime mirabilium tuorum.

Quid tamen miser faciam? scio quia humilitas & cognitio vilitatis meæ arctat me, & constringit me, ne præsumam te Dominum meū primogenitum Patris in orbem terrarum ab Angelis inductum ad pauperculum cordis mei diversorium invitare, sine tamen, quæso, sine Domine, ut quò te charitas adegit, venias, & mansionem apud me facias. Utiq; Domine frater noster es, os nostrum, caro nostra factus es, cur nos tibi socios habere detractabis?

Ut quid Domine diutiùs hærebis inter bestias? transfer te in stabulum cordis mei: an felicius tu es ô stramen, in quo jacuit Christus, quam
cor

cor meum? Intelligis tu parvule infans & superintelligis omnia, intellige super me egenũ & pauperem, qui cordialiter clamat ad te: Veni Domine JESU, & lassam expectatione refice mentem.

Veni dilecte mi. Ne patere tot lacrymis frustra rigari terram. Ego te semel mihi concessum reddam dilectæ Genitrici tuæ, quid dico? ignosce Mater, mihi natus, mihi datus est puer. Non reddam. Quamdiu enim ludes inter basia nunquam satianda, nunquam fatiganda amico pondere? meus est. Osculetur me osculo oris sui. Quid accusas temeritatem peccatricis animæ meæ? Nonne pro peccatoribus utero clauditur, collo & uberibus pendet, fæno decumbit, involvitur pannis, stringitur fasciis? Ignosce. Multis nominibus meus est.

O parvule ac pro me de virgine nasci dignate JESU! quo te cum affectu Parens dulcissima ex se natum pannis infantiæ involvit, ac in præsepio reclinavit, hoc eodem affectu ego indignus te sub hisce speciebus sacramentalibus involvo ac depono in corde meo.

Actus post S. Communionem.

JAm quod quæsivi habeo, quod concupivi teneo, dulcem JESUM invenio, cur jam corde non ardeo?

Venite, audite omnes, qui timetis, imò qui amatis DEUM. quanta fecit Dominus animæ meæ: en hodie puer natus ex MARIA. & Filius Virginis datus est nobis! En hodie dilectus meus mihi, & ego illi inter

ubera

ubera mea in corde meo commoratur, & qui creavit me, requiescit in tabernaculo meo.

Credo mi dulcis JESU, quia tu venisti ad me Rex meus & DEUS meus. Tu Rex gloriæ Christe. Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum. Tu gaudium meum, lumen oculorum meorum, tu amor meus, lux incomprehensibilis.

Et unde hoc mihi ô Creator cœli & terræ! quia iterum è stabulo ad hoc sterquilinium cordis mei descendisti? unde mihi ingratissimo servulo tuo tanta dignatio tantæ Majestatis, ut me oculis misericordiæ tuæ tam benignè respicere, tam amanter visitare, tam misericorditer reficere dignatus es? & dignum ducis super hujuscemodi peccatore aperire oculos tuos, & esurientem implere pane (videlicet te ipso) qui de cœlo descendit? O mi dulcis hospes! ô mi Creator! ô mi Redemptor! quantùm tibi debeo! & quomodo non amabimus te Domine ita amantem nos?

Fuerunt mihi sæpiùs lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicebatur mihi quotidie: ubi est DEUS tuus? JESUS tuus? Sitivit anima mea ad te DEUM meum, fontem vivũ, sitiebam Domine corpus & sanguinem tuum, sicut infans ubera Matris, sicut Samaritana aquas viventes, & sitim explentes, ac salientes in vitam æternam.

Exulta & lauda habitatio Sion, habitatio cordis mei, quia magnus in medio tui Sanctus Isràël. Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus. Jam in Domino meo gaudebo & exultabo in DEO JESU meo. Verè videt omnis caro salutare DEI.

Salute

Saluto te hospes amantissime meo & totius mundi nomine, effundo tibi mare illud affectuũ, quos Mater Sanctissima erga te recens natum exercuit. Innovo tibi affectus Angelorum obsequioso cantu te laudantium, ac Pastorum te adorantium.

Tibi Pater amantissime offero incendia amoris, quibus ardebat cordculum Filii tui recens nati. offero pias lacrymas, quæ intuitu mundi de ipsius geminis erumpebant ocellis.

Et quia vinctus es mi Pusio, neq; repelles me à te, accedo ad te, osculor tibi pedes, manus, & vaticinor tibi de plagis hic infligendis. Osculor tibi cor ex quo hauriemus aquas in gaudio de fontibus tuis Salvator amantissime, dum lanceâ latus tuum aperietur, & continuò exibit Sanguis & aqua.

Noli mi dulcis JESU è visceribus pauperculi peccatoris properare, non jam ampliùs dimittam te. Jam captivus es, jam vinctus in corde meo, si mihi dederis totius mundi pro te substantiam, quasi nihil despiciam eam, te in æternum constringam. Felicia erunt vincula mea, quibus innectetur amor meus, & tanquam nexibus stringetur dilectus amore meo omni fasciâ potentiùs.

Vulnerasti cor meum dilecte mi, sponse mi, quem desponsavi mihi primis cunarum lacrymis. Vulnerasti cor meum pannis & fasciis infantiæ tuæ cum penderes leve, gratumque pondus è collo Genitricis tuæ. Vulnerasti cor meum amoris tui telo cum tanquam fulmine ossium medullas intimaq; depasce et cœlo jaculatus ignis tuus. Vulneraſti cor meum

um tuo hodierno in fæda licet viscera mea adventu.

Ne verò fugiat dilectus meus à me assimilatus capreæ hinnuloq; cervorum, tu Virgo Mater Unigenito tuo in domo mea commoranti dulcia pro me cantica, ut dilectus meus purissimis tuis agitatus manibus, dulciq; virgineo cantico somni provocatorio in placidam depressus quietem, indormiat cordi meo, ut inter tuas modulationes diutiùs dilecto frui, osculisq; teneras fatigare plantas valeam.

Vos etiam Sancti Angeli custodite dilectũ meum quiescentem in corde meo, ne qua inimica manus inter somni delicias furtim abripiat, quem diligit anima mea.

In Circumcisione Domini.

1. DEUS eras parvule JESU, & eras innocens Filius Virginis innocentis, unde ergo opus tibi circumcisione?

2. O lapsus Adæ, quàm amarus es Domino meo! ego peccavi, & tu Domine pœnam exsolvis? ego in concupiscentia conceptus & natus sum, & tu suscipis in te ultionem? Agnosce ô homo, quàm gravia sint tua vulnera, pro quibus necesse est hunc divinum infantulũ vulnerari!

3. Sponsus sanguinum tu mihi es, qui cũ voce nondum possis, ipso cruore tuo clamas ad Patrem, & infantulus, quem vix dum habes, sanguinem profundis.

4 Propter primitias sanguinis JESU, ô Pater! benedic mihi, benedic Ecclesiæ, huic Regno, Religioni, benedic coronæ anni & toti mundo.

5. O verbum incarnatum! ô Fili Virginis Matris æterniq; Patris! gaudeo & exulto, quia vocatum est nomen tuum JESUS.

6. O JESU! adoro te, ut nomen Majestatis. Amo te, ut Nomen suavitatis. invoco te, ut nomen potestatis. Opto sanguinem profundere, ut salvus fiam; quoniam & tu sanguinem tuum dedisti, ut Salvator esses.

7. Nomen tuum sanctum & terribile mi JESU! in persona omnium cœlestium, terrestrium, & infernorum adoro, adoratumq; volo ab omnibus, super omnia, in æternum.

8. O JESU nomen dulcissimum, esto mihi salus, & redemptio: non enim est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri. Esto mihi JESUS, id quod diceris: Esto mihi turris fortitudinis à facie inimici.

9. O JESU! pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super os meum, ut signaculum super brachium meum; ut non cogitem, nisi de te, ut non loquar, nisi de te, ut non laborem, nisi propter te.

10. Impetra mi S. Bernarde, ut hoc nomen suavissimum & dulcissimum JESUS, semper dulcescat in corde & ore meo. Sit JESUS mel in ore meo, in aure melos, in corde jubilus.

11. Hoc sit mi Domine tecum in æternum pactum: sive quidpiam unquam scripsero, non sapiet mihi, nisi legero ibi JESUM. Sive unquam disputavero, non sapiet mihi, nisi sonuerit ibi JESUS.

12. O! utinam hoc suavissimum nomen JESUS, vel saltem in extremo mortis meæ articu-

ticulo, corde ardentiffi o & devotiffimo pronuntiare poffim! O JESU fis mihi JESUS in morte, fi quid commifi, unde damnari poffim, tu non perdidifti unde falvare poffis.

13. Nihil habeo, quod offeram tibi, parvule JESU! præter lacrymas contriti & amantis cordis, fufcipe eas & mifce Sanguini tuo.

14. Qui dignus es Domine femper accipere laudem, gloriam, & honorem; ideo defidero fingulis hujus anni momentis, quolibet ictu oculi, refpirio, millies ac millies Seraphicè, Marianè, Theandricè, te adorare, te diligere, te appretiare, tibi gratias agere, gaudere, & congratulari de bonis tuis, & de gloria tua.

15. Omnes actus meritorios, omnes cultus, omnia Sacrificia tibi impendenda, anticipatò tibi offero, approbo, ratifico. Omnia inftantia & momenta actionum peccaminofarum, quæcunq; erunt, defidero implere actibus Chrifti Domini, Beatiffimæ Virginis, & Sanctorum omnium. Omnes cruces, morbos, afflictiones à me tolerandas libenter accepto. Omnia quæcunq, cogitaturus, dicturus, & facturus fum, afpergo Sanguine Domini JESU, unio meritis JESU, MARIÆ & omnium Sanctorũ.

16. Si vides Domine me al quando hoc anno deliberatè contra te graviter peccaturum, fac, ut pro illo momento à dæmone obfidear, antequam peccem, & tamdiu patiar, donec pertranfeat momentum, quo peccaturus erã.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

AMo te domus gentilitia, Amoris Bethlehem, in qua JESUS Amor triumphat! amæmior millies

millies illâ cisternâ Bethlehem; cujus undis levare sitim David s votum fuit. Ah in te! ô specus patria DEI mei! ah in te origo fontis est! cujus aquæ saliunt in vitam æternam, & ex quo, qui bibit, non sitiet in æternum.

O Bethlehem! ô natale solum Amoris! ô horreum & domus panis, unde Angeli fiunt immortales! ô quale in te frumentum conditũ est! frumentum electorum. O quale granum ex aridis aristis tuis eminet!

Tu etiam dixisti Domine: Panis quem ego dabo caro mea est pro mũdi vita. Ita est mi DEUS! Credo quidquid tu dixisti DEI Filius: nihil hoc verbo veritatis verius.

O mirum tui mi JESU amorem, qui à primo incarnationis instanti, in tenello corde tuo cæpit incendi! verè apparuisti mi Domine in flamma ignis de medio rubi.

O! cibus, potusq; noster, accende, inflamma, & exure me igne desiderii tui, tu qui Pater desideriorum es, fiat mihi secundùm verbũ tuum, fiat mihi secundùm ignitissimum votum tuum. Quemadmodum enim desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea satiari ab ubertate domûs tuæ. Sitio Domine lassatus in via iniquitatis, sitio te DEUM meum, venam aquarum viventium, sitio sanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter contulisti.

Pater meus es tu Domine, & ego Filius tuus licèt prodigus, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit, sed portio mea tu es DEUS meus: aliam non quæro, nec admitto, illabere cordi meo, & omnibus potentiis meis DEUS vita mea & amor meus, ut intimè sim

tibi

tibi unitus. Uni me tecum indissolubili eoq; strictissimo unionis vinculo, ad eum si possibile est modum, quo tuæ humanitati unita fuit divinitas.

O! Mater circumcisi pue'li gemitibus ingemiscens, & nomen JESU imponens, atq; illud cum summa veneratione pronuntians, da mihi filium tuum JESUM. Utiq; caro filii, tua est caro, sanguis ejus verè est tuus, is enim ex tuo Virgineo lacte, aut potius lac fuit, utiq; JESUS propter salutem nostram descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto in utero tuo, adeoq; nobis datus, nobis natus.

Veni dilecte mi in hortum tuum, animam meam, perfla eam Auster cœlestis, ut fluant aromata illius, purga illam stillicidio tui pretiosissimi sanguinis, riga fluentis gratiæ. Desidero te millies, mi JESU quando venies, ut me te ipso saties quando erit hæc felix hora, quando te videbo facie ad faciem. Millies mi JESU moriar, dummodo te amorem meũ videam.

Exulta & gaude anima mea Ecce Rex tuus, divinus Puer è sinu Matris properat ad te. En ipse stat post parietem & velamen istorum accidentium panis, veni dilecte mi candide & rubicunde, electe ex millibus. An verò ingressum oris, cordis & viscerum meorum horres? utique postquam completi sunt dies octo, circumcisus es puer, ac sanguinem tuum, quem vix habes effudisti, purifica ergo mi JESU sanguine tuo, tuis calentibus lacrymis, fœda viscera mea, ut commodum tibi evadant hospitium.

Affec

Actus post S. Communionem.

O JESU! sis mihi JESUS in vita & in morte & salva me. JESU fili David miserere mei. In nomine JESU omne genu flectatur cœlestiū terrestrium & infernorum. Misericordias tuas Domine JESU in æternum cantabo.

Vox sanguinis filii tui ô Pater! clamat ad te de terra. Audi sanguinem filii tui altiùs pro nobis peccatoribus clamantem, quàm sanguinē Abel, non vindictam sed misericordiam, non ut irascaris, sed miserearis.

En Pater amantissime! hic est JESUS filius tuus dilectissimus, qui se mihi communicavit, & me in se convertit! Amo te itaq; amore ipsius, corde ipsius, lacrymas præsento & sanguinem illius.

O dulcissime JESU! bibam cum hoc Sanguine tuo suavissimo amorem tuum. In te solo ab hoc momento vivam ac spirem, magisque anima mea in te vivat, quem amat, quàm in corpore, quod animat. Transforma me in te, ut omnis substantia mea pereat in te, nec me inveniam ampliùs nisi in te.

In tuo dulcissimo nomine ô JESU! quod Salvatorem significat, firmam spem salutis meæ pono, igitur ô JESU! sis mihi JESUS, dic animæ meæ: salus tua ego sum. Applica precor vim nominis tui animæ meæ, & innocens ero, munda me hoc recenti sanguine tuo, & super nivem dealbabor.

Sanguine tuo mi Domine à peccatis omnibus lava me & concede, ut anima mea cum à corpore migraverit, ante tribunal tuum appareat munda. O bone JESU! ne deseras me in omnibus angustiis, ac præcipue in suprema mortis lucta, à qua tota pendet æternitas. O

O Pater per amorem sanguinis tui Filii! O Fili per amorem sanguinis tui proprii hodie effusi! O SS. Spiritus per amorem corporis & sanguinis à te in visceribus Virginis Matris efformati! O DEUS unitas! & DEUS Trinitas! benedic mihi, benedic Patriæ pro hoc novo anno, benedic toti mundo, effunde miserationes tuas in omnia regna. Da mihi & toti mundo amorem tuum perfectum, & observantiam mandatorum tuorum. Indulge veniam peccatoribus, da tui cognitionem infidelibus, da gratiam amicis meis & inimicis, da Religiosis omnibus progressum in virtutibus & gratiam finalem.

Age hospes amantissime mi dulcis JESU! in corpore meo & anima mea (ut domum tuam ingressus) quidquid vis, dispone in me, de me, de oculis meis, de corde ac omnibus occupationibus meis, prout vis, illas ego tuæ gloriæ & amori dedico universas, ac tuo sanguine imbutas, volo omnes pendere è tui amoris directione atque imperio.

In Epiphania Domini.

1. QUid facitis ô Magi! quid facitis? infantulum pauperem adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergonè DEUS est iste?

2. Quid facitis ô Reges! quod & aurum offertis? Ergo Rex ipse? ubi aula Regia? ubi thronus? nunquid aula est stabulum? thronus præsepium, curiæ frequentia JOSEPH & MARIA, servi, bos & asinus?

3. O JESU! Rex meus & DEUS meus, hoc Theophaniæ tuæ die, à Sapientibus tribus Re-

ribus adorate, à Joanne baptizate, à Patre laudate; cum Matre ad nuptias invitate: ac ibi ejus rogatu, aquâ in bonum vinum conversâ, primo miraculo gloriose, cum summa humilitate plantis tuis accido, & cum tribus Regibus procido ante te.

4. O Divine Puer! turbetur licet Herodes; & omnis Hierosolyma cum illo, meus eris Rex, isque unicus.

5. Condoleo tibi mi JESU, quia in propria venisti, & tui te non receperunt, quinimo vix es natus, & statim morti destinatus.

6. Crudelis Herodes expecta paulisper, quod nato Domino facere cupis, hoc lancea feri militis aciet.

7. Gratias tibi mi DEUS, pro primitiis Gentium, & earum illuminatione admirabili.

8. Gratulor oculis vestris ô Magi! quibus vidistis Regem natum.

9. Apertis thesauris suis Reges obtulerunt tibi mi Domine munera. Aperi tibi thesaurum meum optimum, cor meum, tu habes clavem, claude illud aliis, tibi pateat soli.

10. Orere super tenebras cordis mei ô gloria Domini! ô JESU gloria Patris & Matris! Expergefac illud, dic animæ meæ: surge illuminare Jerusalem; quia venit lumen tuum.

11. Da mihi Domine! ut cum Abele, & cum his Regibus, optima optimè dem tibi optimo DEO meo. Accipe si quid boni habeo, ut illud amore tuo perficias, imò accipe etiam quidquid habui vel habeo mali; ut illud amore tuo exuras, & è pessimo facias optimum; ut ubi abundavit delictum, superabundet gratia.

12.

12. Amor tuus mi Domine, præparet pœnitentiæ myrrham primam in munus gratum tibi, ille me faciat thus tuum dolore contritum: ille me faciat aurum tuum, aurum ignitum: ut omnia opera mea ſint è puro amoris tui metallo; & oratio mea aſcendat ut virgula ex aromatibus myrrhæ & thuris, tibi Regi opera mea dedicans.

13. O JESU! ſtella ſplendida & matutina in MARIÆ ſinu, tanquam in firmamento ſplendens fac, cum his Regibus, in ſplendore ortûs tui, ambulet cor meum; ac ſingulæ cogitationes & actiones meæ, ſicut ſtellæ manentes in ordine ſuo, ſint diſcipulæ tuæ.

14. O mi DEUS! utinam omnes gentes, omnes tribus & populi, omnes Reges terræ, & Principes cum his tribus Magis venirent, teq; adorarent, ante te DEUM prociderent, te ſolum mi JESU fide viva cognoſcerent, te ſolũ amarent, tibi fideliter ſervirent, tunc videndo efflueret & dilataretur cor noſtrum cum gaudio magno valde.

15. Quia tibi Regi ſæculorum ac Domino dominantium debetur ſumma laus, honor, & gloria, ideo omnium Regum, omnium Principum, tam Catholicorum, quàm infidelium, etiam oppoſitum volentium colla & corda tibi ſubjicio, in perſona illorum ante te procido, te adoro, adoratumq; volo & deſidero ab omnibus, quicunque futuri ſunt.

Eodem Die

Ante S. Communionem.

PUtasnè Domine, quia abſcondes Te à meis

ergonè non videbo te Dominum meum in terra viventium? Scio Domine! quia tu es DEUS absconditus, & posuisti tenebras latibulum tuum: surgam tamen & circuibo civitatem, per vicos & plateas Bethlehem, quæram quem diligit anima mea.

Ut verò cyus inveniam dilectum meum, sequar vos ô Magi! tàm fortunata stella duce, errare non potest qui è cœlo ducatum habet. Amo te mea stella, quæ me ducis ad Regem meum.

O! si possem velocissimé totam terram peragrare & invenire te mi JESU: tu enim es desideratus cunctis gentibus, tu desiderium collium æternorum, tu Sponsus, tu Rex cordium, tu amor meus, & omne bonum, qui trahis nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Ducito me ô stella! ad amorem meum, volo velocibus te sequi passibus. Nam quis negabit alas amanti? Quid si in Virginis Matris sinu Virgineo pastus lacte virgineoq; vertice ludat amor meus? quid si inter amica casti JOsephi basia! quid si in fœno & præsepi inter bovem asinumq; medius? quis scit, an non admittent commutationem præsepia, ut cum redierit à sinu castæ Matris, ubere jam plenus virgineo amor meus, novo præsepi, cunisq; pro veteribus indormiat novis? O! si ludere fallereq; amico dolo possem Matrem, ut pro fasciis & pannis animâ hac cordeq; meo involvam dilectum meum!

Quid verò immoror, nec satior his nudis votis? vale jam mea stella, cælos pete. Non sequor. Miraris? inveni quem diligit anima mea.

mea. Audio quid loquitur in me Dominus DEUS: Venite inquit ad me omnes, qui laboratis & ego reficiam vos. O verbum in auribus meis dulcissimum! ô cœleste convivium, ô suavissimam refectionem. & amoris excessũ! O magneticum sanct amoris illicium, parvule JESU! en vix es in stabulo paupere natus, & in sinu Matris exaltatus, omnia trahis ad te ipsum.

Utinam etiam me indignum rapiat ignita vis amoris tui quæ me transformet, & in te absorbeat, ac me tecum unum efficiat.

Ad te venio mi Domine! & clamo post te liberator meus esuriens & sitiens, miserere mei fili David, & da mihi hodie panem tuũ, da vinum, quod miscuisti, ut refocilletur anima mea.

O Pater amantissime! qui sic dilexisti mundum, ut Unigenitum filium tuũ dares, da mihi hunc eundem. Fili unigenite DEI, qui de sinu Patris ad terram descendisti, descende Domine ad cor meũ. Spiritus Sancte qui Beatam Virginem dignum habitaculũ fecisti filio DEI, effice quoquè in me hospitium filio DEI.

O beatissimi tres Reges degustem illã spiritûs vestri dulcedinem in hujus contactus SACRAMENTI, qua diffluebatis, cum cor vestrum & caro vestra exultaverunt in DEUM Vivum.

Actus post S. Communionem.

OSculor parvule JESU infans Verbum pedes tuos ore Magorum te adorantium, sacrifico tibi præcordia mea. Nolo Rex speciose formâ

præ

præ filiis hominum aliam hæreditatem, nisi te. Vive potentissime Imperator in medio cordis mei, & dominare sicut decet te. Confiteor coram cœlo & terra, quia tu solus Dominus, tu solus Altissimus, tu Rex regum & Dominus dominantium.

O magne Amor, parvum Numen! cum his tribus Regibus procidens ante te, tuis me subjicio plantulis! en me totum submitto ditioni tuæ! en ego me dedo imperio tuo! en ego me consecro arbitrio tuo! en ego inclino collũ servituti tuæ!

Ah! quid stant jumenta duo? an forsan à te jugum expectant? En ego! ô divine puer, cervicem meam vinculis tuis præbeo! ne præferas me bestiis, qui me creasti, ut dominarer bestiis terræ, ah! me innoda & alliga jugo tuo. En corpus & anima mea facta sunt, ut duo jumenta ante te. Conscende currum præsepii tui, inside fæno tuo: ego jungam jumenta mea, & te toto orbe circumveham, atq; elatâ voce clamabo: Sic triumphat amor!

Quidquid mi Domine habeo, quidquid sũ, quidquid possum, tibi penitùs trado, ut me totum tibi vendices. Imò in simplicitate cordis mei lætus offero tibi universa. Dispone de me DEUS meus, de bonis fortunæ, corporis & animæ, dispone de me toto in tempore & æternitate.

Utere me velut re tua, meis omnibus famâ, vitâ, fortunis, corpore, animâ, ad arbitrium tuum. Offero corpus in victimam, cor in templum, vitam in holocaustum, vires omnes & facultates in beneplaciti tui obsequium. Et sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum

tum animæ meæ, ita ego totum me tibi in æternum dono, ac consecro.

Die Cinerum.

1 VIs Domine me flere, jubes me flere peccata mea & meorũ? Ad sacros pedes tuos velut ad asylum reus accurro, & ante illos toto corde prostratus clamo: Eheu! peccavi Domino. Tibi soli peccavi, quem solum amare debui.

2. Tu dixisti Domine: nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat; ideò adrepo cinere aspersus ad te, cum sim pulvis & cinis, qui tuum altare olim cinere mundari jussisti: Jobum tuum cinere coopertum amasti; Davidi cinerem, tanquam panem manducanti pepercisti.

3. Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel Parentum, Fratrum &c. neq; vindictam sumas de peccatis nostris.

4. Ne reminiscaris iniquitatum nostrarum antiquarum, mi Domine, cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

5. Adjuva nos DEUS salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

6. Nonne dixisti Domine: gaudium esse in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente? exple igitur hoc gaudium in cœlis de me. Pœnitet me peccasse, semperq; pœnitebit: & si possem infinito dolore dolerem, quod offenderim te.

7. Detestor & execror omnia peccata mea, supra

supra quidquid deteſtabile & execrabile eſt, & propono me nunquam ampliùs te offenſurum.

8. O JESU! ô MARIA! ambo quidem offenſi eſtis, ſed ambo eſtis abyſſus miſericordiæ & dulcedinis, parce ergo miſericordiſſime JESU, parce ſervo Matris tuæ, miſericordiſſima Mater MARIA, parce mancipio Filii tui.

9. Et quia mi Domine amore tui ſolius deteſtor omnia peccata mea, en etiam omnia & ſingula mea jejunia offero & dedico tibi in ſacrificium amoris tui, cujus imperio volo tibi, ea per Eccleſiam imperanti, obedire, quæ conjungo cum omnibus tuis, MARIÆ ac omnium electorum jejuniis, & meritis omnibus, ut tibi placeant.

10. Eô item fine mi DEUS! hoc jejunium inſtituo. Ut nimirum ſubtraham materiam vitiorum. Ut tuear caſtitatem, meo ſtatui convenientem. Ut ſervem ſanitatem virtuti impendendam. Ut animum aptem inſpirationibus tuis. Ut imiter jejunium tuum & Sanctorum. Ut me comparem ad orationem & venerabilem Euchariſtiam. Ut ſatisfaciam pro exceſſu in cibo & potu.

Tempore Paſſionis.

1. SI unquam aliàs, nunc certè tempus eſt exhibendi te mihi DEUM miſericordiæ ac benignitatis, JESU mi amantiſſime, Conditor ac Redemptor! atq; omne bonum meum. Ecce! monſtrum ingratitudinis ac perfidiæ ſiſtit ſe divino conſpectui tuo.

2. Quid facere poteras amplius in gratiam mei,

mei, quàm mori in cruce? poterasne majori pretio regnum tuum ac potestatem mercari, quàm quo salutem meam redemisti?

3. Quid dixerint Seraphini, cum DEUM viderent inter duos latrones cruci affixum? mori DEUM, & mori quidem inter tormenta tàm immania, inter opprobria tàm nefanda, fluctibus doloris obrutum decumanis? nunquid par erat, ut excelsæ illæ mentes attonitæ obstupescerent tàm inexpectato caritatis excessu, cujus capax non erat cor aliud, quàm divinum?

4. Sed en! nova admirandi materies! en prodigium ingratitudinis, supra bonitatis excessum novum atq; insolens! post tot perpessiones, post tantum sanguinis prodigè effusum, quos fructus refers mi DEUS? nondum expugnare potuisti ingratum hoc cor meum?

5. O dedecus abominandum! post mortem meî causâ exantlatam, potui contemnere te, potui renovare vulnera tua, novisq; sceleribus tuum conculcare sanguinem?

6. Ah! ut nunc saltem parem ingratitudini meæ sentirem dolorem, ut pœnitentiam saltē pro amore, pro sanguine lacrymas redderem! sed & istic deficio miser, neq; aliud mihi restat, quàm ut ad te confugiam mi DEUS! & desiderem hunc dolorem & ex toto corde flagitem.

7. Vis Domine & scis me dolorem non mereri, sed & scis, consequi me eum non posse absq; te; ex me cadere possum, at non resurgere, averti à te, sed non redire ad te, peccare, sed non pœnitere.

8. Tu

8. Tu amator animæ hujus fidelissime, reliquis miserationibus tuis etiam hanc adde, ut operi manuum tuarum porrigas dexteram, meq; miserum subleves atq; sustentes; ego amori tuo victas do manus, æstimo te & amo super omne bonum, & propter hunc solum amorem tui, abominor peccatum super omne malum, detestor illud & execror, velut causam perpessionum tuarum, tuæq; mortis unicam originem.

9. Patrocinentur ergo mihi mi JESU! vulnera tua, pro mea salute clament ad Patrem, impetrent mihi misericordiam, gratiamque abundantem, ut moriar priùs, quàm te rursus offendam.

Eodem tempore

Actus ante S. Communionem.

O Dolor! ut quid auctus es dolenti & amanti cordi meo? an parum fuit malis tuis, quia tu mi JESU! candidus & rubicundus, electus ex millibus, gloriosus totus, pro me factus es Rex dolorum, Rex despectuum, saturatus opprobriis, vermis & non homo, quomodo iterum permittes ad fæda viscera mea declinare, à me tanquam sceleratissimo iterum crucifigi.

O mi JESU! tuænè sapientiæ atq; majestati venire hoc in mentem potuit, ut nobis te in cibum potumq; dares? An non erat satis bonitati tuæ carnem nostram assumere, & tuæ divinitati associare? innocentissimam carnem tuam pro nobis lethalibus tormentis excruciare? animam sanctissimam pro nobis in mortem dare? nonnè inquam erant hæc satis?

Ut quid insuper opus erat adinventionibus istis magnis? ut quid opus erat manducari te, à nobis inviscerari? Parum erat ablui sanguine tuo, etiam oportebat inebriari nos illo? Parum erat corpore tuo redimi, etiam oportebat nos eodem saginari? Quomodo demirabor stupendam adeo bonitatem tuam mi dulcis JESU?

O bonitas! ô charitas, ô misericordia! quid tibi pro tantis tuis erga nos miserationum tuarum profusionibus non dico retribuam, sed respondebo? Majores sunt miserationes istæ super nos, quàm ut sufficiamus omnes pro iis dignas Majestati tuæ gratias agere.

Quia ergo mi dulcis JESU! cum famescente avaritia manducari te vis à nobis, fiat itaq; mihi secundùm verbum tuum. Ardet tibi amor meus, si parum, ampliùs succende illum, ut ardeat ardore tuo, amore tui tantùm, quantùm tu das, quantùm tu dignus es.

Veni Domine JESU ecce patet porta cordis mei, ecce patet ostium animæ meæ, ingredere ô benedicte Domine! Paratum tibi, paratum cor meum JESU, si parum, tu ampliùs para illud.

Actus post S. Communionem.

QUid dignum in conspectu tuo egi, quòd pro me servulo tuo redimendo incarnari, nasci, laborare, pati, ac mori voluisti mi Domine, me toties non lacte ut Mater filium! sed corpore & sanguine tuo reficis, & nunc etiam refecisti?

O! abyssus bonitatis, tantanè res erat salus peccatricis animæ meæ, ut ei expiandæ tam-

tum

tum sacrificium ab æterno destinares? esurienti tantum Convivium præparares?

O! corpus sacratissimum quinquè vulneribus sauciatum, millies ac millies te exosculor. tui solius amore semper languere desidero, illud semper esurire, ejusq; dulcedine semper pasci. Amplector pedes tuos cum Magdalena pro me in cruce transfixos.

Saluto te frons sole serenior Salvatoris mei Spinis cruentata, in lapsu percussa. Avete oculi cœli sydera, pro me velati, contusi, livore pleni. Ave vultus Angelis desiderabilis consputus. Ave dulce os pro me felle & siti cruciatum. Avete humeri crucem sustinentes & flagellis cæsi.

Saucia Domine cor meum vulneribus tuis, mentem meã inebria sanguine tuo, ut quocunq; in posterum me vertam, semper te videam cruce fixum, & quidquid aspexero tuo sanguine tinctum appareat mihi.

Respice in me Pater æterne, quia unigenitus Filius intra viscera tua clamat ad te. Attende in filio, quod te moveat misereri servi tui, & dum dilecti Filii patent vulnera, mea quæso tegantur scelera, & quia caro mea te lacessivit ad iram, caro filii tui te flectat ad misericordiam.

Aspice pie Pater in faciem Christi tui, & cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi semper benè complacuit, qui mihi nunc intime conjunctus est, supplex rogo, ut me quoq; respicias oculis misericordiæ tuæ, sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius compareo coram te; ut illum præcipue intuens, me quoq; clementer ac benignè respi-

tias, tanquam mancipium ejus & servum perpetuum. Ne permittas obsecro, ut pereat illa anima, quæ toties in se recepit Filium tuū, qui à te missus venit in mundum, quærere & salvum facere, quod perierat.

Die Cœnæ Domini.

1. O Mi JESU! dum te video ad pedes Judæ hodie prostratum, timor & tremor veniunt super me! & dum considero opera tua, expavesco!

2. Amabilissimam hanc charitatem tuam ô mi DEUS, admiror & veneror, æstimo & laudo magnifico & benedico, quantùm possum: neq; possum quantùm volo: neq; velle valeo, quantùm debeo.

3. Exosculor mi JESU illas tuas divinas manus, quibus lavisti pedes discipulorum, & ipsius proditoris tui.

4. O si & ego hodie in toto mundo omnium egenorum, omnium pauperum pedes in terra prostratus lavare possem! quia id præstare non valeo, offero tibi Domine lotiones pedum ubicunq; factas, à devotis tuis faciendas usq; ad finem judicii.

5. Exosculor mi JESU! tuas sacras manus, quibus sub speciebus panis & vini hodie pretiosissimi corporis & sanguinis tui Sacramentum discipulis tuis tradidisti.

6. O anima Christiana! vide & considera, quomodo memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, & fecit cœnam magnam.

7. O prodigium! ecce homo quidam fecit cœnam magnam. Magnam, quia à magno DEO,

magnâ

magnâ charitate propositam. Magnam, quia magno prodigio elaboratam. Magnam, quia magnis ferculis instructam Corpore Christi, animâ Christi. Divinitate Christi.

8. O mi JESU! si me totum debeo pro me facto, quid dabo pro refecto hoc modo?

9. Vicisti Domine, vicisti misericordiâ & bonitate tua omnia exempla, omnia ingenia, omnes amores. omnium amorum gradus, & omnem expectationem omnium creaturarum superasti.

10. O si possem mi DEUS! reparare omnes irreverentias, profanationes, impietates, contra tuam Majestatem in hoc Sacramento verè contentam; præcipuè hodie à Judæis, hæreticis, & sagis commissas & committendas.

11. O! si possem nunc tantum tibi exhibere honorem, quantum tibi dedissent, darentque omnes simul, Athei, infideles. hæretici, Turcæ, idololatræ, & omnes blasphemi, si essent fideles, teq; totâ vitâ suâ, debito cultu & recognitione honorassent.

12. Pro omnibus contemptibus & irreverentiis, quas aliquando mi Domine tulisti & feres usq; ad tempora Antichristi, innovo tibi & offero primum Sacrum à te, & primam Communionem à Beatissima, Apostolis, & omnibus aliis factam. cum illa adoratione & honore, qualem Spiritus Sanctus illis inspiravit.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

O! Quanta vis amoris cor tuum succendit amantissime JESU. Cum transiturus de hoc

hoc mundo ad Patrem, mensam parasti nobis habentem omne delectamentum & omnis saporis suavitatem.

Grande quidem fuit & admirabile opus amoris tui, quòd naturam nostram assumere dignatus sis, sed longè præstantius & mirabilius est, quòd corpus tuum in cibum, & sanguinem in potum reliqueris, in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris divinitatem.

O cœnam admirandam! ô gratiam ineffabilē? idem Dominus conviva est & convivium, cibans & cibus, offerens & oblatio. Manducat homo panem Angelorum, qui jumentis insipientibus comparatus fænum, ut bos comedere dignus erat. Cibum percipit vitæ, qui de cœlo descendit, cibum omnis suavitatis, Sanctorum delicias, ferculum immortalitatis.

O! quanta felicitas, homuncio bibit vinum cœleste, vinum germinans Virgines, & aridas sitibundæ animæ fauces potu saliente in vitam æternam refocillat: in loco pascuæ, in loco uberi collocatus, flumina mellis, fontes lactis, liquorem balsami sugit, torrente voluptatis potatur, & ab uberrimis cœlestis ambrosiæ inundationibus inebriatur.

Sic totum mi Domine thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensâ hâc dilectione prævent: amoris, vicem tibi rependere totis viribus satagamus.

Amo itaq; te unicum meum solatium in hoc exilio, unica spes languentis animæ, unica mea felicitas & summum bonum, quo in terris frui licet. Amo te toto corde, tota virtute atq;

utinam

utinam omni momento te ferventiùs semper amarem!

Hoc est ardens desiderium meum, huc feruntur gemitus mei, & suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ, dum te ipsum transfundis in me, dum quantùm fieri potest, me similem tui facis, dum esurientem animam meam non cibo aliquo terreno, sed pretioso Corpore & Sanguine nutris, satias & saginas.

O! ignis jugiter ardens & nunquam deficiens, ure cor meum, ut ardeat amore tui. Ignem venisti mittere in terram, accende illum & eventila, ut semper crescat.

Atq; utinam possem omnium Sanctorum affectus & inflammata desideria habere, teq; semper sitire fontem vitæ, fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis! Utinam te semper esuriat cor meum, panem Angelorum, refectionem animarum Sanctarum, & dulcedine saporis tui, repleantur viscera animæ meæ.

Renuit consolari anima mea donec suscipiam te omne bonum meum Domine JESU, quem solum ardentissimè concupisco, cum omni affectu & devotione omnium electorum tuorum tecum epulantium in mensa tua.

Actus post S. Communionem.

CRedo dulcissime Amor mi JESU! te in Sanctissimo SACRAMENTO, quod recepi, esse cum divinitate, animâ, corpore, sanguine, meritis, virtutibus, gratiis, vivum totum, ac omnipotentem, & credo te cum Patre Spirituq; Sancto esse in anima mea.

Credo

Credo autem, quia tibi credo, quia tu veritas es, & quia tu dixisti illud: Hoc est corpus meum. Tu es, qui venisti ad me Domine JESU DEUS meus, Dominus meus, Redemptor meus, salus mea, vita animæ meæ, tu ipse & non alius, quem sub hoc panis velamento suscepi.

O admirabile mysterium, ô dulcissimum SACRAMENTUM, ô adorande & divinis tantummodo sat digne redamande amoribus Amor meus, quomodo ita me amantem redamabo? O si millena corda haberem eaq; omnia plena iis affectibus, quibus abundavit unquam cor MARIÆ, cor omnium electorum, ut desideriis meis respondeat amor meus!

Nunquam te amabo, quantùm amabilis es, & quantùm te amare vellem. Vellem si fieri posset me tibi ita uniri, ut in permistione hujus tàm amabilis unionis me ipsum perderem, neq; ampliùs essem nisi in te.

In æternum volo amare te mi dulcis JESU verus DEUS & verus homo, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto te mihi nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præmium dare dignatus es.

Assumo omnium creaturarum etiam possibilium adoratioes, & amorosos affectus, omnesq; illos in Te amor mi, quem hodie recepi plena hilaritate effundo, eosq; tibi omnes impendi, & affectum hunc in omne momentum & æternitatem continuari cupio & continuo.

O! Sanctissime Amor, exosculor millies venerabiles manus, in quas acceptus est panis, & benedictus, fractus, datusq; discipulis! Exo-

ſculor pedes ſpecioſos pro me clavis confixos. Exoſculor latus divinum pro me lanceâ vulneratum. Exoſculor mitiſſimum cor amore mei indigniſſimi peccatoris ſaucium. Exoſculor totum ſacrum corpus.

Compatior tibi DEUS meus, quia pro tantis miſerationibus tuis tanta reddimus mala. En non tantùm à Judæis olim ô mitiſſime Domine paſſus es opprobrium & contemptum, ſed etiam hodie ab Ethnicis, hæreticis, ſagis, & quod majus eſt à nobis perditis ac impiis Chriſtianis, & Catholicis, quid non injuriæ pateris? Vellem mi DEUS eviſcerare me ad abolendos omnes defectus & irreverentias, quas aliquando tuliſti & feres Domine, præcipuè hodie á Sagis, Judæis, hæreticis, in ſua cœna paganis, idololatris.

In ſupplementum harum omnium blaſphemiarum, deſpectuum, contemptuum, deriſionũ, innovo tibi DEUS meus & effundo mare illud affectuum, quos erga Euchariſtiam elicuerunt Angeli Sancti, dum primùm conſecrata eſt, item Apoſtoli, Beatiſſima, ipſe quoq; Chriſtus corpus ſuum, primùm in cœnaculo ſub ſpeciebus panis ponens, & ut putatur, ſumens.

Inſuper deſidero tot actus adorationis, ſalutationis & recognitionis tibi mi Salvator amantiſſime facere, quod in univerſo mundo conſecratæ ſunt, & conſecrabuntur hoſtiæ, & quoties poſſunt fieri partibilitates hoſtiarum, ita ut cuivis correſpondeat amor & recognitio mea.

Die

Die Parasceves.

1. O Anima Christiana! respice in faciem Christi tui, & intuere speciosum formâ præ filiis hominum opprobriis, injuriis, verberibus, livoribus, contusionibus pro te ita deformatum, ut non sit ei species neque decor.

2 Vide Caput nobilissimum spinarum punctionibus transfossum & percussionibus attritũ. Vide genas modestissimas sputis fædatas, alapis cæsas, sanguine cruentatas. Vide oculos benignissimos lacrymis perfusos, & ad ignominiam velatos. Vide os suavissimum siti ardentissima cruciatum, & felle atque aceto potatum.

3. Vide dorsum, supra quod fabricaverunt peccatores, verberibus dilaniatum, & humeros crucis pondere oppressos. Vide brachia amabilissima funibus devincta, & in cruce crudeliter extensa. Vide manus innocentissimas durissimis clavis perforatas. Vide pedes delicatos tot itineribus defatigatos, ac cruci tandem affixos.

4. Vide corpus venerabile pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Vide sanguinem pretiosissimum, usq; ad minimam guttam, pro nostra salute misericorditer effusum.

5. O Pater! quàm stupendâ quàm inauditâ charitate dilexisti me! ut servum redimeres, Filium tradidisti.

6. O mi JESU suavissime! abyssus bonitatis, tantanè res erat salus peccatricis animæ meæ, ut ei expiandæ tantum sacrificium ab æterno destinares? adeone non taurorum aut

vitulorum sanguine non corruptibilibus auro vel argento redemptus sum, sed tui ipsius pretioso sanguine, quasi Agni immaculati?

7. Quid retribuam tibi Domine mi JESU pro omnibus his quæ tu tribuisti mihi? quomodo amabo te, vel potiùs quomodo redamabo te ita amantem me!

8. O! si incessanter tot millenis vicibus te adorare, & benedicere, te salutare & amare possem: quot suspiria mi JESU emisisti, lacrymas fudisti, quot dolores sustinuisti, quot lapsibus cecidisti, quot pœnosis gressibus ambulasti?

9. O! si incessanter eâ flammâ amoris arderem, amando te, quâ ardes Tu, quâ ardet Mater tua, quâ ardent Seraphini, quâ ardent omnes Sancti tui!

10. O! si tot millenis vicibus amore tui sanguinem meum effundere possem, quot vulneribus in flagellatione concissus, quot spinis in coronatione vulneratus, quot fætentibus sputis es maculatus, quot funibus ligatus, quot iniquis judiciis es condemnatus!

In Solemnitate Sancti Sepulchri.

1. O Angeli! ô cœli! ô elementa! ô creaturæ omnes! adeste: En jam Dominus JESUS mortuus est!

2. Venite omnes ad sacrum hoc depositũ jam sepulchro conditum, & mecum flete, nã pupilli facti sumus absq; Patre. Cecidit corona capitis nostri.

3. O anima Christiana! Ecce quomodo bonus JESUS amavit te! Dedit pro te genas vellentibus, faciem conspuentibus, capillos extrahenti-

bentibus, corpus percutientibus, caput coronantibus, manus pedesq; perforantibus.

4. Ecce quomodo amavit te! Quando unica guttâ sudoris, unicâ lacrymulâ, gressu, gemitu, ictu oculi, voluntatis actu te redimere potuisset: ah! quot guttas sanguinis, quot lacrymas, gressus, gemitus, horas, dies, annos impendit!

5. O dulcedo mea, quot amaritudinibus! ô gaudium meum, quot lacrymis! ô sanitas mea quot vulneribus! ô vita mea, quot mortibus pro me obruta es!

6. O mi Creator! ô mi Redemptor! quantùm Tibi debeo? quomodo tam exilis amor meus respondebit divino affectui & amori tuo?

7. O! si cor meum esset Salamandra, & continuò ardens viveret in flamma amoris divini? O! si audiente toto cœlo & terra semper & ubiq; clamare possem: Millies ac centies millies dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriam, & benedictionem.

8. O si incessanter mi dulcis JESU! tuum reverendum caput pro nobis spinis coronatũ, tuam faciem pro nobis consputam, tuos oculos lacrymis perfusos, tuas manus & pedes clavis confixos, cum gemitu & lacrymis osculari possem!

In Resurrectione Domini.

1. EXurge Domine! exurge de tenebris & umbra mortis, non decet Sanctum Domini videre corruptionem.

2. O

2. O anima mea! en dilectus tuus candidus & rubicundus loquitur tibi surge, propera amica mea & veni: jam enim hyems transiit doloris, imber abiit sanguinis, flores renascuntur lætitiæ.

3. O Pater! annuntio tibi gaudium magnū, JESUS filius tuus vivit! quem fera pessima devorare voluit, & ipse dominabitur in cœlo & in terra.

4. Consurge, consurge MARIA, induere vestimentis gloriæ tuæ Virgo gloriosa. Surge & illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini JESU, gloria filii tui resurgentis, super te orta est.

5. O Angeli pacis! gaudete in Domino, iterum dico gaudete, en ille nuper despectus Rex vester, iterum speciosus formâ præ filiis hominum factus est.

6. Quàm magna multitudo dulcedinis vestræ ô SS. Apostoli! quam habuistis videndo & amplectendo Dominum vestrum è mortuis redivivum.

7. O! si posse velocissimè totam peragrare terram, & clamore valido ubiq; vociferari: Vivit JESUS! vivit JESUS!

8. Lætare & exulta anima mea! en cui nuper non erat aspectus neq; decor, nunc resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autē illius facta sunt alba sicut nix.

9. Infelix Synagoga, vidisti nuper Regem tuum, & fecisti tanquam leprosum, & novissimū virorum, en cerne! ut pulchritudinem illius sol & luna mirantur.

10. Ostende etiam mihi mi dulcis JESU faciem tuam gloriosam! sufficit mihi illam vi-

dere

dere antequam moriar. O si citiùs venirem, & apparerem ante te! tunc cum lætitia exclamarē: Dominus meus & DEUS meus.

11. Sancte JESU per sanctam Resurrectionē tuam te rogo, fac me sanctum: resuscita me cū sanctis illis, de quibus dicitur: Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Duc me in sanctam Civitatem tuam, in qua tu es: fac me ita vivere, sicut Sancti illi, à te resuscitati vixerunt tecum.

12. O vere Agne, qui abstulisti peccata mundi! aufer & mea, qui mortem nostram moriendo destruxisti, destrue & meam; qui vitā resurgendo reparasti, repara & meam.

13. Quid vero sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? in medio pedum tuorum, in medio cordis tui? O vere sunt æterni testes amoris, divinæ monumenta pietatis; cruentæ trophæa victoriæ, nimiæ symbola charitatis, verè sunt januæ cœlorū, claustra inferorū, sunt fodinæ gratiarum, sunt deliciæ hominum & Angelorum.

14. Exosculor mi JESU hæc rosea vulnera, ac cicatrices tuas splendidiores sole, exosculor tuum deificatum cor, quod in morte tua tā vehemens rupit amor & dolor.

15. O utinam! mergar & absorbear pelago pietatis istius, abysso miserationum istarum: utinam inter vulnera illa, intra viscera illa abscondar, ibiq; perpetuo stupore defixus, exclamem æternitate tota: DEUS meus & Amor meus!

16. Imprime mihi, mi dulcis JESU! cicatrices istas, & lancinent cor meum altissimo vulnere, & vulnere sempiterno: ut tui unius deside-

desiderio langueat cor meum, tui unius amore moriatur, & moriens resurgat, & te diligat in æternum.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

ADjuro vos filiæ Jerusalem, animæ beatæ, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Quæro dilectum meũ candidum & rubicundũ, & non invenio.

O vita! per quam vivo, sine qua morior, ubi, quæso, es, ubi te inveniam? ubi es dilecte ex millibus, ubi es? longa mora amanti! quousq; ludis amantem amor? sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.

Quid dicam? quid faciam? quo vadam? ubi eum quæram? vel quando inveniam? quem rogabo, quis renuntiabit dilecto, quia amore langueo? Defecit gaudium cordis mei, versa est in luctum lætitia mea; defecit caro mea & cor meum DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum. Renuit consolari anima mea nisi de te dulcedo mea. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Te volo, te spero, te quæro, tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, vultum tuũ Domine requiram, non avertas faciem tuam à me.

At verò non ampliùs plorans plorabo, quia consolatus est Dominus populum suũ, & pauperum suorum miserebitur. En Angelus Domini evangelizat nobis gaudium magnum: Surrexit Dominus, non est hic, ecce locus, ubi posuerunt

funt eum. Dicite omnes Sancti in nationibus, & annuntiate hoc in universa terra, quia surrexit Dominus, vivit JESUS!

Verè surrexit, quia Dominus est, quia potestatem habet ponendi animam suam, & iterū sumendi eam. An non licet ei facere quod vult? an non Dominus est vitæ & mortis, habens clavem in manu sua, & quis resistet illi? Quis similis tui in fortibus Domine, magnificus in sanctitate, terribilis atq; laudabilis & faciens mirabilia?

Benedictus sis Domine DEUS noster, in multitudine virtutis tuæ, in magnitudine brachii tui, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, in altitudine consilii tui, & profundis abyssis cogitationum tuarum, vere Domine tu es Rex potens ad salvandum, redemisti, salvasti, vivificasti, eduxisti nos, confregisti sceptrum exactoris, & triumphasti adversarios tuos oppressores nostros.

Gratulamur tibi Domine Majestatis gloriosā & magnificam Resurrectionem tuam, gratulamur tibi, quia eduxisti in fortitudine tua vinctos de lacu in quo non erat aqua. Gratulamur tibi, quia non dedisti Sanctum tuum videre corruptionem in sepulchro, sed stolâ immortalitatis, & communicatione gloriæ illud induisti, simulq; etiam nobis servulis tuis spē & expectationem resurrectionis per te nostræ futuræ exhibuisti.

Exultamus cum Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Patrum cætibus universis, quos Tu ô Rex gloriæ! & desideratus eorum, eduxisti vinctos de lacu, in quo sedebant te expectantes liberatorem suum. Exultamus cum

uni-

universis cœlis, & cœlestibus choris, quos hodie lætificavit resurrectio tua. Exultamus & cum universis creaturis, quas splendor resurrectionis tuæ vivificavit & recreavit.

Consolari etiam digneris hodie animam meã mi Domine! ut cognoscam te in fractione panis, qui de cœlo descendit. Appare mi JESU gloriosus & formosus animæ meæ. Cupio te eo affectu intensissimo non tantùm apparentem mihi, sed etiam te inviscerantem in hoc Sanctissimo SACRAMENTO excipere, sumere, manducare, quo affectu te resurgentem, & gloriosum salutavit, excepit, adoravit dulcissima Mater, ac omnes Discipuli tui.

Actus post S. Communionem.

CRedo, quòd Redemptor meus vivit. Vivit in me Christus. Exultat Spiritus meus in DEO salutari meo. Gratias tibi ago, quia tu venisti ad me, Dominus meus & *DEUS* meus. Osculor Domine sacrosancta vulnera tua.

Vivat in me JESUS, regnet, triumphet JESUS, DEI vivi & Mariæ Filius, qui ex Patre genitus ante omnia sæcula eidem consubstantialis, pro me nasci & mori voluit, qui deniq; à mortuis redivivus hodie victor exiit.

Amate & recreate Dominum in me contentũ omnes Sancti Angeli, cantate illi pro me Sanctus vestrum. Desinam Domine esse, si non debeo amare te. Saluto te hospes amantissime, cum tua Sanctissima Genitrice, Matreq; omniũ nostrum MARIA, quæ te vivum & triumphantem de morte recepit, salutavit, complexa est. Cujus animam sicut in tua morte gladius

dius doloris pertranſivit ſic in reſurrectione tua triumphus exultationis inundavit.

Salutat te etiam cum omnibus creaturis tuis anima mea, quæcunq; ſunt in cœlo & in terra, ſanguine tuo redempta, morte tua vivificata, reſurrectione tua reſuſcitata. inſuper etiam corpore & Sanguine tuo paſta, refecta, & ſaginata.

In perſona omnium hominum in toto mundo exiſtentium ac præcipuè nomine univerſæ ſanctæ Eccleſiæ tuæ Catholicæ, Solennitatem Reſurrectionis tuæ cum lætitia & exultatione recolentis, ſaluto & adoro te immortalis VICTOR mortis & inferni. Domine JESU, Redemptor humani generis, Pater futuri ſæculi, primitiæ reſurgentium, te Dominum univerſorum agnoſco, de tuo triumpho & devicta morte ac inferno, cum toto mundo gaudeo & exulto.

Nomen tuum & memoriale tuum Domine mi in deſiderio animæ noſtræ, quia cum dilexiſſes nos ſervulos tuos uſque in finem dilexiſti, & poſuiſti animam tuam dilectam pro nobis, rurſumque aſſumpſiſti eam, & reduxiſti victor à ſepulchro inter mortuos liber.

In Aſcenſione Domini.

1. ABiiſti Domine in cœlum, quia malè tibi in terra à nobis peccatoribus fuit.

2. O Domine! ideonè tot annis quæſitus, tot ſæculis expectatus, tot lacrymis quæſitus fuiſti, tot votis expetitus, tot ſuſpiriis exoptatus, ut brevi nobiſcum converſatus redires? quid diſplicuit tibi in nobis?

3. Quomodo mi Domine potes dicere: de-

liciæ

liciæ meæ ſunt eſſe cum filiis hominum, cum in altiſſimis habites, nos autem relinquas in infimis?

4. O Pater! quid facis nobis ſic? omnes dolentes amittimus Salvatorem noſtrum, & non eſt tibi curæ, quòd nos deſolatos relinquat?

5. Utinam mi Domine! diſrumperes terras hujus corporis mei, & irem ad te. Quid enim mihi eſt in cœlo, & præter te quid volo in terra?

6. O ſi citiùs de cuſtodia corporis mei educeretur anima mea, quod videndo DEO meo officit! O ſi darentur mihi pennæ ſicut colūbæ, volarem & requieſcerem ſub umbra illius, quem deſiderat anima mea!

7. Super flumina tantiſper Babylonis hujus ſedebo & flebo, quamdiu recordabor tui Sion, non quidem propter te, ſed propter eū, qui habet ſolium ſuum in te.

8. Dic ergo jam anime mi ultimum vale Salvatori tuo. Vale mi Redemptor, vale mi dulcis Amor. ſed memento mei, dum veneris in regnum tuum. Vale Frater amabilis nimis! vale Sponſe animarum noſtrarum! ſed prius ante diſceſſum da JESU benedictionē, da Frater amplexum, da Sponſe dilecte amoris ſuavium.

9. Intelligis tu Domine & ſuperintelligis omnia. Intellige ſuper me egenum & pauperem, ac me deſolatum redde Matri tuæ: ne derelinquas me orphanum. da mihi dulciſſimam hanc Matrem, qui dona das hominibus.

10. O! qui aſcendens in altum captivam duxi-

duxisti captivitatem! gratulor tuæ magnificentiæ, super cœlos elevatæ! Fac me magnificum in sanctitate. Tu scis quid me captivum teneat, ne liber amem te, hanc meã captivitatem captivam ducas in triumpho tuo.

11. Omnis pulchritudo tua elevata est super sidera? da ut omnis amor meus habitet ibi tecum, in amore veræ pulchritudinis occupatus. Utinam semper ibi sit cor meum, ubi est thesaurus meus!

12. O JESU! qui es plusquam Elias curru igneo hinc abreptus: fiat super me Spiritus tuus duplex, timoris, quo timeam DEUM tuum & DEUM nostrum; amoris, quo amplectar Patrem tuum & Patrem nostrum ad quem ascendis.

13. Dixisti Domine: Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum. Trahe me obsecro post te, & educ in altum; ut mihi quotidie ascensiones in corde disponenti hæc infima, minora semper & minora videantur.

14. O! gloriose triumphator, qui hodie super omnes cœlos ascendisti, & jam venisti in regnum tuum, obsecro, memento nostri, memento quòd sis os de ossibus nostris, & caro de carne nostra. Utique & in manibus tuis descripsisti nos, lege scripturam istam & salva nos.

15. Jam non possum tristari, quia Christũ advocatum habemus in cœlis! ille pro nobis exhibebit Patri latus & vulnera. Mater Filio pectus & ubera, certè non poterit esse repulsa, ubi tot concurrent charitatis testimonia.

Eodem

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

HEu mihi Domine! heu animæ meæ! recessisti consolator animæ meæ nec vale dixisti. Ingrediens vias tuas benedixisti tuis, nec affui! Elevatîs manibûs à nube susceptus es in cœlum, nec vidi. Angeli promiserunt te rediturum, nec audivi.

Cur ergo indignus & infelix ascendentem Regem Regum Dominumq; gloriæ videre non potui, mirari non potui, comitari non potui? credere vix per gratiam ejus mereor. Ah me! quare non adfui cum ille formosus in stola sua juvenis Homo DEUS in superna cœlorum conscendit?

Quare non excepi ejus ultima verba? quare ultimò benedicenti suos, caput non reverenter inclinavi? cur non sum divinam illam amplexatus osculatusq; dexteram? cur ad pedes non sum prostratus divinos? O si ego tunc potuissem fuisse illa particula terræ, in qua ultimo steterunt pedes ejus. & in qua vestigia impressa reliquit pedum suorum.

O! quam felix & beatus fuissem, si vidissē te mi JESU cum ad cœlos te tua virtute subvehebas, quando omnis pulchritudo tua exaltabatur super sydera? Tunc ego totus mei ipsius non tantùm oblitus, sed etiam exutus, atq; totus vox exultationis factus, dedissem vocē meam in orbem, clamans & jubilans: Omnes gentes plaudite manibûs, jubilate DEO in voce exultationis, facite vocem jucunditatis, magnificetur coram omnibus gentibus novū

Alle-

Alleluja, quia aſcendit DEUS in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.

O! quam beati illorum oculi, qui abeuntem in cœlos DEUM hominem contemplati, atq; fixis obtutibus comitati ſunt. Quibus gratuler vobis vocibus ô Animæ Sanctæ! Sanctiſſimi gregis Chriſti, beatum illud ſpectaculū, ipſis etiam Angelicis mentibus admirandum! Gratulor vobis ô Animæ Sanctæ, quia interfuiſtis, vidiſtis Aſcenſorem cœli, DEUM & Patrem veſtrum. Multi enim, Reges & Prophetæ deſideraverunt videre tanta myſteria, quæ vidiſtis, nec viderunt.

O! tu cor Virgineum; ô cor Maternum, ô cor MARIÆ! ecquid tibi & Filio abeunti intercesſit? Hoc utiq; nec humana mens nec ipſi Angelorum chori, comprehendere ſufficiunt.

Quid ergo nunc dicam, aut quid reſpondebo, dum dicitur mihi hodie: ubi eſt DEUS tuus? ubi es tu mi JESU amor dulcis noſter? Converte parumper oculos tuos ut intuear te, nec faciant à me avolare aſpectum tuum: ſonet adhuc vox tua, vel ultimo in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.

Tibi amator hominum benigniſſime, derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor, ergo miſerere mei orphani derelicti, pupillus factus ſum abſq; Patre, anima mea quaſi vidua. Exhibe te adhuc ori animæ meæ, & faucibus cordis mei in cibum atq; potū ſalutis, ut guſtem te, & explear te.

Quis enim ſcit, quando replebimur ab ubertate domus tuæ? & torrente voluptatis tuæ potabimur? & quando perveniet ſpiritus meus

usq; ad locum habitationis gloriæ tuæ? ut ibi super mensam refectionis Civium supernorũ pascatur de micis tuis in loco pascuæ tuæ juxta fluenta plenissima?

Interea dum tædia vitæ toleranda sunt? in loco hoc peregrinationis meæ & exilii, pascar eucharistico manna, pane Angelorum, deliciis cœli, donec aspiret dies æternitatis, & inclinentur umbræ hujus vitæ, donec videam facie ad faciem illum, qui modo absconditus hic me respicit per cancellos.

Illo te mi dulcis JESU cordis mei affectu, tàm dulciter expansis animæ meæ brachiis; tàm affectuoso mentis gaudio excipere desidero, quo te Pater æternus tuus venientem ad se in cœlum excepit, atq; ad dexteram suã collocavit. Tam hilariter patet tibi anima mea universa, quàm effuse patuit tibi ingredienti tota cœlorum Regia. O cordis porta dilatare, ut sis vastior cœlo, cœliquè Dominũ capere possis.

Actus post S. Communionem.

UNde inveni hanc gratiam in oculis tuis mi JESU, quia me vilissimum peccatorem admittere dignatus es, ad vivificum tuæ mensæ convivium?

Et quis sum ego? pulvis & cinis, ut apponeres erga me cor tuum, inclinans cœlos & descendens, ut deficientem præ fame animam meã non manna de cœlo, sed carne tua immaculata, reficeres & satiares?

Si cœli cœlorum te capere non possunt, & Angeli non sunt mundi in conspectu tuo, quis

ego

ego ſum, & quæ domus mea, ut ad me venire & in me commorari volueris? Quid in me inveniſti Rex tremendæ majeſtatis, quòd à templo gloriæ tuæ traheret te, & iterum deſcendere faceret in abyſſum miſeriarum?

Vos Angeli Sancti, vos omnes Electi DEI, venite, audite, & narrabo vobis quanta fecit DEUS animæ meæ. Cum eſſem pauper & abominabilis, nec auderem oculos meos levare ad cœlum præ multitudine iniquitatũ mearum, ille me de pulvere ſuſcitavit, ut de menſa ejus comederem omnibus diebus vitæ meæ.

Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Ego neſcio loqui, quia puer ego ſum, non annis, ſed ſenſu. Quis enim amor infinitæ charitati ejus à me reddi poteſt, qui, frigus & gelu dici, non autem amor meretur? Quæ laus, adoratio, quale obſequium meum erit, quò nullum non reddat infinita ejus perfectio & dignitas, & ima ac ſumma indignitas mea? Tu noſti Domine figmentum meum.

Tibi ergo laudes concinant, tibi mecum gratias agant univerſi populi, tribus, & linguæ, omnes Angeli & Sancti tui, quoniam miſericordia tua magnificata eſt ſuper me, & miſerationes tuæ ſuper omnia opera tua. Jubilent tibi omnes creaturæ, quæcunq; cœli, terræ, & abyſſi ambitu continentur, & laudem tibi perpetuam dicant.

O! ſi etiam cor meum illâ amoris flammâ, illo æternæ charitatis igne ſuccenſum in æternum ardere poſſet, quo ardent Seraphi-

ni, quo tuo in cœlum adventu ardebat Mater tua, & omnes electi tui, tua illa in triumpho ducta beata captivitas.

Die Pentecostes.

1. QUod munus pro Salvatore nostro dabis cœlum nobis? emitte obsecro Spiritum tuum, & renovabis faciem terræ.

2 Utinam Divinissime Spiritus disrumperes cœlos, & ad me descenderes, quia anima mea, velut terra sine aqua tibi.

3. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita anima mea Te desiderat, desideriis Virginis Matris, & Apostolorum.

4. Veni Creator Spiritus & emitte cœlitus lucis tuæ radium: Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.

5. O lux beatissima! reple cordis intima, tuorum fidelium, sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium. Lava quod est sordidum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum fove quod est frigidum, rege quod est devium.

6. Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.

7. Recipe me (ô Spiritus!) inter suavissimos amoris tui amplexus, quibus constrictus spiritus meus totus ardeat & comburatur.

8. Accende cor meum frigidissimum igne tuo DEUS meus: tu enim ignis comburens es, & facis ministros tuos ignem urentem.

9. Pro-

9. Produc divinissime Hospes austrum ardentissimæ dilectionis tuæ, qui me tam valido impetu à mundo impellat in te, ut à me ipso translatus deinceps spiritum non habeam extra te.

10. O! si vulnerares mi DEUS hanc animã meam peccatricem igneo & potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis, ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte.

11. Meis affectibus careo optatissime ac desideratissime Hospes! ideo offero tibi affectus & amoris æstus, quibus ardebat cor Virginis Matris & Apostolorum in tuo adventu.

12. O si linguis omnium hominum & Angelorum loqui possem, irem per universum mundum, & annuntiarem hoc gaudium magnum: Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

13. O Patris, ô Filii amor æterne SS. Spiritus! gratulor, quòd sis DEUS! Gratulor quòd infinita illa pulchritudo & bonitas ametur à se ipsa tantùm, quantùm est ipsa.

14. Quidquid boni accepit ullus à te, gratias ago tibi! Quidquid boni fecit ullus gratulor tibi & illi! Opto, ut ameris tot Seraphicorum chororum cordibus, quot tu mente tua infinita potes concipere. Opto, ut omnes homines tuo amore semper ardeant, & nullus non amet, qui potest amare.

15. Displicet mihi, quidquid mali fit, aut unquam factum est contra te. Utinam prohibere possem mala omnia, & bona quæ fiunt augere omnia, ac omnium cordibus a-

amare te, singulisque momentis vitæ meæ tantùm facere boni, quantùm factum est ab omnibus unquam!

16. Utinam mea, & omnia omnium peccata, possem in pretiosissimos tibique gratissimos excelsæ & ardentissimæ erga te charitatis actus, adeoque ipsas inferni flammas (si id tibi placeret) in æternum tui amoris ignem convertere, ac omnia corda frigida linguis igneis tibi accendere!

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

EN pulvis & cinis procido ante te! adoro te, confiteor & agnosco diviníssime Spiritus Paraclete, Spiritus veritatis, DEUS de Patre DEO, de Filio DEO, procedens DEUS. Tu enim es Patris & Filii consubstantialis & coæternus ac coæqualis Amor.

O! quis mihi dedisset tunc immistum stare turbæ illi sanctæ, pusillo gregi Christi, novellæ Ecclesiæ, in quam tu sacro Pentecostes die in linguis igneis dispertitis descendisti & sedisti: tunc illâ purissimâ flammâ, illo insatiabili æstu desiderii, amoris, gaudii, arderet cor meum, tunc dilataretur & deliciis afflueret ab omnimoda gloria tua.

O ardor Salutaris! ô ignis divine! ignis sancte, ignis desiderabilis, ignis vivificans, ignis accendens & purificans, ignis transformans, Spiritus Sancte Paraclete! te nunc appello, te obtestor, qui felicissimo incendio hodie orbem terrarum succendisti, accende me, purifica me, ad amorem tui inflamma me.

O Lux

O! Lux beatiſſima cordium, quibus te deſiderabo votis, quibus anhelabo tædiis, quibus ad te ſuſpirabo cordibus? ecce quantus, quantus ſum, totus deſidero te, totus ſuſpiro ad te, tota ſubſtantia mea tibi oſtium patet.

Complaceat tibi ô! DEUS donum, & DEUS Spiritus, ô! DEUS amoris, complaceat inquam tibi in anima mea, ancilla tua. Reſpice ad illam & deſcende in eam, complaceat, quæſo tibi hoc etiam exiguum cor meum, ut deflectas ad illud, & accendas illud, & ſanctifices, & inhabites.

O dulcis Hoſpes animarum! & quid eſt quod impedit te, ne poſſit requieſcere pes tuus in me? non quidem loquar, quaſi me juſtum ſciam, cum contra me teſtimonium meũ dicant peccata mea multa & magna nimis, ſed quia ipſa peccata mea, ac miſeriæ meæ, faciunt locum miſericordiæ tuæ, provocantq; bonitatem tuam, ut ſanet infirmitatem meã, & auferat iniquitatem meam. Veni itaque ô! Sancte Spiritus, veni ad animam meam, planè Domine incuſarem te, ſi nolles venire ad me. En deſidero recipere te, & deſidero cordialiter.

Hæc ſunt vota mea ad te ô Pater votorum meorum! Hæc ſunt ſuſpiria mea, quibus clamo poſt te currentem ad animas juſtas abs te tibi præparatas, ut venias quoq; ad animam meam, neque pertranſeas eam; alioqui quæ mihi utilitas in adventu tuo, aut quis mihi fructus donorum tuorum. Si ego vacuus te ſum, & ſic nec de te, nec de bonis tuis guſtat & gaudet anima mea?

Noli

Noli expectare, ut animam præparem tibi, quia illa ipsa expectat, ut pares eam tu ipse tibi. Utique in hunc finem nobis creaturis tuis orphanis suis, misit te Unigenitus DEI ad corda nostra, ut mundares ea, & faceres templum tibi, atque illi, & Patri æterno. Veni ergo Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Veni cum illa carne, cum illo sanguine, cum illa anima, cum illa humanitate, cum illo DEI Patris Virginisque MARIÆ Unigenito, cum illo Homine DEO de te concepto, à te sanctificato, cui de purissimo Virginis MARIÆ sanguine corpus & sanguinem adaptasti in utero Virginali.

O amor cordis! qui semper ardes & nunquam extingueris, ô vita animæ meæ! ô dulcedo! dilata angustias cordis mei, ut capiam te, & degustem interiori mentis ore, quàm suavis sit Domine Spiritus tuus.

Actus post S. Communionem.

QUid retribuam tibi Domine pro omnibus, quæ tu tribuisti mihi! quid retribuet tibi anima mea, insignita tua imagine, redempta tuo sanguine, desponsata fide, dotata Spiritu Sancto, & ab eodem sanctificata, insuper Corpore & Sanguine tuo refecta?

Unde mihi indignissimo terræ vermiculo, peccatori miserrimo, tanta dignatio, tanta miseratio tam stupenda tantæ majestatis dilectio, ut tu sic venias ad me, ut corpus & sanguinem tuum, id est te ipsum, modo prorsus admirabili, in hoc SACRAMENTO largiaris?

O cha-

O charitas! ô pietas! ô novum & admirabile beneficium!

O Divinissime Spiritus! si venisti ignem mittere in terram, cur non accendis hoc frigidissimum cor meum, ut succensum comburitur & in cineres abeat dilectionis tuæ? cur flammis tuæ immensæ charitatis transflammatum te solo, & te solum non ardet? cur ego totus non consumor, non liquesco? cur non totus deficio à me & transeo in te? quomodo non tota se anima mea eviscerabit in charitatem bonitatis & misericordiæ tuæ?

O! Domine pro omnibus, quæ tu tribuisti mihi, misericordias tuas in æternum cantabo: Magnificet anima mea Dominum tot tantisq; affecta ejus beneficiis, & exultet Spiritus meus in DEO salutari meo, quia respexit humilitatem servi sui, & fecit mihi magna qui potens est, & esurientem implevit bonis.

O! si omnium electorum tuorum corda Spiritus Sancte DEUS amore tui inflammatissima, si ora in laudem tuam eloquentissima nunc haberem, omnibus illorum cordibus te amarem, omnibus illorum vocibus te laudarem, cum Patre & Filio in corde meo commorantem, atque per communionem sanctissimi Corporis Christi JESU, præsentiam tuã mihi indulgentem.

Benedicat te mi DEUS tota substantia animæ meæ & corporis mei. Glorificent te omnia interiora mea. Benedicant & laudent te pro me omnia mirabilia opera tua. Benedicant te magnæ miserationes & misericordiæ tuæ, infinita beneficia tua mihi à te ô DE-

SU

US cordis mei impensa, & universæ creaturæ. Jubilent tibi omnia pietatis & bonitatis tuæ viscera.

In Festo SSS. TRINITATIS.

1. CRedo te DEUM Patrem ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Sanctum ab utroque procedentem. O! credam & fruar semper, quia tu DEUS meus es principium meum & finis ultimus, & mea æterna beatitudo!

2. O DEUS immensæ majestatis! in omni loco cœli, aëris, aquæ, purgatorii, inferni, in omni loco dominationis tuæ ante te procido, tibi genu flecto, te ubique præsentem adoro.

3. O Pater! principium absque principio! gaudeo, quòd intra te Verbum æternum concipias, Filiumq; generes, adeo tibi similem, ut sit unum & idem tecum in essentia.

4. O DEUS infinite! qui es trinus in personis, sed unus in essentia; & ita Divinitatē communicas, ut unitas non lædatur; communica mihi copiosam gratiam, ut sim unus tecum charitate perfecta.

5. O DEUS unitas! ô DEUS Trinitas! Credo, adoro, & laudo te, pro omnibus, qui te ignorant, vel blasphemant, sive in terris, sive in inferno.

6. O! si fidem annuntiare possem in universo mundo, & omnes infideles ad te DEUM convertere! quàm libenter id facerem, etsi propterea omnia tormenta, omnes cruciatus sustinere deberem.

7. Utinam possem DEUS meus! omnium infidelium intellectibus in te credere, omniū affectibus te amare, omnium viribus tibi servire! utinam possem blasphemias omnium damnatorum in laudem tui commutare!

8. Detestor mi DEUS contra te trinum & unum omnes errores, & irreverentias ubicunque in toto mundo factas, ac omnes blasphemias anathematizo.

9. Pro omnibus & in omnibus creaturis, quæcunque fuerunt, sunt, & erunt, sive rationales illæ, sive non, te adoro, te laudo, tibi gratias ago, tibi inclamo: Benedicite omnia opera Domini Domino: Sanctus Sanctus Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Gloria Patri &c.

10. Desidero, ut quævis creatura rationalis tibi serviat, te laudet, te amet, propter solam & maximam gloriam tuam, ob amorem & beneplacitum tuum, ob tuæ voluntatis impletionem, ac in adorationem & latriam tibi debitam.

11. Desidero per quamlibet creaturæ rationalis actionem, exhiberi tibi, quidquid unquam te dignum cogitari & exhiberi tibi debet, potestque à quocunque & omnibus in toto mundo.

12. Opto per quamlibet actionem meam reproduci, approbari, & ratificari omnes actus sanctissimos, sive in cœlo, sive in terra elicitos & eliciendos ad gloriam tuam.

13. Quidquid boni de te scriptum habent bibliothecæ omnes; quidquid boni de te scripsit, vel cogitavit ullus; quidquid in thesauro

scien-

ſcientiæ tuæ eſt, quod tibi offerri à me poſſit, id omne tibi offero.

14. Quidquid unquam per totam vitam meã cogitavero, dixero, fecero, id totum offero tibi & conſecro, in gratulationem de bonis tuis, in ſatisfactionem pro malis meis, in impetrationem amoris, quo te magis ac magis amare velim ſemper.

15. Quotieſcunque ad te ſuſtulero animum meum, atque de te cogitavero, audiero; toties cordialiter cupio diſſolvi, & videre in cœlo: toties omnes & ſingulos omnium actus peccaminoſos, deſidero per intentiſſimos ac elici poſſibiles, amoris, doloris & appretiationis affectus compenſare: toties cupio in perſona omnium peccatorum reſtituere honorem Excellentiæ, dignitati, & immenſitati divinæ.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

IN miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dicis Redemptor meus Domine.[a] Sed quantâ vel quali? tanta quæ ſæculis reſpondeat infinitis.

Præ cæteris dilexiſti me & divitias bonitatis tuæ copioſiùs in me effudiſti, dum ex tot millibus, quos oblivioni dediſti, elegiſti me, ut eſſem in tempore, adhuc terram non feceras, & me creaturam tuam fore prævidiſti, de nihilo me facere decreviſti, priuſquam me formâſſes in utero, noviſti me, & antequam exirem de illo, quidquid tibi placui, præordinaſti de me . . . .

Quid, quæſo, inveniſti in me, quod præ cæteris

teris ante mundi constitutionem sic diligeres me? Quid enim egeram, qui non eram? Siccine ô bonitas infinita in charitate perpetua dilexisti me, & ideo eduxisti me de nihilo miserans mei? Utinam fuissem ab æterno, & ab æterno te amassem amore Seraphico!

Necdũ hic stetit amor tuus. Insuper mi Domine, eò te in amore video progressũ, ut mihi mortuo cani, & vilissimæ creaturæ tuæ dones, & offeras carnem tuam, & sanguinem, unde comedam & bibam, & inebrier amore tui, & vivam, & moriar in te vita mea DEUS meus & omnia!

O prodigium amoris! ergonè pauper & humilis pascar, & satiabor pane hoc suavissimo de cœlo præstito, quo tuam in filios dulcedinem demonstras, quo esurientes reples bonis & fastidiosos dimittis inanes?

Quid est homo, quod memor es ejus mi Domine, aut filius hominis, quia reputas eum? Utique sum cadaver putridum, esca vermium, vas fætidum, cibus ignium. Utique homo vanitati similis factus, comparatus jumentis insipientibus, & sæpiùs similis effectus illis.

O mi Creator! ô mi Redemptor! quantùm tibi debeo! opus utriusque mirabile & amabile. In primo enim opere me mihi dedisti, in secundo te. Loquar ergo ad te Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. Memento verbi tui servo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, tu enim promisisti. Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.

Domine ante te desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus, paratum

cor.

cor meum DEUS! paratum cor meum, quod totum tibi offero. Desiderium pauperis exaudi ô Domine! præparationem cordis ejus audiat auris tua.

Ecce in siti desideriorum ferventi hodie venio ad te, & tibi cor meum in habitaculum humiliter offero, tuam exorans clementiam, ut dignanter advenias in animam meam, & in medio cordis mei sedem tibi colloces, ut delicias tuas etiam in me habere digneris.

Desidero Pater æterne cum eo affectu, eaq; donorum cœlestium copia Christum sub his speciebus suscipere, quo illum pretiosissimæ Virgini Parenti, & per illam universo generi humano in Incarnatione dedisti.

Desidero Fili Redemptor mundi DEUS cū eo affectu te suscipere, quo tu ipse te in ultima cœna confecisti, & sumpsisti, in Ara crucis obtulisti.

Desidero Spiritus Sancte DEUS tàm mundum cor & corpus habere, propter divinissimum Sacramentum recipiendum, quàm mundum, purum, atque dignum effecisti in Parente pretiosissima Virgine MARIA, quando Verbum æternum exceptum erat.

Actus post S. Communionem.

O Taceo! nec habeo ultra spiritum, sed & anima mea liquefacta est à vultu decoris tui mi Hospes amantissime. Verè implesti, quod promisisti. credo enim quia venistis ad me ô Pater! ô Fili! ô Spiritus sancte! & mansionem apud me fecistis.

Ideo cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Cherubinis & Seraphi-

raphinis, & cum omni Militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ concino: ô DEUS unitas! ô DEUS Trinitas! Sanctus Sanctus Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ.

Benedicimus te DEUM cœli, & coram omnibus viventibus confitebimur tibi, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam. Tibi laus, Tibi gloria, Tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna ô beata Trinitas!

Pronus ac supplex procido ante te, ô superaugusta ac ineffabilis Trinitas DEUS meus, sub his Sacramentalibus speciebus existentem. Nam tu ô Pater æterne! isthic ab æterno genitũ Filium tuum generas, & tu ô Fili! ex Patre hic nascens, ibidem Spiritum Sanctum unà cum ipso Patre spiras. Et tu ô Spiritus sancte! à Patre Filioque hic spiratus.

Adoro te devotè hìc latens Deitas, quæ sub his figuris verè latitas. Adoro, & laudare cupio tot laudibus, quot tu ô Sanctissima Trinitas! tuâ sapientiâ concipere, bonitate optare potes. quot omnes Sancti Angeli & electi tui elicuerunt, & elicient.

Sis ô JESU! cum Patre & Spiritu Sancto infinitè benedictus ab omnibus Sanctis, & omnibus etiam possibilibus creaturis, in omnibus perfectionibus, operibus, & beneficiis tuis, super omnia gratis propter te in æternum & ultra.

Assumo omnes omnium creaturarum affectus, iisque te hìc præsentem & latentem adoro, colo, veneror, hancq; adorationem in æternum continuo. Imò etiam in persona omnium de te mi DEUS nescientium aut scire

re nolentium, uti sunt idololatræ, pagani, athei, blasphemi, firmissi e profiteor Te trinum esse & unum, nomine illorum ac totius mundi Tibi Regi sæculorum immortali & invisibili reddo gloriam & honorem.

In Festo Corporis Christi.

1. VEnite omnes, audite, & narrabo vobis, qui timetis DEUM, quia amatis Dominum JESUM, quanta fecit animæ nostræ! En DEUS & homo fecit nobis cœnam magnam! fecit convivium magnum.

2. O res mirabilis! manducat Dominum pauper servus & humilis! ô prodigium! en catelli non tantùm de micis edunt, quæ cadunt de mensa Domini, sed Panem Angelorum manducat homo catellus Domini.

3. O! quàm suavis est Domine Spiritus tuus qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples. & divites dimittis inanes.

4. Vicisti Domine, vicisti misericordiâ & bonitate tua, omnia exempla, omnia ingenia, omnes amores, & omnem expectationem omnium creaturarum superasti.

5. Utinam hodie replicari possem, & in omnibus Ecclesiis, quæ sunt in toto mundo tibi mi DEUS Eucharisticè existenti offerrē & innovarem omnes actus adorationis, salutationis, recognitionis, impensos & impendendos.

6. Utinam cor meū extractum à corpore in tot minutissimas dividi posset particulas, quot pulveris pirii grana in cineres hodie rediguntur,

tur, ut totum redactum in cineres in cultum Eucharistiæ consumeretur!

7. Utinam in omnibus Ecclesiis, in omnibus plateis, processionibus loco lampadū & candelarum ante Eucharistiam suspendere possem in venis cor meum, ut arderet continuò & totum comburetur, totum consumeretur, totum abiret in cineres amoris divini!

8. Gaudeo & exulto mi JESU! quòd tibi in Sacramento latenti publicus per totum mundum honor deferatur in templis; processionibus. Quòd omnes Reges & Principes tibi Regi potentissimo cum summa humilitate & reverentia genu flectant ante te procidant; te agnoscant, & venerentur.

9. Desidero in locum idolorum & falsorū Numinum, quæ sunt inter Ethnicismum, & infideles omnes, introduci SS. Eucharistiam ipsiusque cultum ubique promoveri & celebrari.

10. Doleo mi DEUS, doleo cordialissimè ob infinitam Majestatis & bonitatis tuæ excellentiam de omnibus sacrilegiis, hæresibus, blasphemiis, irreverentiis: abusu Eucharistiæ, contemptibus, quibus unquam à sagis, hæreticis, malis Catholicis, in hoc SACRAMENTO verè præsens, offensus es & offenderis.

11. Desidero ut ab omnibus creaturis rationalibus adoreris, & glorificeris in hoc SACRAMENTO & dignè suscipiaris.

12. Effundo tibi mi Domine in hoc SACRAMENTO præsenti mare illud affectuum, adorationum, & salutationum, quas Virgo Beatissima, quas Angeli, quas omnes devotissimi

servi

servi tui elicuerunt, eliciunt, & elicient ad tempora Antichristi.

13. Desidero mi JESU exhibere tibi tantùm honoris, laudis & benedictionis, quantùm damnati tibi exhibent contumeliarum toto tempore suppliciorum suorum & quoniam ipsi te adorare & benedicere nolunt, ego nomine ipsorum te adoro, laudo & benedico.

14. Gratias tibi Domine pro omnibus Communionibus sumptis & sumendis à me, & à quocunque in toto mundo, itemque à me accipienda (ut spero in gratia tua) communione Viatici.

15. Desidero potiùs mi JESU millies mori, quàm te unquam indignè, in Eucharistia præsentem suscipere, te tractare.

16. O si semper mi DEUS! Communionem sumendo, illos omnes amoris æstus concentrare possem in cor meum, quibus ardebat cor Virginis Matris, cor maximi Sancti tui!

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

O Quanta mi DEUS! creaturas omnes ob excessum amoris tui admiratione stuporeq; desigis. Nihil deinceps admirari volo quàm tua inventa amoris, nisi fortè cogar obstupescere frigus meum, & modicum illud amoris, quo in te feror.

Audio ex hoc Sanctissimo SACRAMENTO illam suavissimam vocem tuam: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, accipite & comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

O SACRAMENTUM! ô myſterium! ô arcanum abditum! ô ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur! Quis unquam id beneficii genus auſus eſt optare? nunquam in cor hominis deſcendit dignatio tanta.

Quid de hoc loqui præſumam beneficio ineffabili? fecit Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ pinguium medullatorũ (Iſai: 25.) vindemiæ defæcatæ. Verè epulum omnium delicioſiſſimum, ſuprema (teſte Bernardo) omnium felicitas, guſtus cœleſtiũ voluptatum, fruitio amplexûs Chriſti.

Quis enim dat hunc cibum? DEUS. Quẽ dat tibi anima mea cibum DEUS; DEUM, Cui dat hunc cibum? homini DEUS Tu dixiſti Domine ore S. Auguſtini: Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me.

O Prodigium amoris! cum videretur non convenire ut divina perſona ſingulis uniretur, quàm admirabile amor divinus excogitavit inventum! quod nunquam in Angelorum mentem venire potuiſſet, ut ſe videlicet ſub cibi potusq; ſpecie occultatum hominum corporibus & mentibus immitteret.

O quantùm nos DEUS amat! Vocat nos ad eandem ſecum eamq; æternam beatitatem. Parum hoc eſt' fit in gratiam noſtri homo, humanitatem aſſumptam tormentis & cruciatibus dilacerari diſcerpiq; pro nobis finit, vitam & ſanguinem propter nos profundit; parum eſt!

Inſuper ſeipſum in nos viſceraq; noſtra ob

nimium nostri amorem ponit ac locat, factus nobis esca & potus nec contentus se quasi transmutasse in nos per Incarnationem, & unum se nobiscum effecisse. nos quoque per Eucharistiam in se transmutat, & unum secum efficit. Et sicut cera liquefacta Iteri ceræ infusa cum ea efficitur eadem sic anima dum carnem & sanguinem Christi recipis, cum ipso ita conjungeris, ut Christus in te, & tu in Christo inveniaris.

Accende ergo ô DEUS meus vivam flammam beati amoris tui in medio cordis mei. Da mihi continuum charitatis tuæ incendiū, fac me castissimo ardentissimoq; tui amoro igniri, in te rapi ac absorberi. Peream mi Domine! in tui vivi amoris diluvio, sicut perit stilla maris in suæ plenitudinis profundo.

O amor divine! inflamma voluntatem meā, accende omnes affectus ut sicut ferrum igni, ita ego uniar tibi JESU amori meo.

Actus post S. Communionem.

ERgonè credibile est, quod DEUS habitet super terram? Quid mihi est in cœlo & præter te quid volo in terra? DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum. O quàm bonus Isràël DEUS his, qui recto sunt corde! Cantabo Domino qui bona tribuit mihi hodie, & psallam nomini Domini Altissimi.

O charitas! ô pietas! ô misericordia mea! Ergonè mi DEUS tú, qui cibus es Angelorum, factus es cibus viatorum? Parasti in dulcedine tua pauperi DEUS, panem de


cœlo præstitisti nobis omne delectamentum in se habentem. Panem Angelorum manducavit homo.

Non fecisti taliter omni nationi, ùt mihi, & cur mihi? quia amabas me! Amabas me? & ego ullo momento vitæ meæ, te non redamabo? O amor meus! ô DEUS meus! amo, & amo millies, amo coram cœlo & terra & omni creatura, & amare desidero plùs quàm possum, plùs quàm valeo. Diligam te Domine quoniam tu prior dilexisti me. Utinam amem te, & ferar in te non meo, sed corde ardentissimorum Seraphinorum, omnibus affectibus omnium & singularum creaturarum etiam possibilium, omnibus genere, specie, numero, distinctis desideriis.

In æternum gaudens gaudebo in te Domine; & exultabo in te JESU DEO meo, quia hodie licuit mihi vesci Pane Angelorum, & non tantùm ut catello de micis sumere, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, sed ad ipsam mensam accubare, propterea narrabo nomen tuum fratribus meis ô JESU! & in medio Ecclesiæ laudabo te. Diligam te ô sú vis amator! diligam te ô unica salus animæ meæ.

Tu te totum in SACRAMENTO mihi das cum corpore, anima, & divinitate. Da, ut ego vicissim totum cor, totum corpus, & animam meam, & quidquid sum reddam tibi, qui alias tuus sum, ut omnes facultates corporis & animæ meæ nihil agant aliud, quàm quod tu vis.

CA-



CAPUT X.

Breves Meditationes de Passione Domini.

Sive peregrinatio viatoris cum Christo patiente.

O vos omnes! qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Thr: 1.

PErge Viator plorans, quò trahent funes, quò raptabunt catenæ, quò crudelis feritas incitabit. Perge quò rapit dolor & amor. Sequere JESUM, qui dolorum passibus immensum nostrorum scelerum & infinitæ suæ bonitatis campum dimetitur. Defluit ex vulneribus Christi sanguis pro te ô Viator! sed non in te, nisi tu facias eum per gratitudinem recurrere ad principium suum.

Amor SS. TRINITATIS totus consistit in Passione & Vulneribus Christi, illa enim movent DEUM ad fundenda liberaliter in nos beneficia, ut docent Doctores, qui ajunt, omnia dona gratiæ effectus esse & præmia meritorum ac vulnerum Christi. Si cupis à DEO diligi, ama vulnera Christi, commorare in illis sacris cavernis. Tota tua occupatio sit cum S. Comite Elzeario in vulneribus Domini. Sic ille ad conjugem suam scribit: Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris

ris Christi, ibi enim habito, & ibi me poteris invenire.

Unde exclamat S. Bonav: *O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in CHRISTUM nesciunt intrare. Ecce apertus est thesaurus divinæ sapientiæ & charitatis æternæ. Intra per vulnerum aperturam, & delicias obtinebis. Certa enim & secura expectatio promissa beatitudinis* (inquit S. Leo) *ubi est participatio Dominicæ Passionis.*

Christus S. Gertrudi dixit: Filià, qui amanter crucifixum in vita intuetur, eum amanter Crucifixus in hora mortis respicere dignabitur.

Virgo quædam Crucifixum fixè intuens, amore æstuans, exclamabat: O DEUS! ô amor! ô excessus amoris! da mihi tantam vocem! quæ audiatur ab Oriente ad occidentē, à cœlo usque ad infernum, ut te amorem meum omnibus inclamem, ut ab omnibus agnoscaris & ameris.

S. Edmundus Episc: Cant: Dæmonem in virtute sanguinis CHRISTI adegit ad significandum sibi, quo potissimum modo superari potest. Adjuro te, inquit, per aspersionē Sanguinis CHRISTI, in quo faciliùs te vincere possum. Respondit dæmon: DEO sic ordinante, in eo quod nominasti, illius sanguinis virtute facilè vincor.

Simplex recordatio Passionis CHRISTI (teste B. Alberto Magno) multò plùs valet, quam si quis integrum annum in pane & aqua jejunaret; vel si quotidie virgis & flagellis cæderetur usque ad effusionem sanguinis; vel si quotidie legeret integrum Psalteri-

terium. Apud Discipul; Ser: 1. in die Parasceves.

Cuidam viro eximiæ Sanctitatis inter precandum, medium efficacissimum pro excitando in se amore divino flagitanti, respondit CHRISTUS: exerce te in Humanitate mea passionata & vulnerata, nam in ea maxime lucet mea charitas non aliter, quàm sol in suo splendore, rosa rutilans in suo odore, ignis vehemens in suo æstu & ardore.

Christus in Horto sudat.

1. EGredere Viator, ac plorans comitare JESUM euntem in Hortum Olivarum, vel potius in montem myrrhæ & collem thuris. Primus Viatori DEO ad hortum erit passus, non ut flos campi transplantetur in amæniorem locum, sed ut lilium colloc.tur inter spinas acerbissimorum cruciatuum.

2. Cogita dum jam egreditur CHRISTUS ad montem Olivarum, cum quanto dolore universa Matri suæ, quæ sibi in Passione eventura erant, prædicit: quia omnino oportet Filium hominis conspui, flagellari, crucifigi.

3. Vide quomodo mæsta Mater ad tantum nuntium exanimata in brachia Filii sui procidit. O dolorem cruentum Matris!

4. Penetra hic viscera Filii & Matris! & quomodo uberrimæ ex oculis utriusq; erumpunt lacrymæ!

5. Aspice, quàm triste spectaculum sit hoc, Matrem DEI & Filium lacrymis diffluere! Eheu! quo vadit dilectus tuus ô Noëmi, ô pul-

pulcherrima mulierum, quò vadit? ad hortum, ubi sudabit sanguinem, ad Annam, ubi alapis cruentabitur; ad Herodem, ubi illudetur ùt demens; ad prætorium, ubi cædetur ùt reus; ad montem, ubi suspendetur ùt latro.

6. Cogita quem putas eum dolorem sensisse in egressu portæ civitatis dum intra se diceret: Non sum ultra transiturus per portam hanc, nisi vinculis & catenis constrictus.

7. Cum lacrymis inspice, quantis angustiis prematur bonus JESUS in hortum veniens. O triste spectaculum! en protinus DEI Filius, geniorum cœlestium voluptas expallescit, submittit genua, procumbit humi, divinum os solo adsternit, cum morte luctatur.

8. Imaginare, quòd videas per poros & venas, sanguineas erumpere guttas. Heu qualis hortus hic est Gethsemani! in hortis aliis sunt deliciæ, in hoc mæror & dolor.

9. Interroga Dominum JESUM: cur tam præmaturè ex illius corpore erumpit sanguis, sudant pori, stillant venæ, ora lacrymis rigant oculi, pluunt cuncta membra?

10. Cogita, si primo in passu Viator sanguinem sudat quis sperandus est tam atrocis transitûs ac itineris progressus?

Affectus.

O Mi bone JESU! quò tua demum in nos abibit liberalitas? paulò antè sub extremæ cœnæ finem tuum nobis in calice sanguinem propinasti, jam illum iterum in tuo corpore, in veste, in horti pavimento propinas.

Cur

Cur ita ô amor meus! ipſe tormenta præcipitas? nondum adſunt carnifices, nondum te flagella lacerant, nondum aculeatæ ſpinæ divinum verticem perfodiunt, nondum prægrande clavi manus pedesq; configunt, & tamen jam nunc tam uberes cruoris fonticuli fluunt? Quid cras tecum fiet, cùm totum corpus unus erit livor, vulnus unum?

O nimium amorem iſtum! cui explendo mors una ſatis non fuit, ſed ante mortem vitam hanc noſtram mori coëgit! ita ut noſtri amantiſſimus Dominus membratim interire, guttatim contabeſcere, & per lenta ſanguinis ſtillicidia, diverſis viis animam abire voluerit.

O felicem te terram! quæ Domini tui cruorem combibiſti nunquam tam pretioſo rore irrigata. Quis mihi det, ut ſexcentis oſculis fatigem & amplectar locum, quem Salvatoris mei preſſerunt veſtigia, genua contigerunt.

Quid verò purpureum hunc & tam copioſũ ſudorem è corpore JESU eliquavit? Eheu! peccata & ſcelera mea. Hoc prælum fuit, hoc torcular, quo hortus ſucco plenus fuit expreſſus! ſub iſto culparum mearum onere bonus JESUS ingemiſcit, mæret, plorat, fatiſcit, ſudat largiter.

Tantanè res erat ſalus noſtra mi Domine! ut eam tanti æſtimares, & præditam tantis impendiis ſarcires? Tam pretioſæ in oculis tuis erant animæ noſtræ, ut eis redimendis tantum & tam copioſum deſtinares pretium? Adeonè diligens me, tradidiſti temetipſum pro me, ne perennibus traderer flammis?

Ergo

Ergo non diligam te, sed tradam me concupiscentiis meis, tradam me juratis hostibus tuis?

Meliora DEUS meus, meliora! Potius trado me tibi, vel nunc ut disponas de me in tempore & æternitate, ut cantem miserationes tuas stupendas, & magnas in æternum & ultra.

Christus in horto comprehenditur.

1. PEnetra cor Salvatoris: vide cum qua promptitudine & charitate morti se se offerat, cum qua alacritate obviam procedat proditori Judæ & Carnificibus.

Juda quid agis? amoris signo vulnus infligis? mellis oblatione venenum propinas? charitatis officio sanguinem fundis? instrumento pacis mortem irrogas?

2. Vide, quomodo unico verbo omnes satellites straverit in terram, ne prosterneret in inferno.

3. Considera duritiam satellitum, qui nec horrore mortis perterriti, nec blandimento charitatis commoti, quem noluerunt propitium habere Salvatorem, sibi elegerunt Judicem severissimum.

4. Obstupesce, quomodo viles & barbari nebulones in Agnum innocentem cum ingenti clamore irruunt: alii caput benedictum pugnis, alii fustibus cædunt: brachia cæteri funibus tam arctè stringunt, ut sanguis prosilire debeat è venis.

5. Intuere quàm immanem catenam ferreã (ut multi volunt) Carnifex injicat collo ejus.

O mi-

O miserabile spectaculum! onustum videre catenis & funibus Creatorem cœli & terræ! Quis unquam publicus latro, quis prædo tanta cum rabie tractatus?

6. Comitare ulteriùs CHRISTUM, quem ad impiam pertrahunt civitatem. O quot anteriùs hastis & calcibus te propellunt mi JESU! quot à tergo te lapidibus, luto, & pulvere impellunt! Eheu! nulla fera tam malè fuit habita à canibus venaticis.

7. Interea mente concipe CHRISTUM appropinquare torrenti Cedron. Intuere illos gradientes per pontem, CHRISTUM verò, tanquam indomitam bestiam rapi per gelidas aquas.

8. Inspice cum lacrymis, quomodo lapides præacuti illius torrentis calcaneos Domini vulnerent, & ita cruentant, ut per totam viam sanguinis vestigia relinquat.

9. Insuper comitare CHRISTUM raptatū ad Tribunal Annæ, capite discooperto, facie livida, manibus post tergum vinctis, pedibus sanguinolentis.

O prodigium! en innocentissimus sol justitiæ ad iniquitatis Tribunalia consistit. Stat sine Advocato Innocentia, sine Patrono Veritas, sine voce Verbum. Quid enim loqueretur, cui jam nuper ferale Herodis imperium, ad saltatriculæ votum, ipsam vocem eripuerat?

10. Considera, quàm torvis & ardentibus oculis Basiliscus ille aspiciat Salvatorem! quā superbè interroget & sciscitetur ab eo de doctrina & Discipulis.

Eheu! obstupesce, ut mox ad primam ae-

ternæ Sapientiæ vocem, à quopiam ministrorũ armata manu, tàm crudelissima alapa ei infligitur, ut dentes excusserit, & ex labiis sanguinem elicuerit.

Exhorrescit Cœlum ad tam inauditum facinus! contremiscit terra! alapâ DEUS percuti potuit! ô Angeli! quomodo manus continere potestis? an attonitos vos tenet facti insolentiâ?

Loquitur interim ad focum Petrus eliquatis ad prunas verbis, cui antea pavor ora congelaverat. Loquitur, sed mendacium quia Veritas post crudelem ictum conticuerat. Loquitur, sed insipienter, quia Sapientia obmutuerat.

Affectus.

QUid retribuam tibi Domine JESU pro omnibus ludibriis, percussionibus, vilipendiis, derisionibus, & pro innumeris opprobriis, quibus pro me saturatus fuisti?

Heu mæstissime, heu dulcissime JESU! Cur adeo ferreum ac lapideum cor habeo, quod compassione ac dolore non scinditur? cur præ dolore non tabescit anima mea, quandoquidẽ tam immanium dolorum & cruciatuum causa est pessima vita mea?

Potuitnè fieri, ut pro me vilissimo vermiculo talia DEUS pateretur? Eheu patitur! quia pro me conculcatur, pro me DEUS ligatur, irridetur à satellitibus nefariis, nunc pugnis, nunc calcibus tunditur.

O amor infinite! quid retribuam tibi, qui pro me servo nequam, tantum, & innocentissimus, & amabilissimus luis? Fundam sanguinem: sed nocentissimus est, dignissimus,

quem

quem canes lingant & porci ſpurciſſimi conculcent. Funda lacrymas, ſed peccatrices ſunt, immundæ ſunt.

O æterna Sapientia dulcis JESU! pro hiſce contumeliis, injuriis, irriſionibus, inſanisque clamoribus, te honorent, te glorificent, & extollant omnium Beatorum mentium agmina, vel in ſolo tuo nomine benedicte JESU, omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

CHRISTUS apud Caipham.

1. COgita qualiter Dominus noſter, Rex Regum & Dominus dominantium, ſub viliſſima ſpecie peſſimi ſervi, ab Anna ductus fuit ad Caipham Pontificem illius anni.

2. Conſidera, quomodo crudeliſſimi ſatellites, magis dæmoniorum inferni naturam gerentes, quàm hominum, non ſinentes illum pedibus incedere, vi (catenâ collo circumligatâ) raptabant per terram, conculcantes & percutientes illum.

3. Attende, quia ibi juramento CHRISTUS adſtrictus, apertè ſe dixit eſſe Filiũ DEI. Caiphas ſcidit veſtimenta ſua, dicens coram omnibus eum blaſphemaſſe.

4. Vide nunc, quomodo eâdem omnes, quâ ſceleſtus ille Pontifex rabie in ſatellites, in JESUM inſiliunt! Unus te Domine pugnis cædit, alter convellit capillos, hic te impellit calcibus, ille calcaribus vulnerat.

5. Inſuper obſtupeſce. En exſpuunt in faciem Domini! ô novum & inauditum in terris ſpectaculum! ô faciem Domini alapis lividam! ô faciem fædis ſputis maculatam!

6. Con-

6. Considera homines spuere volentes ad sordidos domûs angulos se convertere. Scilicet impii illi sordidius nihil æstimârunt facie Salvatoris, in quam desiderant Angeli prospicere.

O Pater! respice in faciem CHRISTI tui, & miserere nostri, pro quibus sic fædatur. O si vel modò incipiant oculi mei ubertim flere, ut vel ita eluant faciem Salvatoris mei!

O Mater! nunc solvis cum usura, quod in partu non habuisti à natura, Filium pariendo, dolorem non sensisti, quem millies replicatum, Filio sic patiente, passa fuisti.

7. Ulterius obstupesce immanium bestiarũ, non hominum truculentiam, quomodo hâc non contenti carnificinâ, in profundissimum carcerem, præter tenebras densissimas, plenũ fætore & horrore protrudunt Dominum ferreis constrictum compedibus.

8. Ingredere cum Domino tuo carcerem, quid ibi non tentat Carnificum rabies? en tota nox in crudelissima paupertatis CHRISTI, & innocentiæ supplicia extenditur.

9. Considera anima mea celsitudinem Domini DEI tui adeo profundè exinanitam, ut verè non homo, sed vermis, & opprobrium hominum, ac abjectio plebis, nunc dici debeat.

Affectus.

O Nox! quam meus JESUS habuit ultimam in carne mortali, quale tu spectaculum exhibuisti mundo & Angelis, & hominibus! Ecce dum medium silentium tenent omnia, en DEUS & homo! ab homine & pro homine à

gehennæ circumdatur doloribus! en lamentabiles Domini preces audiuntur ad Patrē.

O horror cœli! ô scelus mundi! ô dolor & amor DEI mei! ô luna! quæ tam luctuoso spectaculo tristis sola assistis, quando tu demum obscuraberis, si luces? quando convert eris in sanguinem. si serena es.

Quid tibi mi JESU cum terra? quid tibi cū homine? quis audivit unquam tale? ut redimeres servum, Te ipsum servo illudendū tradidisti?

O quàm indebita miseratio! quàm gratuita & probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo! Regem gloriæ pro vilissimis mancipiis, iisq; suis inimicis assumere formam servi, tot suscipere labores & dolores!

Quis unquam parens simile quid fecit pro liberando filio, aut filius pro Parente, aut amicus pro amico, quale fecit DEUS pro homine, Creator pro creatura, suprema Majestas pro vermiculo?

O! cor meum plusquam lapideum, cur non accenderis amore tui JESU? lapis calore solutus in cinerem vertitur, & tu ad tantum calorem immutabilis perseveras? O utinam mi dulcis JESU! mille amoribus amem te! mille obsequiis serviam tibi, mille millenis laudibus prosequar te, omnibus diebus ac noctibus vitæ meæ; ac deinde totâ, quâ patet, æternitate.

CHRISTUS apud Pilatum & Herodem.

1. VIde, quòd necdum dies illuxerit, & jā rumor captivitatis Dominicæ per totam civi-

civitatem increbuerat: itaque omnes certatim currunt ad palatium justitiæ: ubi à senioribus populus adversus Christum concitatur.

2. Observa quomodo Christum decernunt offerre Pilato Præsidi morti condemnandum. O bone DEUS! quantis cum ludibriis, improperiis per mediam civitatem rapitur!

3. Inspice Præsidem Pontium prodire ad solium plenum arrogantiâ; Christum verò plenum confusione, catenis ligatum coram eo consistere.

4. Audi, quomodo reprobi illi satellites adversus Dominum, tanquam canes effrænes latrant, falsò JESUM insimulantes quòd se DEUM faceret & Regem, & subverteret populum.

5. Considera, quòd cùm in multis JESUS accusaretur, nec in eo præses causam mortis inveniret, remisit Christum ad Herodem, sub cujus erat potestate.

Eheu miserandum spectaculum! vix se Christus commovere poterat, & tamen barbari milites per mediam urbem JESUM trahunt, multis probris & sannis afficiunt.

6. Cogita quod cùm videret eum Herodes, putans eum mente captum, spreverit cum exercitu suo; ac illudens remiserit iterùm ad Pilatum.

O bone JESU! quàm ignominiosè ex conspectu Herodis abstractus sis! quantis ludibriis à tanto militum numero exceptus! quot sordibus petitus! nec enim stulti aliter tractari solent.

7. Contemplare hìc cum devotione & compassione, quartam Domini raptationem ad Pilatum.

latum. Quousq; tandem ô Domine! hæc barbara mancipia te protrudent, colaphis cædent, comas evellent?

8. Observa quòd Pilatus volens illum liberare dederit sortem ejus cum Barabba homicida scelestissimo, & concesserit populo, ut peteret ex his duobus, quem vellet dimitti.

9. Obstupesce incredibilem Christi patientiã! qui cum esset DEUS verus de DEO vero, passus est non modò se cum Barabba, infami nebulone comparari, sed etiam, quod indignissimum est illi postponi.

Affectus.

O Admiranda mi dulcis JESU! tuæ circa nos pietatis dilectio! Quomodo tu, qui tribus digitis appendis terræ molem, qui sedes super Cherubim & intueris abyssos, tàm crudeliter, tàm immaniter torqueri à reprobis permisisti?

Quid commisisti Domine, ut sic judicareris? quid fecisti mi dulcis JESU, ut adeo crudeliter tractareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua?

O glacies non cor! cur non liquescis ad calorem hunc? nullum prope fingi potest, quod auribus non percepit convitium, nullũ quod corpore pro te JESUS non excepit supplicium. Vinctus est ut fur, consputus ut blasphemator, derisus ut sacrilegus in DEUM.

O mirabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus, offendit impius, & damnatur pius, quod perpetrat servus, exsolvit Dominus, quod commisit homo, sustinet DEUS.

Quid

Quid ad hæc ô anima mea? utinam nunc ſaltem amem te mi DEUS! ſed amem ex toto corde, amem ex tota anima, amem ex omnibus viribus meis.

Utinam obverſeris ſemper menti meæ ô vita mea! ô amor meus: utinam ad te ſemper ſuſpirem ô deſiderium; ad te ſemper confugiā ô aſylum meum; ſemper advolvar pedibus tuis ô mi DEUS; ſemper exoſculer manus tuas ô mi Domine; ſemper involem in amplexus tuos ô mi Sponſe!

CHRISTUS *flagellatur*.

1. VIde, ut agnum manſuetum impius Præſes ad ſedandum populi furorem, prædæ Tigrium & Pantherarum tradit, ut eum flagellis cædant.

Ah quantâ cum rabie te mi JESU adoriuntur! veſtibus violenter ſpoliant, & eas projiciunt humi! Quis auſit te denudare ô Rex Regum? Ah quanto cum rubore nudus conſiſtis coram illa maledicta multitudine, Virgo Virginum Sponſe.

O execrandum feræ poſteritati facinus! nudatur DEUS, & Virginea illa candidiſſimi corporis membra deteguntur! Quo uno ſcelere, tot mortes DEO inferri crediderim, quot ſunt oculi ſpectatorum.

2. Inſpice cum qua ferocitate CHRISTUS alligatur columnæ, aliis manus vincientibus, aliis brachia contorquentibus. Et multis aliis ita Dominum ſtringunt, ut carnes diſrumpi, & foras ſanguinem proſilire compulerint.

3. Admirare nunc cum lacrymis, JESUM

feriri crudelissimè, cutem dilaniari, viscera denudari, partes carnis in àëra exilire.

4. Vide in tenerrima carne Domini sulcos, vide sanguinem defluentem in terram instar rivulorum.

5. Respice humeros, brachia, pectus, ventrem, & totum corpus tui Salvatoris dilaniatum, totum corpus discerptum.

O quantum prodigium! amor cruciat, fundit sanguinem, dilacerat, & nisi ipse sibi obstitisset intermisisset.

6. Interroga Dominum JESUM, qui fit, ut post tot flagellationes, quæ ad numerum pervenerunt sex millium sexcentarum sexaginta sex, etiamnum vitâ frui possit, cum decem tã immanium percussionum suffecissent ad te occidendum?

7. Meditare hìc, quomodo lictores percutiendo lassi sunt, & CHRISTUS necdum fatigatus est pro te feriri. Quare cùm ampliùs non possent crudelitatem suam in ipsum exercere, illum à columna solvunt.

8. Vide, ut agnus innocens volutatur in suo sanguine propter nimiam debilitatem, & animi deliquium non valens ultra pedibus insistere. Ah! ut truculentæ illæ bestiæ calcibus eum protrudunt clamantes: surge seductor: surge Rex Israël.

9. inspice, quòd doloribus plenus, totus dilaceratus præ frigore tremat, nudus, dilaniatus, & sanguine madidus, ubicunq; firmat pedes, vestigia sanguinis relinquat.

Affectus.

OBstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, JESUS DEI filius in fla-

in flagella nudatus est. JESUS meus Dominus in flagella paratus est. Nudatus, qui etiam omnia lilia agri sic vestit. Nudatus est, qui sub umbra alarum suarum nos protegit. Vides hoc sol, nec obscuraris? Aspicitis Angeli, nec mortalium omnium oculos percutitis cæcitate?

Si hoc corpus templum Domini est, ubi nebula? si Sanctum Sanctorum? ubi velum? si tuus est Filius Virgo Mater, ubi tunica inconsutilis? si hic Filius tuus dilectus Pater æterne, ubi nubes lucida est?

O mæstissima Virgo! quos fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cum cerneres Filium tuum coram te ligari, flagellari, & carnem de carne tua tam crudeliter & immaniter dissecari.

O Virgo dolorosa, quomodo vivere poteras, quando in tuo conspectu, tot rabidi canes in teneram damulam: tot sanguinarii lupi in innocentissimum agnum, tot carnivori accipitres in simplicem columbam ungues ac dentes exacuebant.

Quò obsecro Nate DEI, quò tua descendit humilitas? quo processit pietas? quò tua flagravit charitas? Ego crimen edidi, tu torturæ subjiceris; ego fruor deliciis, tu ad columnam in sanguine natas, ego pomi dulcedinem, tu fellis gustabis amaritudinem? Quid est hoc? quid fecisti Rex meus & DEUS meus? quid retribuam tibi pro omnibus quæ tu tribuisti mihi?

Benedicant te Domine millia millium, & decies centena millia Angelorum. Non hoc satis. Benedicat te benignissime JESU multitudo

titudo miserationum tuarum, & amoris tui mellifluï suavissima viscera, in quibus visitasti nos oriens ex alto, in quibus redemisti nos, & lavisti nos à peccatis nostris in sanguine tuo, & vulneribus tuis.

CHRISTUS Spinîs coronatur.

1. VIde novam truculentiam & immanitatem nefariorum satellitum, qui horridam coronam de spinis, & acutissimis juncis marinis capiti jam satis cruentato infigunt & imponunt.

2. Considera (ut dicit S. Bernardus) illas spinas, non solùm carnes & nervos perforasse, verùm etiam ipsa ossa, nec non ipsum cerebrum penetrasse.

3. Imaginare, quòd videas sanguinem cerebri humore mistum ex omni parte per capillos & faciem defluere.

4. Dic ex corde: O Pater! jam istud caput non semel sudavit sanguinem! cur spinîs eundem elicit justitia tua?

O sacratæ spinæ parcite! parcite sacro illi & innocuo capiti, venite potiùs & vertite aculeū contra me, pungite cor meum puncturis pænitentiæ, ut si non sanguinem, saltem vel lacrymam possitis è corde duro elicere. Dilatare corona, ut inter istas spinas caput quoque meum inferam.

5. Ulteriùs mente progredere, & vide quomodo velant faciem Domini turpissimâ vittâ, & percutientes faciem & caput ejus alapis, illudunt ei.

6. Cogita, cur velat faciem Domini hæc barbara Tenebrionum turba? An quia oculis divi-

divinis sua videri scelera pertimescebant? an quia, qui uno ejus aspectu emollitam in lacrymas petram conspexerant, suam quoque mitigandam crudelitatem metuebant?

7. Consiste hìc parumper & accuratè perspice factum Pilati, qui rabiem infernalis turbæ volens sedare Christum totum deformatum, deturpatum, & tam crudeliter dilaniatū ad propyleum jussit duci.

8. Ausculta verba Pilati Christum plebi monstrantis: Ecce homo: Acsi diceret: veniat vobis in mentem hunc esse hominem non bestiam; satis immaniter in eum sævitum, immanius quolibet latrone.

9. Converte tu hæc verba Pilati ad Patrē: O Pater! Ecce homo! ecce filius tuus dilectus, tam crudeliter dilaniatus! ecce Homo plusquam barbarâ, plusquam belluinâ Judæorū sævitiâ tractatus.

O Mater! ecce Homo! vide an hæc non tunica, sed caro Filii tui sit? verè fera pessima devoravit eum. O Angeli pacis! ô anima Christiana! ecce Homo! sed eheu! jam verè exclamare poteris, quia non novi hominē, nam non est ei species neque decor.

O peccator! Ecce Homo! ecce caput pro te spinis coronatum! ecce facies pro te sputis & alapis livida! ecce oculi in lacrymis & morte natantes! ecce os & labia mox felle replenda.

Affectus.

O Anima mea! non diffluis lacrymis, amore non conflagras! Ecce tuus Homo! en vide novum crudelitatis inventum dolorosissimum! en furore quanto! dolore quanto! sævissi-

vissimi laniena immanis ministri, coronam spinis, sentibus hispidam, visu horrendam, soli capiti Salvatoris imponunt, & ipsum penetrant cranium!

Ah dolorosissime JESU! vivis! natura non succumbit adeo læsa? miraculis opus est, ut graviora pro me patiaris.

Egredere nunc filia Sion, egredere ô Virgo Mater, & vide Filium tuum JESUM in diademate, quo coronavit eum Mater sua. Mater improba Synagoga. O Rex mundi! ô gloria cœli! hoccine est regnum tuum, in quo natus es?

O! innocentissimi & divini corporis benedicta terra, rigata non jam rore tantùm, sed sanguine, quomodo spinarum & tribulorum communi maledicto obnoxia facta es?

Ergonè, qui me gloriâ & honore coronavit, dolore ipsemet & dedecore coronatur? Qui dedit ornamenta aurea capiti meo, servavit tegumenta spinea capiti suo? qui coronat me in misericordia & miserationibus, spinis ipse & sentibus non renuit coronari? qui mihi repositam habet coronam justitiæ, solam sibi coronam patientiæ reservavit.

O patientissime JESU! quis tibi animus? quē summa humilitate jussu Patris adorant omnes Angeli, hunc coronatum summo ludibrio adorant caculæ vilissimi? O quale, amantissime JESU opprobrium! irrident, insultant, blasphemant, alapas ingeminant, & sputa fætentissima agglomerant usque & usque.

O mi Creator! ô mi Redemptor! quantùm tibi debeo! ô si mille corda & linguas haberem, quibus misericordias tuas in æternum conci-

concinerem! ô si nunquam è memoria mea excideret amor tuus! ô si die noctuq; clamare possem cum omni creatura, quæ in cœlo est & in terra: Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS.

CHRISTUS Crucem bajulat.

1. INspice cum lacrymis, quomodo humeris mitissimi Agni enervatis & confractis imponunt ponderosam illam crucis molem, cæteris omnibus hoc lignum ferre recusantibus. Eheu! eheu! quid facies bone JESU, quia viribus es destitutus?

2. Cogita tecum, quis unquam reum, ferre crucem suam & patibulum, cui affigendus? contra commune jus gentium est; portare tamen innocentissimus JESUS cogitur.

3. Contemplare Dominum unâ manu ligatâ alterâ crucem bajulantem. Heu quam illa inhumaniter ô JESU corrodit, & conquassat humeros tuos, quàm profundè carni usque ad ossa infigitur. Quid ultra facies mi JESU?

Perge tamen, perge mi Redemptor, constanter progredere, erige te mi JESU, novas assume vires, deducat te Pater tuus cœlestis & confortet, stipent latus tuum Angelici Spiritus, & solentur.

Proficiscere mi bone Viator, proficiscere, ut nos redimas, peccata nostra te ligârunt, & in miserias has adduxerunt.

4. Considera, quoties ob nimiam lassitudinem & Carnificum furiam, sub crucis pondere in medio plateæ CHRISTUS corruit; quoties nefarii satellites è vestigio in eum in-

insili-

siliunt, capillis trahunt, calcibus protrudunt; à tergo luto & lapidibus impetunt.

O prodigium! en cadit Verbum DEI secus viam, & conculcatur ab hominibus. En cadit, per quem cuncti stant, infirmatur, per quem omnes roborantur, in terra DEUS jacet, per quem homines eriguntur in cœlum.

5. Intuere, ùt occurrit & mæsta Mater in montem Calvariæ eunti Filio. Quò pergis ô Virgo Mater inter militum armatorum catervas? Ergonè dilectum filium tuum extremo supplicio affici conspicies?

6. Vide quomodo subsistit Dominus fatigatus saxo cuidam insidens, ultimo Matri inter amplexus valedicens.

7. Meditare nunc, quo cum ardore, quibus lacrymis invicem se se complexi sunt. Quoties ingemuisse putas nunc mæstam Matrem lugendo Filium & dixisse: Fili mi JESU, JESU Fili mi! quis mihi det, ut tecũ & pro te moriar, Fili mi dulcis JESU?

8. Contemplare, cum qua rabie, canes illi, inhumano quodam impulsu improperantes ei, Matrem à Filio repellunt & Eum semimortuum protrudunt.

9. Vide ô homo! quomodo patiuntur & lacrymis diffluunt pro te JESUS & MARIA! cur ergo tu ferreum cor non commoveris? cur non fles pro te ipso?

Affectus.

TUus ô Domine ingressus in mundum! & egressus è mundo, quàm dispar est! cantantibus Angelis ingressus es. Angelis pacis amare flentibus egressus es. Ingredientem te Virgo

Virgo Mater utero brachiisq; portavit, egredienti tibi gravis crux, ingens illud & infame tormentum, portanda imponitur.

O potentia æterni Patris, quàm imbecillis facta es! ô virtus mundi quàm infirma effecta es! ô sustentator universæ terræ, quàm infra omnia abjectus es!

Tu æthera firmasti sursum, & nemo te confirmat, tu appendisti fundamenta terræ, & nemo te sustentat, tu cum ceciderit è nobis aliquis, supponis manum tuam; tibi postquam tam dirè collapsus, imò collisus es, nemo ex omnibus adhibet in auxilium ultimum manũ suam?

O manus ita vinctæ! quid mali patrastis? num quem fortè occidistis, aut vulnerastis? nunquid fortè rapuistis, quod furum & prædonum instar, constrictas funibus vos intueor? absit! illæ, illæ manus sunt, quæ omnibus benefecerunt.

Quis ergo mihi nunc dabit aquas, imò, quis omnes venas, arterias, nervos, ossa, & universa membra corporis mei vertet in Oceanum lacrymarum, ut plangam in amaritudine animæ meæ, JESUM meum sanguine decoloratum, sputis fædatum, post sanguineum sudorem, post dura vincula, post crudelem flagellationem, post horridam coronationem crucifigendum!

O Angeli! ô creaturæ omnes lugentes lamentemini, currite, abundanter currite, quia ecce Filius DEI in extremis est. Ecce mundi salus extinguitur. Ecce Salvator noster ad atrocia tormenta, ad vestium spoliationem, ad vulnerum innovationem; ad fellis potum, ad acer-

acerbissimam fossis manibus pedibusq; laniena; ad infame suspendium; ad novos gemitus, ad clamorem validum & lacrymas, & amarissimam mortem pergit.

CHRISTUS Crucifigitur.

1. SUbsiste jam cum CHRISTO in monte Calvariæ, & diligenter inspice, quomodo Carnifices detrahant cum immani violentia vestes CHRISTI, vulneribus ob sanguinem concretum adhærentes.

2. Audi cum lacrymis, quomodo mæstissimæ Matri illas vestes ostendant, horribili cum blasphemia dicentes: Aspice ô improba mulier, num hæc sint vestimenta sceleratissimi Filii tui?

3. Intuere CHRISTUM præ summo frigore, toto corpore trementem, cum nudus vento & àëri asperrimæ hyemis tempore exponatur.

4. Cogita quàm ingens confusio ejus fuit, cùm videret se nudatum in præsentia tantæ multitudinis consistere.

5. Vide cum lacrymis quomodo ministri illi infernalibus furiis agitati, instar pantherarum rabie percitarum adoriuntur CHRISTUM, calcibus impetunt, & primo ictu atrocissimè in terram substernunt, horribili clamore vociferántes: Adesdum ô seductor populi; ocyus super hoc lignum te extende, expande brachia, & manus porrige.

6. Deinceps finge animo te coram intueri unum Carnificum, CHRISTUM capillis tenere, ne se commoveat, alterum pedibus, tertium infigere clavos, & manus extendere.

7. Pene-

7. Penetra hìc, si potes, cor benedictæ Matris, quod exanimabatur ex auditu ad tam diros ictus. Ah! cur unus horum ictuum non dirumpit & emollit pectus meum adamantinum? Eheu! dimittite clavi istas innocentissimas manus, configite cor meum, illudq; compassione vulnerate.

8. Ulterius inspice, quâ immanitate Carnifices fune pedes constringunt, & tantâ cum rabie trahunt, ut ossa omnia laxent, ac loco moveant, & omnia vulnera dilatent, propter manuum & pedum extensionem.

9. Obstupesce, quam largi sanguinis rivi per brachia, corpus, & crucem diffluunt, lacusque roseos efficiunt humi! ô DEUS! quam lacrymabile & inauditum tormentum, & necdū CHRISTUS moritur!

10. Vide, quot machinis, quot funibus satellites illi utantur, qui CHRISTUM in cruce pendentem nunc in hanc, nunc in aliam partem impellunt: demum crucem erigunt, & in excavatum scrobem immenso cum sonitu cadere permittunt.

O quanta cum angustia ad terribilem hanc concussionem disjuncta sunt CHRISTI membra, conturbata interiora ejus, & cuncta ossa, cum incredibili dolore locô mota.

Quæsisti sæpè ô anima Christiana à Domino tuo JESU, & dixisti: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? Ecce cubat in monte Calvariæ, medius inter latrones, nudus, lividus, cruentatus, illic jacet exporrectus in duro lecto crucis.

Affectus.

Affectus.

O Spectaculum ab orbe condito luctuosissimū! DEUS suspenditur! DEUS occiditur! laxentur in gemitus ora, mergantur oculi nostri lacrymarum pelago.

Veni, accurre, Oriens, Occidens, Septemtrio, Meridies. Ecce panditur terra Sancta, beati pedes. venerandæ manus, benigna brachia, amabile pectus.

Aspice nunc ô Pater caput Filii tui propter tot canales sanguineos defecisse! intuere cervicem, olim instar nivis candidissimam, nunc inclinatam & exsanguem.

Defige oculos ô mæsta Mater in faciem dilecti Filii tui, & in membra conquassata CHRISTI tui! vide quàm obscurata sit pulchritudo oculorum! quantùm palleat color regii vultus!

O DEUS! ô JESU mi! adoro te in hoc throno doloris & ignominiæ. O si mihi liceret per te, ut sacram tuorum pedum arā millies exosculer, manantemq; inde cruorem lacrymarum imbre diluam.

O si submitteres tantisper verendum cœlo & terris caput, vultum miserabilem, sanguine innatantem suo, ora illa plumbeo mortis calore pallentia, amoris roseo igne purpurascentia.

O anima mea! dic saltem à longè ultimum vale Salvatori tuo. Vale ergo mi Redemptor! Vale ô Frater amabilis nimis! vale ô Sponse animarum nostrarum. Sed priùs ante discessum da benedictionem, da Frater amplexum. Da crucifixoribus tuis orationis affectum,

latro-

latroni Paradiſum, Matri Filium, Filio Matrem, mortuis vitam, toti mundo ſanguinem tuum.

CHRISTUS clamans voce magnâ exſpirat.

1. INtuere anima mea, quia jam tandem exacto tormentorum itinere, ſe ſe duriſſimũ in lectum feſſus Viator quieturus reponit: & audi quid loquatur ad te de lectulo crucis.

2. Audio, clamat JESUS: Pater dimitte illis. Quid eſt hoc? JESUS flagellis cæſus eſt, ſpinis coronatus, affixus patibulo, omnium tamen dolorum immemor ait: ignoſce illis. Cygnea verba! is, qui hactenus in propria cauſa tacuit, nunc cauſâ inimicorum diſertus eſt.

3. DEUS, DEUS meus ùt quid dereliquiſti me. Derelictus es mi JESU, ſed propter me, quia ego ſæpius dereliqui DEUM meum, fontem aquæ vivæ, & receſſi à DEO ſalutari meo.

4. Sitio, clamas mi JESU! Attendite animæ, quantùm diligat vos, tot dolores perpeſſus JESUS propter vos, adhuc tamen dolores propter vos ſitit, ſitit ſanguinem effundere, quem adhuc celavit in corde.

5. Domine memento mei. Hiccinè nudus ô latro, ſanguine perfuſus ſocius ac particeps patibuli tui Dominus eſt? hæccinæ ſpinæ ſunt diadema Regis? Beatus es latro, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater, qui in cœlo eſt. Memento & noſtri Domine, dũ veneris in regnum tuum.

6. Ecce Mater tua. Breve teſtamentum, parvum peculium, facilè diſpenſatur. Nihil

ſibi

sibi ex suo restabat præter Matrem, & hanc tradidit Discipulo.

7. Ecce Filius tuus. O voces miras, mortaliumque cordibus optatissimas, Filium effici Virginis, quid dulcius? Matrem habere MARIAM, quid securius? O Mater! non dedignare nos filios, quoniam DEUS non est dedignatus te Matrem.

8. Consummatum est. Quod consummatũ est Domine JESU? dolores tui, passio tua, charitas tua? ita sinè omnia transierunt, consummata sunt, perfecta sunt; præcipuè autẽ charitas tua, quâ cum dilexisses nos, usq; in finem dilexisti.

9. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. O si & meum mi dulcis JESU in agone egredientem de corpore Spiritũ in manus tuas susciperes! ô si me reciperes & omnes mecum agonizaturos in lateris tui aperti patentem aulam, miserorum arcem, pænitentium triclinium!

10. Et inclinato capite emisit Spiritum. Ergonè meus JESUS clamans voce magna, inclinato capite, ut mihi amplexum, mihi det osculum reconciliationis, inclinato capite, ut mihi dicat ad aurem cordis mei: morior, & libenter morior amore tui, inclinato capite, ut inspiret in faciem meam spiraculum vitæ, inclinato capite tradidit Spiritum?

Affectus.

O Anima mea! tradidit pro me JESUS Spiritum, & ego spiro? Verbum æternum pro me siluit, & ego loquor? DEUS meus pro me mortuus est, & pulcherrimus ille nexus purissimæ carnis cum Sanctissima anima dissolutus est, & ego vivo! Cur


Cur non venies ô hora! ut ego moriar, si & Dominus meus JESUS mortuus est? cur non saltem compassione morior ego, cum jam exspiraverit in cruce vita mea?


Etsi non habeam mi JESU puritatem & sanctitatem tuæ Matris, ut dignè tibi compatiar, latronis tamen pravitatem habeo, ut ad latús tuum crucifigi debeam. Etsi non sum tanquā velum nobilissimum templi, ut in morte tua scindar, sum tamen monumentum fætidissimū, ut ad apertionem tui lateris aperiri debeam.

Quid in me quæris dulcissime JESU? si in morte tua petræ scissæ sunt, & ego durior sum petrâ. Si terra mota est, & ego terrenissimus sum. Ipsum etiam ferrum voluisti tuum corpus vulnerando intrare, & me intrare per facta jam vulnera non permittes? Nunquid cor meum est durius omni ferro?

Etsi cœlestis non sim in compatiendo tibi, nec queam cum sole obscurari; tamen infernalis conversationis sum, ut saltem in triduo mortis tuæ à te debeam visitari.

Cur enim me fecisti Domine, si non debeo esse tibi conjunctus? aut si tibi sū conjunctus, quare pariter tecum non sum vulneratus! Nolo mi JESU vivere sine vulnere, quia te pro me video vulneratum.





CAPUT



CAPUT XI.

Proponuntur Praxes colendi Deiparam Virginem, & quosdam Sanctos in Festis ipsorum.

In Festo Conceptionis Beatissimæ.

1. QUæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

2. Ave ex omnipotentia Patris; ave ex sapientia Filii, ave ex dulcissima bonitate Spiritus Sancti MARIA cœlum & terram illuminans.

3. Ave candidum lilium fulgidæ semperq; tranquillæ Trinitatis. rosaq: præfulgida cœlicæ amænitatis, de qua nasci, & de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit.

4. Salve sacratum Regis palatium. Salve thalame, in quo humanitas Christi desponsabitur. Salve electa DEO antequam nata fueris. Salve divina cum hominibus reconciliatio.

5. Saluto & veneror Animam tuam gratiâ plenam, Tuum intellectum tam scientiâ instanti Conceptionis infusâ, quàm lumine gloriæ & visione DEI illuminatissimum, Tuam voluntatem impeccabilem, omnibus habitibus & actibus virtutum ab ipsa Conceptione tua orn tissimam.

6. Saluto & veneror tuum corpus sacratissimum DEO homini in primo gradu consanguineum.

neum. Tuum cor ſemper immaculatum, ſemper amore DEI ardentiſſimum. Tua omnia Sanctiſſima & puriſſima membra.

7. Gaudeo de omnibus virtutibus tuis, quòd eas habueris origine Maternitatis altiſſimas, in gradu perfectiſſimas, in inſtanti tuæ Conceptionis infuſas, ſingulis vitæ mortalis momentis creſcentes, heroicas, Angelicas.

8. Gaudeo de tua puritate, quòd ſis præſervata ex meritis Chriſti, non ſolùm à peccato originali; ſed etiam à debito proximo illud contrahendi; quòd ſis ſemper libera ab omni peccato actuali etiam veniali.

9. Gratias tibi æterne DEUS, quia elegiſti MARIAM, velut roſam de ſpinis, velut ſtellam de tenebris, velut gemmam de luto fæcis. Et quia ſola cum filio ſuo de maſſa generis Adæ primogeniæ innocentiæ, originalisq; juſtitiæ hæreditatem retinuit, ſola in gratia obedientiæ conſtitit.

10. Gratulor tibi ô pretioſiſſima creatura! ô Mater admirabilis! illam omnem (quam DEUS ſolus dare voluit, tu ſola capere potuiſti) abyſſum gratiarum, quam pro omni exiſtentiæ tuæ puncto impleta es, ut dignum majeſtati divinæ fieres habitaculum.

11. O feliciſſima & beatiſſima mulierum jà prævenio omnium generationum benedictiones, & loco earum omnium millies te & infinities beatam prædico, & eſſe gaudeo.

12. O puella ſine macula concepta! tu ſola eris gloria Jeruſalem, tu honorificentia populi noſtri. Vellem nunc capacitatem cordis mei millies milliesque ampliùs dilatari, ut poſſim aliquantulum dignè DEO congaudere & gra-

 tulari

tueri tibi illud instans ortûs tui superadmirabilis in mundum.

13. O Augustissima Mater DEI! fiat cor meum immaculatum; ut plùs amet te, honoret te, apud omnes extollat te, plùs quàm ulla unquam creatura possit inhonoratâ vitâ suâ offendere te!

14. Tu inchoasti Virgo, ora ut ego finiā vitam sine macula. Impetra cordi meo illā, quæ ad benè videndū DEUM requiritur, munditiem. Habeam cor, quod cordis tui sancti amores omnes offerat pro te Filio tuo, DEO JESU! doceat me cor tuum amores immaculatos æternos!

15. Utinam possim esse totus Virgineus, totus divinus, ut cor meum totum, sit amor Virgineus, sit amor divinus.

16. O Sancta Mater DEI! utinam Filius tuus in morte mea intuens animam meam dicere posset. Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.

Eodem Die!

Actus ante S. Communionem.

IN sole posuisse diceris tabernaculum tuum mi optime JESU, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo tuo, nimirum claustro purissimo uteri virginalis. Imò vero mi Domine! MARIÆ Matris tuæ pulchritudinem à primo ipsius ortus instanti & in æternum immaculatæ sol & luna mirantur.

Unde ergo mihi ô Amor divinissime! ut tu venias de templo gloriæ tuæ, de purissimo tabernaculo tuo ad me speluncam latronum, vas

contumeliæ toties fædatum, licet toties in ſanguine tuo lotum?

Quid mihi & tibi ô JESU Fili MARIÆ Virginis! ut invites me ad te Rex Regum & Dominus dominantium! Tu fons ſanctitatis, coram quo Angeli non ſunt puri! tu ſol claritatis æternæ, qui lucem habitas inacceſſibilem, ego verò animal immundum, filius iræ & tenebrarum? Quâ fiducia comparebo coram te juſtiſſime Judex, ante cujus conſpectum columnæ cœli contremiſcunt!

Pro admirando habetur, quòd tu mi JESU filius DEI vivi non horrueris Virginis uterum, novemq; menſibus eundem inhabitaveris, qui tamen à Spiritu Sancto multiplici gratiarum ac donorum apparatu fuit inſtructus, quomodo ergo nunc deſcendes in mea viſcera fœda?

Ergo ne mi Domine patieris cum ſervulo tuo epulari, qui noſti me in peccatis ac iniquitatibus conceptum, ac etiam iisdem demùm immerſum, quia mandatorum tuorum prævaricatorem? O quantus amor! tu in me viliſſimo peccatore, & ego in te DEUS meus, cujus majeſtas incomprehenſibilis eſt!

Quomodo ergo ſine te auguſtiſſima Mater & Virgo, ſine tuis auxiliis ego pauper ſervus tuus dulciſſimum amorem cordis tui JESUM meum recipere præſumam? Abſit à me tantum audaciæ ſcelus. Si igitur Filium tuũ à me recipi vis, exorna me meritis ac virtutibus tuis, gratiis & gloriâ tuâ, & me ſic comptum Filio tuo advenienti ſiſte, ſic me exorna ô digniſſima Mater Filio tuo, quemadmodùm te Spiritus Sanctus exornavit eidem

Filio ad te venturo, & in visceribus tuis incarnando.

Veni ergo mi dulcis amor ad pauperculam animam meam. Veni misericordissime & amabilissime DEUS cum MARIA Matre tua, præparet illa tibi cor meum (ut sit sine macula) in purum habitaculum tuum, in arcam tuam, tabernaculum, thronum, templum & lectulum tuum, ut quiescas & maneas in me, ut videam te, amem te, ardeam, liquescam, consumar, & consummer in te.

Actus post S. Communionem.

QUibus te ô amorosissimum SACRAMENTUM excipiam & tractabo modis? quomodo te dulcissime Hospes amorq; mi JESU redamabo? Nihil habeo carius, & pretiosius corde MARIÆ, hoc tibi dono & offero.

Per te Virgo Immaculatissimè concepta DEUM meum in corde meo latentem, quem ego indignus peccator sub his Eucharisticis speciebus præsentem suscepi, amo, laudo, agnosco, veneror, glorifico, exalto, deprecor & prædico, invoco, & possideo.

Tuo corde ô pura & Deificata, pretiosa & super omnes benedicta Virgo Mater, pro me amplectere filium tuum mihi hodie datum.

Concede mihi ô piissima Genitrix hujus ipsius corporis, quod ego sumpsi, illos tuos affectus, illas considerationes, omnesq; gratiarũ, donorum ac virtutum tuarum apparatum, ut tam decenter & sanctè, tam reverenter & devotè Filium tuum tractem, sicut tu illum tractasti.

Tu enim ſola Virgo Sanctiſſima placuiſti Altiſſimo, tu feliciſſimè concepta primo tuæ converſionis ad DEUM actu maximum eidē guſtum exhibuiſti; deinde filium DEI, quem cœli cœlorum capere non poterant, tuo gremio contuliſti, de puriſſimo ſanguine tuo & de Spiritu Sancto concepiſti, de caſtiſſimis viſceribus tuis genuiſti, genitum ubere de cœlo pleno lactaſti.

Quia verò mi Domine ego indignus peccator nihil habeo, quod poſſit tuam majeſtatē & dignitatem condecere, hanc ſaltem voluntatem habeo & offero tibi; quâ affectus plenitudine totam ſe tibi Virgo, mi DEUS! in omnem uſum obſequiumque primo ſui exortûs inſtanti conſecravit ac devovit, eodem ego affectu offero me ipſum totum tibi, atque trado in hæreditatem & poſſeſſionem æternam Tuus ſum ego in æternum.

Exuo affectum omnem ad omnia, & ad te unum tanquam centrum meum toto impetu tendo, feſtino ruo. Sufficiat mihi, Amor mi dulciſſime, quòd te habeam; quòd te in SACRAMENTO ſuſceperim. Nihil in hac vita mea amplius & melius deſidero, te unico ſummo bono meo amoreq; contentus ſum. Amorem hunc & affectum, quo ad te feror, in omne momentum & æternitatem continuare cupio, ac quantum poſſum continuo.

In Purificatione.

1. O Mater Domini mei monſtra te eſſe Matrem! depone Filium tuum in manibus meis.

meis, sufficit mihi ut videam & exosculer, quem diligit anima mea, antequam moriar!

2. O bone JESU! apud te os meum sine voce & silentium meum loquitur tibi; usquequo tardat venire Dominus meus ad me? quando videbunt oculi mei ô Pater salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum?

3. Divine parvule in sinum meum licet angustissimum amore tamen tuo, & tui divini cordis dilatandum advola, requiesce in sinu meo, ut sic amore tui moriens in amplexibus tuis cantem: Nunc dimittis Domine servum tuum in pace.

4. Suscipio hodie in medio templi misericordiam, & amorem meum, gaudium & vitã meam, JESUM & DEUM meum. O deliciũ sine deliquio! ô exultationem sine supplicio! ô lætitiam sine fastidio!

5. Intelligis tu parvule JESU! superintelligis omnia: intellige super egenum me & pauperem maxime in occasu meo.

6. O purissima Domina mea, dulcissimum amarissimi agonis solatium! da mihi JESUM morienti, & dimitte cum Simeone me servũ tuum in æterna pace.

7. Festina ô Mater misericordiæ, & monstra te esse mihi Matrem in hora mortis meæ, veni & fac, ut in occasu meo oriatur mihi sol non tam justitiæ, quàm misericordiæ.

8. Non recuso horrendos ignes longum illum diem purificationis meæ. Mallem tamen illos DEI amore, quàm pro pœna culparum pati.

9. Sim ego ô JESU! ô MARIA, sim candidus

ctidus vester cereus, consumar, absumar amore vestri lucens & ardens, usque dum hîc felici vos amantium morte extinctus, immortaliter apud vos ardeam igne illo, cujus flammæ, sunt linguæ amoris DEI.

10. Respice parvule mi JESU, respice in templo, & accende me ac mea omnia illis tuis oculis, quos tanquam flammam ignis vidit postea Joannes tuus. Illi tui ignei oculi faciant me aliis flammeis avolare illuc, ubi est templum amoris æterni, ad quod evocare soles dilectos Virginis Matris tuæ.

11. O mi JESU! rogo te per Patrem tuũ, cui hodie oblatus es, per te ipsum, qui oblatus es, per Spiritum Sanctum, cujus instinctu oblatus es, per Virginem Matrem tuam & S. JOSEPHUM, à quibus oblatus es, fac ut ego & omnes tuo divino ac Matris tuæ amori addicti, simus candelæ tuæ, quas tu (quod hodie petit Ecclesia) lumine supernæ benedictionis accendere digneris, ut corda nostra invisibili igne, id est S. Spiritûs illustrata, omni vitiorum cæcitate careant.

12. Tibi me hodie sisto parvule JESU, quẽ Patri hodie in templo sistit Mater; ut cùm ante te mihi ad ultimam sententiam percipiendam sistendum erit, ad dexteram Electorum me sistere velis.

13. O Maria dulcissima, Mater mea amantissima! quid obsecro dabis nobis in hoc festo? Purifica me Virgo Sancta, purifica totum mundum. Benedic Filiô tuô mihi, quem gestas in manibus, & toti mundo. Accende me igne tuo, ut cor meum flammis amoris divini semper ardeat.

Eodem

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

USquequo Domine dulcissime amor mi tollis animam meam & non venis ad eam? Ecce jam tædet ipsam vitæ suæ. Quid dicam? quò vadam, quis renuntiabit tibi dilecto meo, quia amore tuì langueo? Quis mihi det te ô amantissime JESU sugentem ubera Matris meæ, ut amplectar te & deosculer & introducam in domum meam, tuguriolum cordis mei?

O desideratissime hospes animæ meæ, decore nimis & amabilis super amorem hominum & Angelorum, sicut Mater amat unicum filium suum, ita ego te diligo, ac tuo suavissimo conspectu satiari volo.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus Domine JESU, desiderat inquam anima mea satiari pane tuo, quem de cœlo præstitisti nobis omne delectamentum in se habentem. Sitio te DEUM meum venam aquarū viventium, sitio sanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter tribuisti.

An verò vis animam meam rejicere & pertransire, quia homo peccator sum? scis enim Domine quibus te malis offenderim! quibus peccatis iram tuam irritaverim? quomodo Spiritum Sanctum tuum contristaverim?

Ita est Domine JESU, agnosco & profiteor coram cœlo & terra, quia multiplicatæ sunt iniquitates meæ super arenam maris, adeoq; non est bonum, hunc panem filiorum mihi cani putrido dare: non expedit hanc redemptio-

nis.

nis nostræ gemmam pretiosissimam ante porcum projicere.

Scio tamen Domine, quia etiam debiles & claudos ad cænam tuam invitasti, quia cum publicanis & peccatoribus manducasti, quia filium prodigum ad te reducem vitulo saginato tractasti. Ad mensam ergo convivii tui cum timore & tremore accedere præsumo, quem ego credo firmâ fide sub accidentibus Eucharisticis esse verè & realiter præsentem una cum divinitate, anima, corpore, & sanguine tuo pretioso.

Veni ergo Domine & noli tardare, veni dulcedo mea, veni salus animæ meæ, vita mea, DEUS meus & omnia! Ecce pando tibi dulcis JESU panis viventium sinum cordis mei, & paratum offero totum animæ meæ habitaculum, dignare ad me venire, & mecū usque ad finem vitæ meæ manere. Non sū quidem justus & timoratus, quia gravissimus peccator, expecto tamen redemptionem Isràél, expecto donec veniat qui mittendus est.

Ad te etiam supplex accedo piissima Mater, depone ex ulnis tuis Virgineis hunc filium tuum in sinu cordis mei. Quid enim negabis pauperi, quod hodie concessisti Simeoni? fac me unum de mercenariis tuis, quia hic fame pereo, amore langueo, non est qui consoletur me ex omnibus caris meis.

Quàm beatus es magne Simeon, bajulus factus amoris mei, quàm beati oculi tui, quibus desideratum cunctis gentibus Redemptorē mundi aspexisti! quàm beatæ manus, quibus Authorem vitæ contrectasti! ô quàm suaviter casta ludit inter brachia tua dulcis JE-

SUS

SUS amor meus, pendet amica collo farcina purpuratq; genas basiis purpuraturq; tuis. Ignosce. Invideo tibi magne senex. Satis ah satis exultavit spiritus tuus in DEO salutari tuo. Concede etiam mihi hoc amicum pondus. Morior, si denegas, paululùm concede hanc sarcinam vicariam gestandam dexterâ.

Actus post S. Communionem.

O Pater æterne ac amantissime! ô Mater dulcissima MARIA! en jam induxistis Puerum JESUM parentes ejus in cor meum, jā filium vestrum accepi in ulnas meas, en quod concupivi teneo, cur jam corde non ardeo?

Intuemini Sancti Angeli quantus sit iste, qui ingreditur, & ipse est Rex justitiæ. Præcursor ingreditur secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

Suscipio Domine JESU misericordiam tuā, quia te ipsum in medio templi tui, cordis mei, cur non clamabo cum tuo Simeone, qui dum te in ulnas suas, necdum unius ulnæ infantem suscepit tanquam cygnus lætus ante letum cecinit, & petiit dimitti.

Clamabo & ego, & dicam cum eodem: Nunc dimittis servum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Vidi enim te, & vidi, & gustavi toties in Eucharistia: Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

O Virgo sacratissima! quo tu affectu pignus tuum dulcissimum ac divinissimum hodie tē-

plo

plo illatum, altariá; impositum divinis oculis præsentasti, & amplexa es, simili cordis devotione & affectu ego modo Filium tuum in corde meo depositum amplecti desidero.

JESU mi, dulcis hospes animæ meæ hodie à Simeone gestate, benedicte, & elevate super altare, te ego quoq; servulus tuus in corde meo elevare gestiens, totâ capacitate mea confirmari, finaliterq; in gratiæ tuæ amicitiæque pace dimitti in æternum postulo.

O si moriatur anima mea morte justi istius, & fiant novissima mea hujus similia. O sanctissima Mater adsis & mihi in hora mortis meæ. O JESU benignissime! dum in extremo vitæ meæ dignaberis è templo sancto tuo venire ad me, & sacro viatico munire me, ne permittas me separari à te, in hora mortis meæ voca me, ut amem te.

Quis mihi det, ut in ultimo vitæ meæ puncto ardere possim immensis ignibus amoris tui ut qui aliquando remissus fui in amore tuo, nunc æstuem & accendar amore tui Seraphico. O si in puncto resolutionis meæ tantum conciperem tui amorem, qui solus sufficeret separare animam meam à corpore meo?

Obsecro te mi JESU! per illum ipsum amorem, quo te mihi in cibum communicas, & per istud amoris SACRAMENTUM, istã mihi ex hoc gratiarum fonte præsta gratiam, ut hoc corporis tui Sacratissimi cibo confortatus, viam ingrediar universæ carnis, sistarque judicio tuo non damnandus ad mortem, sed salvandus ad vitam, in qua te summo Bono meo fruar in æternum.

In Fe-

In Festo S. Benedicti.

1. BEnedictus sis Domine DEUS in firmamento cœli, quia Benedictum tuum Patrem multarum Religionum constituisti, filiis ejus benedixisti, & multiplicasti eos sicut stellas cœli.

2. O dilecte Domini Benedicte! cujus hodie solenne festum omnes filii tui (quorum numerus uni DEO cognitus est) sub sanctissimis legibus tuis militantes concelebrant. Juva me precibus ac meritis tuis; ut ego nunc, & æternùm sim dilectus & benedictus à Domino, ac diligens ac benedicens Dominum.

3. Seraphine terrestris! qui in materno utero exultare & psallere es auditus. Non potui DEUM amare & illū benedicere ante, quàm nascerer, fac ut saltem nunc, & in æternum totus dulcedine divini amoris plenus, totus flammâ divinæ charitatis incensus diligam DEUM ex toto corde totisq; medullis præcordiorum meorum misericordias ejus concinam.

4. Cœlestis inter homines Angele! qui è visæ à te olim fœminæ recordatione, immundum Spiritum fœdis tibi cogitationibus importunum inter urticas & spinas volutatus repulisti, & tamdiu corpus tuum senticeti aculeis laceravisti, donec nesciret insidiator, liliis an rosis irasceretur; cum innoxia inter spinas lilia efflorescere frendens conspiceret; impetra mihi cor totum candidum, totum lilium, impetra mihi victoriam de mundo, carne, & diabolo.

5. O felicissimi & flammei cordis Vir! qui Discipulorum quemdam orationis tempore,

mente

mente spontè vagum, per fimbriam vestis è templo foras à nigro puero trahi vidisti, eidemque orationis Spiritum impetrasti, impetra ne me unquam irretire possit dæmon, ut denique non tradat bestiis meam hanc animam confitentem tibi DEUS meus.

6. O Thaumaturge! cujus imperiò aquas pede sicco calcavit tuus *Discipulus* Maurus. Qui bibiturus, facto pro more, super vasculum Crucis signo, illud vi divina fractum, ne venenum biberes, vidisti. Qui rogatu cujusdam parentis filium ejus mortuum resuscitasti: Roga obsecro JESUM, ut lætitiam Angelis DEI creet mea mors, non verò dæmonibus: ut in templo Sancto gloriæ DEUM meum una tecum benedicam, æternùm benedictus.

7. Sancte mi! & in altissimo gloriæ throno à DEO collocate Vir! qui Sanctæ Scholasticæ, Sororis tuæ, & postea S. Germani Episcopi animam in cœlum abeuntem aspexisti; assume animam meam, ut in morte à corde meo abeat ad te, itinere sancto!

8. Martyr amoris DEI! qui scriptis divinâ sapientiâ plenissimis legibus, miraculorum gloriâ celeberrimus, vatidico Spiritu multa præsagiens, sumpto Viatico, præmortua corporis per austeritates exhausti membra, in parato tumulo inter manus & lacrymas discipulorũ placidissimè compoluisti. Veris pænitentiæ ac amoris lacrymis cor meum imbue, ut sanctâ verè amantium morte moriar. Impetra mihi Spiritum veri amoris DEI, qui corpus meum mortificatione assiduâ, & animam oratione perpetuâ *DEO* sacrificet.

9. O

9. O dilecte Domini Benedicte! cujus anima fulgentibus circùm lampadibus, pretiosissimo pallio velut Sponsa ornata visa est abire in cœlum; & vox audita est. Hæc est via, quâ dilectus Domini Benedictus ascendit. Qui hoc tuo die, Sanctæ tuæ filiæ Gertrudi apparuisti, totus efflorescent bus ex te rosis undique corpore totò vernans. Ora pro pigro hoc, & ad dura pro æternitate sustinenda, delicato nimis corpore meo: Patiatur nunc, ne patiatur in æternum. Currat quò anima, quò DEUS vult, ut cœlum non infernum comprehendat.

10. Idem etiam nunc oro, quod hodie in solenni oratione ad te clamant alumni tui: ut excites in me Spiritum illum excellentissimũ, quo tu calcare mundum, mortificare carnẽ, subjugare infernum didicisti ac docuisti: ut eodem repletus, Sanctissimam Regulam tuã fideliter observem, virtutes tuas imitari studeã, dæmonum insidiis viriliter resistam, & te juvante feliciter moriar.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

ITane ab æterno cogitasti de me, & singulis etiamnum momentis cogitas de me, & in æternum cogitabis ô amabilissima bonitas DEUS meus? Et ego tam diu fui oblitus tui, etiam modo vix memor tui, & in posterũ tui potero oblivisci ô amabilissima bonitas?

Quàm tædet, quàm pudet me mei! ô magnum prodigium, quòd ab æterno amaveris me! sed numquid non majus prodigium, quod in æter-

in æternum diliges me? O nimia charitas! quid faciam tibi?

Et quid obsecrò unquam oculis majestatis tuæ placuit in me? quid boni ego feci? quid merui? elegisti me ante mundi constitutionē, ut sim sanctus & immaculatus in conspectu tuo, & cum in peccatis jacerem, vocasti me è seculo nequam in admirabile lumen tuum, in locum sanctificationis, dissimulans peccata mea propter pœnitentiam.

Quid in me dulcissime JESU invenisti obsequii, quia liberasti corpus à perditione, liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escā, de manibus quærentium animam meam, à pressura flammæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus?

Toties ob scelera mea tradendus eram inferno, cum aliis, quos in ipso fervore peccatorum oppressit mors, qui nunc in flammis infernalibus cruciantur, & tamen mihi, cur autem mihi! misericordissime pepercisti?

Sis millies mi Domine benedictus, qui me ex innumeris mundi periculis liberasti, & ad sanctam religionem mirabiliter evocasti. Benedicta sit illa hora, quâ me eduxisti de tabernaculis peccatorum, quâ eduxisti animam meam ex inferno inferiori, & salvasti à descendentibus in lacum. Benedicta sit hora, quâ me in Filium tuum adoptasti, & in templum tuum consecrasti. Verè locus iste sanctus est, verè DEUS in loco isto, ubi Panem Angelorum manducamus.

O Panis Angelorum! factus cibus servulorū, reple etiam me hodie mendicum tuum sua-

vitate

vitate tua, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ tuæ charitatis fuccenfus, ad te folum æftuantiffimis anhelem defideriis.

Abforbeat quæfo mentem meam ab omnibus, quæ fub cœlo funt ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi foli inhæream, folâq; tuæ fuavitatis memoriâ pafcar, te folum in omnibus & fuper omnia caftiffimo amore, omni momento diligam & amplectar.

Veni ergo ô Amator ardentiffime ad pauperculam animam meam, hic habites quoniam elegifti eam. Ne pertranfeas fervum tuum ô dilecte votorum meorum, ô dulcedo cordis mei! ô requies fpiritûs mei! ò vita animæ meæ! DEUS meus & omnia.

Actus post Sacram Communionem.

O DEUS immenfæ Majeftatis & infinitæ bonitatis! quid retribuam tibi pro omnibus quæ tu tribuifti mihi? en non tantùm ab æterno, & antequam effem, gratis adamafti me, & ex nihilo ad gloriam tuam æternamq; felicitatem meam condidifti, fecifti Angelos tuos fpiritus etiam propter me, quibus mandafti, ut cuftodiant me in omnibus viis meis, pro me fervo peccati & dæmonis redimendo, fanguinem & vitam dedifti, è tenebris peccati in quibus diutiffimè hæfi, extraxifti, tot gratiis habitualibus ornafti, & actualibus prævenifti & adjuvifti: verùm etiam me toties non lacte ut Mater filium, fed corpore & fanguine tuo reficis & nunc etiam refecifti.

Agnofco mi Domine & amplector vifcera pietatis tuæ, quibus me dilexifti ac diligis, agnofco

agnoſco miſericordes oculos, quibus reſpexiſti ſuper mortuum canem ſimilem mihi. Pro his omnibus benedicam te Dominum meum, DEUM ſalutis meæ in omni tempore. Miſericordias tuas in æternum cantabo.

Quia verò homo peccator ſum, laudet te & benedicat pro me glorioſiſſimæ Virginis hujus ſancti inſtituti Patronæ digniſſimum cor & anima. Laudent te & benedicant infinita Sanctorum Angelorum caſtra ac præcipuè laudet te, & pro me benedicat nomini tuo laudabilis Confeſſorum numerus cum ſuo diviniſſimo Benedicto, ſancta & immaculata hujus ſacri Ordinis Virginum turba, & omnis Electorum tuorum Exercitus.

Clamo ad te potentiſſime protector ſalutis meæ Sanctiſſime Pater & dux noſter Benedicte, tu de tua ſalute jam ſecurus es, de me obſecro ſis ſolicitus, & quem in vita Patronum elegi, in morte patrocinantem experiar, victurus deinceps tecum beatè, patrocinii tui memor æternum. Subveni mihi miſero peccatori, ſedenti in tenebris & umbra mortis, & ſolve vincula captivitatis meæ. Eleva me ab hac ſordida terra, ut mihi mundus crucifixus ſit, & ego mundo.

In Annuntiatione.

1. ECce Angelus Domini nuntiavit tibi Virgo beata, quia tu gratiâ plena, concipies & paries Filium, DEUM videlicet & Hominem.

2. Audiſti Virgo, quòd concipies & paries Filium, expectat angelus reſponſum; tempus eſt, ut revertatur ad DEUM, qui miſit il-

lum. Expectamus & nos ô Domina! verbū miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis.

3. Responde Domina per Angelum Domino verbum, & suscipe Verbum, profer tuū, & concipe divinum, emitte transitorium, & amplectere Divinum. Da Virgo responsum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi.

4. O Archangele DEI! qui legatione fungeris pro Verbo increato, fortiter & suaviter age pro Domino tuo.

5. DEO gratias. Jam utrinq; consensus datus est; jam Verbum caro factum est, & habitat in sacro Virginis utero; jam puer JESUS vocatur.

6. O Mater DEI mei! quibus tibi affectibus gratulabor Maternitatem tuam divinam? ô si omnium mihi corda essent! ô si cor ipse totus essem, quantum est totum universum, vellem Te toto me, gratulari æterno DEO! toto me Tibi gratulari Filium DEUM.

7. Benedicta & venerabilis es Virgo MARIA, quæ sine tactu pudoris inventa es MATER SALVATORIS, & quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus Homo.

8. Benedicta sis tota ô dulcissima Virgo! in corpore tuo purissimo, & anima sanctissima.

9. Benedico beatissimum uterum tuum, in quo Dominum cœli & terræ portasti. Benedico beatissimum cor tuum, quo ferventer filium tuum dilexisti. Benedico beatissima ubera tua, quibus eum lactasti. Benedico os

& la-

& labia tua, quibus ei dulcissima oscula dedisti. &c.

10. Benedictus sit DEUS Pater, qui te in suam Filiam adoptavit. Benedictus sit Filius, qui te in Matrem suam elegit. Benedictus sit Spiritus Sanctus, qui te in Sponsam sibi assumpsit.

11. Sancte Gabriel Archangele MARIANE benedic & saluta mecum, & pro me MARIAM, & doce me illam salutare; ut oret pro me, oret nunc dum vivo; nunc dum oro; nunc dum in periculo damnationis æternæ, & in agone mortis meæ existam.

12. O! Virgo gratiâ plena, esto mihi MARIA, impetra, ut in gratia moriar, ut Dominus sit mecum, & ego cum Domino in æternùm.

13. O benedicta in mulieribus! ora, ut benedictus fructus ventris tui JESUS, sit mihi viventi & morienti JESUS. Ita fiat ô MARIA Mater DEI! viventium & morientium, ac prædestinatorum Mater.

14. O Virgo Beatissima! quæ cum esses parvula, placuisti Altissimo, tantùm te & ego diligo, ut si ego solus possiderem omnium Electorum gratissima corda, libenter illa omnia amori tuo impenderem.

15. Si essem ô Domina! CHRISTUS, in te non in aliam flumina gratiarum derivarē. Si essem MARIA, relinquerem esse MARIA, ut tu sola esses MARIA. Si essem supremus Angelus te non aliam, nomine omnium Angelorum optarem Reginam.

16. Si in me voluntates omnium hominū positæ essent, te non aliam Mediatricem re-

demptionis humanæ precarer. Si cordibus & linguis omnium loquerer, te, non aliam Dominam mundi vocarem.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

DEreliquit me dulcissime amor, mi JESU, Virtus mea, & lumen cordis mei, atque robur mentis meæ, non est mecum. Formido enim & terror, tremor majestatis tuæ occupaverunt, & ceciderunt super me. Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti tui, & dignus ero in sanctissimo SACRAMENTO recipere te? Quomodo audebo accedere ad te? Unde mihi tantum dignitatis, ut venias ad me?

Ad Virginem Matrem, non priùs venisti, quàm Spiritus Sanctus superveniret in eam, & Virtus Altissimi obumbrasset illi, & tamen jam illa fuerat gratiâ plena, quomodo igitur potes ad me, & Spiritu Sancto, & Virtute Altissimi, & plenitudine gratiæ destitutum, venire? Cur te mihi obtrudis Domine invito, trementi, & vilitatis meæ conscio?

Ignosce Domine, quod formidem recipere te, quia tu es DEUS meus magnus nimis, ego autem sum homuncio vilis nimis, ex nulla parte par, sustinendo tibi, declina à me Domine, quia peccator sum, quia nihil sum, quia non habeo sanctitatem Matris tuæ.

Non audeo quidem resistere voluntati tuæ, & tamen etiam non audeo te admittere ad me Domine. Consentire timeo, & dissentire pertimesco, quis enim restitit tibi, & pacem habuit?

buit? Aut quis sum ego, qui respondeam DEO pro mille? Si te cupio recipere, audacia est, si renuo ad te accedere, miseria est. Coarctor nimis & angustiæ mihi sunt undique.

Scio tamen miser, quid faciam, en ad tuos pedes supplex accurro pia Mater & Virgo, quia à sæculo non est auditum quemquam ad tua currentem præsidia (teste tuo Bernardo) tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia à te esse derelictum. Per te ergo accessum habeamus ad Filium ô! benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ. Tuo Filio me reconcilia, tuo Filio me repræsenta, ut ad me veniat, & mansionem apud me faciat.

Tu enim sola placuisti Altissimo, quæ ardore divini amoris accensa, totâ mente, totâq; virtute virium elevata, DEUM tuum ardenter diligens contemplabaris, & tunc tibi SSS. TRINITAS DEUS per vocem Angeli sui salutationem transmisit, Incarnationis Filii DEI consilium intimavit, Virginali integritati, pro qua zelabas honorificè, cavit, obedientiam acceptavit. Et quando ancillam DEI te esse professa fuisti, in illa hora benedicta, DEI Filius in te factus est tuus Filius.

En etiam anima mea ancilla tua Domine, fiat obsecro iterum in corde meo Verbum Caro factum. Eo affectu dulcissime JESU te suscipere hodie desidero, quo te affectu & desiderio tua Mater, Spiritu Sancto cooperante in visceribus suis incarnavit, suoquè purissimo Sanguine convestivit. Veni Domine JESU, salus & vita animæ meæ, & noli tardare.

Actus post S. Communionem.

O MARIA Virgo & Mater! Ecce Filius tuus, Homo DEUS factus mihi concorporeus! pro quo, ut ardentissimas illi gratias agas, suppliciter postulo.

Adoro te mi dulcis JESU, Fili MARIÆ Virginis. Adoro divinam Carnem & Sanguinē hic realiter sub Eucharisticis speciebus existentem, quam de Virginis MARIÆ substantia in Incarnatione assumpsisti.

Benedictus sis tu DEUS Creator omnium, qui in Uterum MARIÆ Virginis, ac sub tectum meum, descendere dignatus es.

Millies infinities sit benedictum ô benedictū Sacramentum! Benedictus sis infinities JESU dulcissime Amor meus, benedicta sit Caro tua, Sanguis tuus, anima tua, quòd venire dignatus es ad me.

Benedicta sis etiam millies ac millies Virgo Beatissima, quòd lacte proprio, magnisq; laboribus panem hunc ad victum nobis dederis, in Crucis ara pro nobis, & in altari in nostrum remedium æterno Patri offerendum, atq; in Sacrario cordis nostri reponendum.

Die Dolorosæ Virgini Sacro.

De septem illius doloribus.

1. PIa Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac ut tecum lugeam, fac ut ardeat cor meum, in amando Christum DEUM, ut sibi complaceam. Ut & tibi complaceam, Cujus animam pertransiit gladius, & utriusq; dolore & amore langueat, ardeat, liquefiat anima mea,

2. An

2. An non toties pertransiit animam tuã gladius Virgo Beata? quando in stabulum divertisti, primogenitum tuum in præsepio collocasti, Circumcisionem ejus commiserata aspexisti, in Ægyptum cum Filio fugere debuisti, ac duodennem in templo amissum triduo dolens quæsivisti?

3. En demum anima illa divina, illud delicium Cœli, tristis est usque ad mortem Filius tuus, dum ille cœlestis vultus, in quẽ desiderant Angeli prospicere, infusus lacrymis procumbit in terram, & factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

4. O dolor! en etiam Filius tuus aptatur ad verbera, jam cæditur, rumpit sacram cutẽ violentia flagellorum, repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt, jacet extentus ante hominem DEUS! Liceat rem tam immanem ac novam, novo, inusitato vocabulo exprimere? Verbum Incarnatum carnifices excarnarunt, flagris verberibus multiplicatis velut super incudem ictibus, carnem ab ossibus mixtam sanguine per aërem disjecerunt.

5. Vidisti pia Mater Filium, & non erat ei species, neque decor, non erat aspectus, Vidisti eum despectum, & novissimum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus & despectus.

6. Egredere insuper Filia Sion, egredere ô Virgo Mater! & vide Filium tuum JESUM in diademate, quo coronavit eum Mater sua, Mater improba Synagoga. Inspice, quomodo diris sentibus horrens textum, armatis ferro manibus, & fustibus in divinum JESU

verti-

verticem altè deprimitur, fluit undequaq; permistus lacrymis sanguis.

7. Sed non stetit hic furor, cadentem te mi JESU! Virgo Mater ingressu primo in terram, & sæpiùs deinde labentem solicita suo excepit sinu, fovit oculis, recreavit amplexu, at nunc in egressu ultimo sub immani Crucis pondere toties labentem, non est qui adjuvet, non est qui recreet. En jam furore quanto, extra civitatem educitur JESUS usque in Calvariæ locum, gravi onustus Cruce, comitatus latronibus. Ergonè credam ejectum te Sanctum Sanctorum ex Civitate sancta, nec usquam ampliùs comparere in ea?

8. Hæc singula confers in corde tuo, & profundè gemens dicis: Ne vocetis me Noemi, id est pulchram: sed vocate me Mara id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.

9. O tristissima Matrum! te adjuvat anima mea, & qualis est Unigenitus tuus, qui occurrit tibi? Et dicis: Unigenitus meus candidus & rubicundus, sed non illo colore ad miraculum amabili, sed flebili supra omnem modum.

10. O MARIA! ô mæstissima mulierum! ô afflictissima Virginum! ubi dilectus tuus cubat, ubi nunc latitat, indica mihi? Eheu filiæ Jerusalem dicunt mihi; quia ad funestum Calvariæ locum, pro homine, gravi onustus trabe, coronâ spineâ confixus, post mille gemitus, post amaras lacrymas, post cruentos gressus, stipatus latronibus, pergit crucifigendus.

11. Ita est. En jam stat toto corpore nudus, expositus undique frigido àëri, perfusus

stillan-

ſillante cruore, oppletus doloribus, circumdatus tortoribus, Filius tuus, in loco totius mundi viliſſimo, in cadaveroſo furcis & crucibus infami.

12. Inſpice cum lacrymis, quomodo extentas manus Carnifices trabalibus clavis perfodiunt, demum funibus extendunt, ut nervi omnes ac venæ diſrumpantur. Tam atrox porro fit hæc membrorum extenſio, ac tam violenta, ut oſſa ſingula ſuis ſedibus dimota atque divulſa numerari poſſint.

13. O cœlum! ô terra! ô ſuperi & inferi! ô quidquid uſquam ſentit aut ſenſûs expers eſt! quis audivit unquam talia horribilia, quæ fecit genus filiorum hominum? O ſol ſubtrahe te tanto facinori, obſcurare, & in tenebras abi, obvolvite vos caligine ſidera; excutere à fundamentis tellus, & ſede tua exili, ſcindite vos petræ, hiate ſaxa ad tantum nefas.

14. Quale ſpectaculum porrigit oculis meis Golgotha! in medio Paleſtinæ. Ah! aſpectum! dignum, poſt quem nihil aliud aſpiciam.

15. O quàm flebile ſpectaculum illud fuit Virginis Matris, lacrymantis, ſuſpirantis, & præ dolore deficientis; & Filii ejus in Cruce pendentis & expirantis!

16. Tu verò amantiſſime JESU, in hoc rerũ ſtatu, in his tuis injuriis, doloribus, contemptibus, in hac hominum iniquitate & ſcelere, in hac univerſi perturbatione, quid agis? quid animo volvis? quæ tibi mens? quod conſilium? Amas! Et quosnam amas? homines amas? Etiamne mi Amor homines amas? & arden-

ardentiſſimè amas? & ſummè amas, & ad mortem uſque amas.

17. Abſit mihi jam aut gloriari, aut quieſcere, niſi in Cruce tua mi JESU, in tuis vulneribus! Amore tui langueo, ac deficio, ſed quæſo vos, quicunque eſtis, non me fulcite floribus, non me ſtipate malis, ſed fulcite me ſentibus, ſtipate me ſpinis, clavis etiam, ſi vultis, configite, ut CHRISTI configar Cruci.

18. Offero etiam cor meum tibi ô afflictorũ & dolentium Regina! ad excipiendos dolores tuos, & liberandum ab eis cor tuum. In tuis & pro tuis acutiſſimis doloribus mori exopto. Inſtans mortis meæ doloribus tuis, & doloribus Filii tui commendo, & communio.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

ERubeſco verè ante conſpectum innocentiſſimi Redemptoris mei, tam crudeli morte, ob ſcelera mea perempti, ut ſpectaculum immanis lanienæ factus ſit Angelis & hominibus luctuoſum, cujus tota corporis compago, tot plagis lívida, tot vulneribus lacerata eſt, Cor ipſum ac pectus divini amoris reclinatorium immani lanceæ ictu patefactum! Ah! tuorum eſt ô anima! tuorum hoc opus eſt peccatorum. Video tamen mi JESU! Video te extendere manus tuas, ut me ingratum, fugitivum, non filium, ſed rebelle mãcipium recipias. Et cum ſim una turpitudo, tu tamen me amplecti, imò etiam Corpore & Sanguine tuo recreare vis. Unde

verò

verò mihi tanta gratia, nisi ex speciali, ac profundissimo amore tuo?

Audeamnè ruere in amplexus tuos, & suscipere te, qui me projeci per peccata mea infra pedes Luciferi? sufficeret mihi jacere ad pedes tuos, ut caniculo, & illos lambere, atq; ad hos, omnes turpitudines meas & peccata mea evomere.

Quia tamen mi Domine: invitas me ad sacrum Convivium tuum: venite, inquiens; ad me, qui in me perdendo laboratis, & hoc ipso, gravi scelerum mole onerati estis, & ego reficiam vos. Venite, bibite, & inebriamini charissimi, bibite vinum, quod torculari Crucis expressum miscui vobis. Venio gaudens Domine mi JESU! ac clamo post te: da mihi panem vitæ, qui de Cœlo descendit, ut refocilletur anima mea.

Ad tuos etiam pedes accedo ô MARIA! mea tot titulis, quot ego tibi obligor beneficiis, tanto mihi benevolentior affectu, quanto propinquior partu, MATER mea es, non conditione naturæ, sed gratiæ jure sub Cruce constituta, quando me genuisti, non ex utero naturalem, sed ex corde filium Spiritualem, non quidem doloribus parturientis, certè tamen doloribus morientis, non tui, sed in te morientis Filii tui, unicè dilecti.

Ecce Mater mea! Venit ad Te Filius tuus, licet Primogenito tuo longè dissimilis, & inter adoptivos tuos infimus, supplicat tibi non tantùm pro salute sua sanguine Filii tui partâ lacrymis tuis impetratâ, verùm etiam cũ fame pereat, petit micas panis vitæ, quem qui gustaverit, non morietur in æternum.

Monitra

Monſtra igitur te eſſe Matrem, & reſpice Filium, quo nomine ſi ille indignus eſt, tu certè materno digniſſima, reſpice ergo ut ſuccurras, reſpice & non deſpiciet Filius. Et ſi quid in me offendis, unde diſpliceam, in te reperis unde placeam.

In Viſitatione.

1. EXurge Domina, ſurge amica mea, DEI Mater & Virgo, gratioſa mea & veni: oſtende mihi faciem tuam; ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, vox ſalutis eſt, nuntia Salvatoris.

2. Loquere Mater, & exultabit præ gaudio cor meum. Dic verbum, & ſanabitur anima mea. Tu enim habes intra te Verbum DEI, quod dat vitam mundo.

3. O Domina mea! ut facta eſt vox tua in auribus meis, cor meum, & caro mea, exultant in DEUM vivum. Gaudebo in Domino ſemper, iterum dico, gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo.

4. O Virgo Beatiſſima! ad cujus hodie Eliſabetham viſitantis vocem infans Joannes in Matris utero, præ gaudio exultavit! non te potui amare antequàm naſcerer, ora, ut ſaltem nunc, & in hora mortis, & per omnes beatitatis felices æternitates, ſim in numero ſervorum & filiorum tuorum lætantium in te, & amantium te.

5. Viſita me cum tuo JESU ô MARIA! ita ut nunc & in hora mortis meæ viſitatio tua cuſtodiat Spiritum meum, hinc migrantem; ut in æternum unâ tecum, magnificet

anima

anima mea Dominum, & exultet ſpiritus meus in DEO ſalutari meo.

6. O quàm beati, quos reſpexerint illi tui miſericordes oculi ô MARIA! hos etiam oculos ad me converte, & Filio tuo benignè me reconcilia, & in æternum conjunge.

7. Gaudeo Virgo Beata, quòd ſis Inventrix gratiæ, quòd ſis Theſauraria & Diſpenſatrix gratiarum, ita, ut nulla gratia de cœlo in terrã veniat, niſi tranſeat per manus tuas.

8. Gaudeo & exulto ô SS. Virgo, quòd DEUS te amet ſuper omnia opera ſua, & de hac re ſuper omnia delector.

9. Gaudeo quòd ſis Sponſa DEI, Mater Verbi, Miniſtra Incarnationis, omnium gratiarum mare, verè illuminata MARIA, Angelorum Regina, Mediatrix noſtra & omniũ Domina.

10. Exulto de illo amore, quo te amat DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus! & de illo amore & honore quo te amant & colunt omnes Angeli & omnes Beati in cœlo, & omnes juſti in univerſa terra.

11. Inveniſti Virgo gratiam apud DEUM: Quid non impetrabit tanta Filia à Patre, Mater à Filio, Sponſa à Spiritu Sancto?

12. Per te acceſſum habeamus ad DEUM ô benedicta Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis.

13. Sis mihi ô MARIA pia! ſemper Mediatrix apud Filium: ſis de me, tanquam de Filio tuo ſolicita: ſuccurre erranti: deduc me in ſemitas juſtitiæ: miſericordes oculos ad me ſemper converte: & mihi in morte ſuccurre ut pia Mater cum feſtinatione.

Eodem

Eodem Die
Actus ante S. Communionem.

O Quanti! quamque multiplicis gaudii & exultationis! una Virginis Beatissimæ Visitatio, causa fuit! Miratur præ gaudio Mater Elisabeth, dicitque unde mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Infans Joannes ad vocem salutantis Virginis exultat in Utero: ipse demum Spiritus MARIÆ exultat in DEO salutari suo. Insuper illud gaudium humani generis Homo DEUS, jam nunc delectatur ludens in orbe terrarum, & tanquam sponsus gestiens procedere de thalamo suo, exultat ad currendam viam suam, viam salutis humanæ.

O JESU! nunquam satis amate, nunquam satis amande transilias licet colles, & salias in montibus simili capreæ hinnuloque cervorū, sequetur te pernicibus alis amor meus, assumet pennas ut columbæ, & volabit, & requiescet sub umbra tua, quem desiderat anima mea.

Ibo, ibo, te ducente Virgo, & transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domū DEI, ut inveniam, quem quæsivi, quem concupivi, quem diligit anima mea, ibi tenebo eum, nec dimittam, donec benedixerit mihi.

O Sponse dulcissime! sonet vox tua in auribus meis, & dicamus invicem: dilectus meus mihi, & ego illi, inter ubera mea, in corde meo commorabitur.

O dulcissima Mater! quo tu affectu & fervore filium tuum JESUM dilectissimum exurgens per montana detulisti, atque in domum

Zachariæ intulisti, eodem affectu & desiderio, cupio dulcissimum Filium tuum, sub speciebus Eucharisticis inclusum, sub tectum cordis mei deferre ac deducere.

Quia verò homo peccator sum, & non sū dignus, ut intret Filius tuus sub tectum meū, sanctifica me priùs pia Mater, ut Joannem, reple Spiritu Sancto, ut Elisabetham, imple benedictione illâ & gratiâ, ut domum illam. Fer Virgo Beatissima Dominum JESUM ad me, ut sanctificet me sanctificatione æternâ, tunc exultabit Spiritus meus in DEO salutari meo.

Actus post S. Communionem.

JESU hospes amantissime, occurro tibi in Eucharistia ad me venienti, stupore & humilitate Elisabeth dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?

Cantabo etiam tibi in vita mea cum MARIA Matre tua, psallam tibi DEO meo, quamdiu fuero, clamabo ad DEUM Altissimum, qui bona tribuit mihi: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in DEO salutari meo. Quia respexit humilitatem animæ meæ, ancillæ suæ, & fecit mihi magna, qui potens est. Esurientem implevit bonis, & divites dimisit inanes.

Gaudebo in Domino semper, item dico gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo. O delicium, sine deliquio! ô exultationem sine supplicio! ô lætitiam sine fastidio! ô gaudium sine tormento! &c.

In

In Assumptione.

1. UBi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? Non tu vitam aufers Virgini, ſed ad DEUM transfers, non mortalitati ſubjicis, ſed donas immortalitati.

2. Verè fortis eſt mors, ſed fortior dilectio MARIÆ in DEUM, quæ valido impetu animam Virginis à corpore ſeparavit.

3. Non nobis Domine JESU, non nobis, ſed MARIÆ Matri tuæ da gloriam! elevetur hodie magnificentia ejus ſuper cœlos, ubi tu Rex Regum, ſtellato ſedes ſolio.

4. O quis mihi daret, ut omnia membra mea, verterentur in linguas, tunc non aliud prædicarem niſi hoc: vivat, regnet, & triumphet MARIA!

5. Si linguis hominum & Angelorum hodie loquerer, adhuc celſitudinis tuæ dignitatem & gloriam ô Virgo pulcherrima ne adumbrare quidem, nedum effari poſſem.

6. Benedictus ſis tu DEUS, qui corpus & animam MARIÆ Virginis Matris tuæ in cœlum aſſumpſiſti, & ſuper omnes Angelos juxta Deitatem tuam honorificè collocaſti.

7. Gaude MARIA Virgo, quia omnes Sanctos ſuperas tuo honore. Gaude, quia totũ cœlum & orbem illuminas tuo ſplendore.

8. Gaude, quia ad tuum nutum, tota tibi obedit cœleſtis curia. Gaude, quia ad tuum votum à DEO impetras omnia.

9. Gaude, quia ſola es SSS. Trinitati proxima. Gaude, quia ſervis tuis dantur à DEO præmia maxima.

10. O MARIA! pulchra ut luna, electa ut ſol.

sol, fac me videre pulchritudinem tuam, & ob eam adorare & laudare Divinam Majestatē in æternum.

11. Sitivit anima mea ad te DEI Matrē viventem & regnantem in cœlis! quando veniam & videbo lucidiorem sole faciem tuam?

12. Speciosa facta es in deliciis tuis dulcissima DEI Genitrix, quis non diliget te? ô Regina cordium & Mater sancti amoris! quis non amabit te?

13. Amo te Virgo Beata, & desidero amare tantùm, quantùm te omnes beatæ animæ in cœlo, quantùm te amant omnes novē Chori Angelorum, quantùm te amat ipsum cor & anima Unigeniti Filii tui.

14. Saluto te ô Regina cœli & terræ! ô Mater gratiæ & misericordiæ! vita mea & spes mea post DEUM! Saluto te & veneror in throno gloriæ, ad quem DEUS te extulit. Video te jam in portu, dum nos jactamur procellis. Video te in patria, dum nos gemimus in exilio. O! potentissima Mater memento nostri, dum tibi bene est, & ne obliviscaris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ.

15. Scimus quòd pulchra sis mulier, dic (obsecro) quòd soror nostra sis, ut bene sit nobis propter te, & vivat anima nostra ob gratiam tui.

16. Fratres tui sumus ô Virgo! os tuum, caro tua, sanguis tuus. Obsecra Filium, ut misereatur fratrum tuorum, filiorum tuorū, ac proinde fratrum suorum.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

QUod munus pro MARIA hodie assumpta, lætificante Civitatem DEI, dabis cœlum nobis? Ecce dum elevatur magnificentia Matris DEI super cœlos, majus est gaudium Angelis DEI, super una Virgine, Domina Virtutum, Regina gloriæ triumphante, quàm super nonaginta novem justis.

Utique scio, quia humanis obsequiis divina vinci beneficentia non solet, quin, qui omnes benefaciendi facultate superat DEUS, vincit etiam benè merendi de omnibus voluntate. Calicem aquæ frigidæ sibi datum, divinæ voluptatis torrente compensat, & cibum esurienti exhibitum regnô remuneratur æternô.

Venientem, ut viveret inter homines, DEI Filium MARIA Virgo excepit in domum suam, domum pudici pectoris, quod templum DEI repente factum est, quid igitur Pater sanctissime pro ejus obsequio, pro sanguinis sui dato subsidio, ut Filius tuus fieret Homo DEUS, dabis nobis?

Scio equidem & certus sum, quia viventē Filiam tuam, ut vivat inter cœlites excepisti in domum tuam, & quæ humanitate circumposita & circumducta carne Virginea Filium tuum coronavit, utique illam cœlesti gloriâ & divinitate tuâ circumdata coronasti.

Optimè quidem in hoc apparuit benignitas & humanitas tua mi DEUS! cum enim sit Mater divinæ gratiæ, & Genitrix substantiæ ejus, ex æquo sedet ad dexteram Majestatis tuæ

in excelsis, tantò melior Angelis effecta, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum Filius tuus? Mater mea es tu, tu hodie genuisti me.

Loquar tamen ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis? Quale gaudium nobis est, dum in tenebris sedemus, & hoc lumen cœli non videmus? scio verè, quia Virgo Mater inebriatur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potatur, nos autem mendici & pauperes hìc fame perimus.

Omnis potestas data est tibi mi Domine! à Patre, in cœlo & in terra, tibi Mater à Filio, quæcunque ergo poposceris à DEO, dabit tibi DEUS, quid enim denegare poterit, qui seipsum tibi donavit? pete ergo & accipies, dic obsecro. ut panem Angelorum manducet homo, catellus Domini.

Fac ut ambulem in fortitudine cibi illius (qui de cœlo descendit) usque ad montem DEI Horeb.

Actus post Sacram Communionem.

VIvat in me JESUS, regnet JESUS, triumphet JESUS, DEI vivi & MARIÆ Filius! Quiesce in me ô piissimum SACRAMENTUM, sufficiat mihi, Amor mi dulcissime JESU! quòd te habeam, quòd te in SACRAMENTO susceperim.

O quàm cupio dignè tractare & salutare te! O! quis mihi dabit linguam Angelorum? quis Seraphicam, ut te ô JESU mi! tuumq; Corpus ac sanguinem dignè contrectem, ac complectar.

O si ferri possem illo incendio amoris tui, quo sanctissima Mater tua primum in cœlum veniens te salutans & adorans, æstuabat! O si omnes guttæ sanguinis mei mutarentur in flammas æternæ charitatis, quibus ardent omnes Angeli & Sancti tui!

O adorande, & divinis tantummodo amoribus sat dignè redamande Amor meus! tu scis; quia amo te! utinam toto me, toto te! utinam in æternum corde MARIÆ amem te!

Quia verò homo peccator sum ad te recurro, ô Virgo Mater DEI! Mater amabilis, Mater admirabilis, amabilis in gaudio, admirabilis in honore. Per te nos exules filii Evæ, accessum habeamus ad Filium, per te servi à DEO profugi refugium habeamus ad Dominum, per te peccatis mortui viam inveniamus ad vitã, per te in æternum amemus DEUM nostrum.

In Festo S. Patris N. BERNARDI Abbatis.

1. SAncte mi JESU! MARIA, DEI JESU Mater, gratias vobis pro donis bonisque omnibus in Sanctissimum vestrum ac meum BERNARDUM largè effusis.

2. O! cordis felicissimi & flammei Bernarde, tot candidorum filiorum Pater, candidum me faciat non tam vestium, quàm animi candor. Fac ut cygneam ac candidam puritatem in moribus & cogitationibus meis præferam.

3. Melliflua JESU & MARIÆ ac cordium devotorum apis! fac me verum JESU & MARIÆ servum, impetra mihi hoc unum, hoc sanctum, ut non aliter velim vivere, nec mori velim aliter, quàm, tanquàm natus ad

hoc,

hoc, ut vivam, & moriar JESU & MARIÆ humillimus servus & filius.

4. Feliciſſime naſcentis JESULI amator & ſpectator! qui puer vidiſti natali DEI nocte naſcentem JESUM; ora, ut cor meum vivat in JESU, ac viciſſim in corde meo naſcatur, adoleſcat, delectetur, & nunquam moriatur JESUS.

5. Triumphator mundi, carnis, & dæmonis; qui turpes ignes aquâ gelidâ extinxiſti, & nocte latronem pudicitiæ fugaſti victor; arce à me machinas immundi Spiritûs, ne quid in carnem meam, vel in ſpiritum meum, dolis ſuis poſſit.

6. Martyr amoris divini! cui fratres tuos ad Religionem pellicienti, viſa eſt adeſſe non ſemel olim extincta Mater tua, quæ tibi arridens gratulabatur de conſilio tam felici; aliàs quoque à te conſpecta in gloria; fac ut per te diſcam DEUM amare, ita ut tu amaſti, DEI Matri ſervire, ita ut tu ſerviviſti, alta fugere, ut tu fugiſti.

7. O cordium dulcis magnes! qui ad vale mundo, & ſalve cœlo dicendum, triginta ſocios unâ tecum traxiſti, tot animas ad DEUM, voce, calamo, exemplo, oratione rapuiſti. Ora ut tales hìc ſocios amem, qui me ducant, vel quos ducam illuc, ubi tu es. Juva me, ut hìc, & in cœlo, tuorum cætu dignus inveniar.

8. Seraphine terreſtris! è cujus orantis ore viſus eſt ignis erumpere; quem hoc tuo die, glorioſum vidit S. Gertrudis, mirifico quodã ſplendore de tuo pectore, ad omnia eorum pectora erumpente, qui per tua merita ferventem

ventem DEI amorem obtinere desiderant. Ecce me unum ex illis desiderantibus, desidero amorem illum, quo cor tuum, os tuum, tuus calamus abundavit.

9. Cœlestis inter homines Angele! qui singulis tuis orantibus, singulos Angelos adesse, ac nullâ omissâ syllabâ, quidquid orando dicebant, auro, argento, vel aquâ (prout quisq; flagrans erat vel tepidus in orando) adnotare vidisti. Fac ut nomen meum quotidie libro vitæ, frequentibus purissimi erga DEUM amoris & laudis actibus velut aureo charactere, inscribam.

10. Potentissime apud JESUM & MARIAM Orator! qui sæpiùs visus es in altum cum Cathedra elevari. Eleva Sanctissimis precibus tuis frigidas, arentes, & distractionum pondere prægraves orationes meas, ut constanter assuescam elevato ad JESUM & MARIAM corde, ignea hæc jacula in cœlum pleno affectu evibrare.

11. Felicissime JESU collactanee! quem Virgo Beatissima dicentem sibi: Monstra te esse Matrem, purissimo sui pectoris lacte in os tuum immisso recreavit. Clamo & ego: Monstra te esse Patrem, quod melius non præstabis, quàm si propitiam mihi reddideris clementissimam misericordiæ Matrem. Irriga cor meum igneo hoc lacte, fac ut corde toto rationabile, divinique amoris plenum sine dolo lac concupiscam.

12. Sanctissime Pater! in cujus amplexus solutis de cruce brachiis, se se demisit Christus, ac tantâ dulcedinis copiâ cor tuum inundavit; ut tunc verè cantare didiceris solenne illud

tuum

tuum: *Expertus potest credere, quid sit JESUM diligere.* Inebria aridum cor meum de illa supereffluente gratiarum plenitudine, quam è fonte mellifluo Christi vulnerum bibisti. Fac ut residuum annorum meorum sit jugis meditatio dolentis & amantis JESU: nec priùs dolere & amare desinam, quàm vivere.

13. MARIÆ Deiparæ cliens intime, qui moriens cuidam apparuisti dicens te velle ad montem ascendere ad discendum, hic enim nullam, ibi omnem veri scientiam reperiri: qui denique à MARIA sanatus illam spei tuæ fiduciam, & ad cœlum scalam esse dixisti, & cœlum per illam moriens ascendisti. Commenda me MARIÆ, ut quamvis oculi mei vitiis corrupti, non sint digni illam in hac lacrymarum valle spectare, illius tamen auxilio purgati non excludantur à conspectu ejus in cœlo gloriæ.

14. S. Bernarde, ad quem, cum Spiræ ad salutationem piissimam: Salve Regina; à te (ut multi non dubitant) inventam devotam illã clausulam addidisses: *O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA*: ex ejusdem Icone, audiente omni populo dulcis echo insonuit: *Salve* BERNARDE. Liceat & mihi te alloqui.

Salve BERNARDE mellifloe Pater, & spes te amantium Salve. Ad te clamamus exules filii tui: ad te in cœlis regnantem suspiramus gementes & flentes peccata nostra in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocate miserorum, illos tuos amabiles oculos ad nos clientes tuos converte. Et JESUM solutis de cruce brachiis tibi constrictum, nobis post hoc

exili-

exilium ostende placabilem. O clemens! ô pie! ô dulcis BERNARDE!

Eodem Die
Actus ante S. Communionem.

O Quantùm exultavit Spiritus tuus in DEO salutari tuo, mi suavis & ardens BERNARDE! quando totus Vox exultationis factus, cantasti Domino canticum novum, clamans & jubilans: JESU dulcis memoria, dans vera cordis gaudia, sed super mel, & omnia, ejus dulcis præsentia.

Verè dulcis præsentia, tua mi DEUS & omnia! nec lingua valet dicere, nec litera exprimere, expertus potest credere, quid sit JESUM possidere, JESUM præsentem habere. Qui te gustant, esuriunt, qui bibunt, adhuc sitiunt, desiderare nesciunt, nisi te solum, quẽ diligunt.

Gustem & ego mi Salvator amantissime te ipsum sub speciebus Sacramentalibus existentem. Gustem & videam, quàm suavis sis Domine mi JESU! Tu enim es balsamo suavior, omni dulcore dulcior, præ cunctis amabilior, tu in ore mel mirificum, in aure dulce canticum, in corde nectar cœlicum.

Quocunque loco fuero, te unicum desidero, quàm lætus cum invenero! quàm felix cum tenuero. Te mi hospes dulcissime, spes suspirantis animæ, te quærunt meæ lacrymæ, & clamor mentis intimæ. Desidero te millies, mi JESU quando venies? me de te quando saties?

O cordis felicissimi & flammei BERNARDE! ô Vir

ô Vir desideriorum! ô terrestris Seraphine! accende obsecro cor meum facibus tuis, & vivo cordis tui igne, ut totus quantus sum, ferar ad DEUM meum amore actuoso, seraphico, immortali. Impetra mihi, ut quem quæro, inveniam, quem concupisco, teneam, præsente JESU langueam, & corde totus ardeam.

Actus post S. Communionem.

O DEUS amoris æterni! quid mihi est in cœlo & à te quid volui super terram? defecit caro mea & cor meum, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Quomodo ô dulcis hospes mi JESU! imò ipsa dulcedo cordium, excedens omne gaudiū, & omne desiderium, amabo te ita amantem me? quomodo amplectar te?

Utinam ore tui BERNARDI osculer te! utinam cum ipso vel ad unicum momentum hinc lactari ab ubere Matris tuæ, hinc pasci à tuo Vulnere possim! utinam quantus, quantus sū, transferar in te, absorbearq; à te, & totus abeam in cineres dilectionis tui!

Utinam saltem haberem mi dulcis & ardens BERNARDE, vel unum è tuis illis ardoribus constantem scintillam, quæ mihi semper vivat in corde usque ad mortem, usque ad æternitatem. Utinam & vivens & moriens sic æternùm ardeam illo igne æterno, qui est DEUS.

O JESU, DEUS cordis mei! sim tuus totus & tu meus in æternum. In te vivam, in te moriar, in te perennem amando te. Utinā nihil sapiat, nihil dulcescat mihi cum tuo

BERNARDO nisi tu! tu cibus meus, tu potus suavissimus, tu omnis delectatio mea, tu vita animæ meæ.

Conde in corde meo Seraphine terrestris, dulcis Pater, quidquid de amore divino scripsisti, dixisti, cogitasti. Abstrahe cogitationes meas, voluntates, potentias ab omnibus, quæ sunt super terram, ut mihi mundus crucifixus sit, & ego mundo.

In Nativitate BEATISSIMÆ.

1. NOn possum tristari, quia nata est nobis puella Sancta, Mater Domini mei, & ipse fundavit eam Altissimus.

2. O Sancta felicissimorum Joachim & Annæ Filiola, Nativitas tua gaudium annuntiavit universo mundo; quæ nata es, ut ex te nascatur DEUS.

3. Ad beatissimas cunas supplex accurro ô parvula Beatissima, annuntio Tibi gaudium magnum: Ecce concipies & paries Filium & vocabis Nomen ejus JESUM.

4. Nescio quid dicam tibi puella Sancta Virgo MARIA, Regina mundi, quomodo te salutabo, dicam tibi quod per Angelum auditura es: Ave gratiâ plena, Dominus tecum.

5. Utinam omnium creaturarum corda haberem, ut ex affectu & viribus omnium te dulcissima Virgo salutarem inquiens: Ave Filia DEI Patris. Ave Mater Filii DEI. Ave Sponsa Spiritûs Sancti. Ave Templum SSS. TRINITATIS.

6. Quot maris sunt guttæ, cœli stellæ, quot beatorum Spirituum agmina, toties ex

intimo cordis mei affectu te ſaluto Virgo Beata, tibi inclamo: Vivat MARIA, cœli Regina, Domina mundi.

7. Te ſaluto cum Eccleſia Sancta Catholica: Ave maris Stella, DEI Mater Alma, atque ſemper Virgo, felix cœli porta. Salve Regina cœlorum, ave Domina Angelorū.

8. Te ſaluto cum S. Bonaventura: Ave Domina mea, Mater mea, imò cor meum, & anima mea, Virgo MARIA & MARIA mea.

9. Te ſaluto cum S. Chryſoſtomo: Ave animatum DEI templum. Ave cœli terræq; pariter domicilium. Ave naturæ illius, quæ comprehendi non poteſt ampliſſimum habitaculum.

10. Æſtimo te pretioſiſſima DEI Mater ſupra cor & animam meam, ſuper omnia, ſolo DEO, minora, quia tu es honos totius creaturæ, (& præcipuè generis noſtri,) quæ nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.

11. Toto cordis mei affectu, & quantùm poſſum, amo te amabiliſſima Virgo MARIA, ſuper omnia amabilia creata.

12. Amo te decus Angelorum, honor, gaudium Sanctorum, univerſis imperans. Amo te noſtra Mediatrix, afflictorum conſolatrix, noſtri ſemper miſerans.

13. Trado me tibi in ſervum perpetuum, in mancipium. te autem mihi eligo, & aſſumo in Dominam & Reginam.

14. En corpus & animam meam, ſpes & omnes res meas, Tibi devoveo, & mancipo in æternum, ut tibi vivam, moriar. Tibi æternùm tuus, Tibi tuoque ſervitio omne tem-

pus,

pus, quantùm possum dedico: & opto momenta singula illius converti in æternitates, quibus tibi inserviam.

15. Monstra ô MARIA! te veram esse mihi Matrem, ama me usque in finem, & fac; ut te redamare totis visceribus cordis mei contendam.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

EN ad te supplex accedo, ô puella Sancta! cœli terræq; Regina, etiam in periodo tuæ Nativitatis Sanctissima & potentissima. O Mater! ô Virgo! Beatam meritò te dicunt omnes generationes, Domina mundi, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti.

In te piissima Virgo Angeli lætitiam, justi gloriam, peccatores veniam inveniunt. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia per te, & in te, & de te, benigna manus Omnipotentis, quid quid creavit, recreavit.

Audi ergo ô Mater! audi miserum ad te clamantem. Ciba hodie pauperem tuum ô Domina! plena gratiarum, rore cœlesti plena, ciba micis panis vitæ, qui de cœlo descendit.

Si verò me ejeceris Domina, pace tua ô Virgo! unde quò progrediar, audi quid loquar. Unde quæso illa in te magnitudo, ut DEI Mater efficereris, nisi à me?

Fuisses quantumvis humilis & pudica, & sancta corpore & spiritu, fuisses licet omnium virtutum laude præcellentissima, nihil hæc tibi tantum ad honorem suffragata essent. Ni-

si enim scelera & peccata mea fuissent, nunquam DEI Filius de sinu Patris in sinum tuũ delapsus fuisset, nisi malitia mea ascendisset ad cœlum, nunquam illa Majestas descendisset ad terram.

Etenim sine me peccatore, quid opus fuisset Redemptore? sine me ægrotante, quid opus fuisset medico visitante? Itaque nisi mei misereraris, prope, dixerim, te à jure, ab æquitate, ab officio discessuram.

Grati igitur animi ratio exigit à te, ut quò peccante, DEI Matris honore ac homine gaudes, eodem etiam pœnitentiam agente, Patronæ ejusdem munere fungaris. Monstra ergo te esse Matrem, ac oculos tuos misericordes ad me in hac lacrymarum valle gementem mendicum converte. Utique nata es, ut ex te nascatur DEUS. Per te itaque sumamus panem vitæ, qui de cœlo uteri tui Virginalis descendit.

In Festo Nominis BEATISSIMÆ.

1. BEnedic anima mea Dominæ nostræ, Virgini DEI Genitrici MARIÆ, & omnia quæ intra me sunt nomini Sancto ejus.

2. Per singulos dies benedicam tibi ô MARIA! Virgo & Mater DEI Sanctissima, & laudabo nomen tuum dulcissimum in sæcula.

3. Adhæreat lingua mea ori meo, si non proposuero te ô MARIA! in principio lætitiæ meæ: si non meminero nominis tui, oblivioni detur dextera mea.

4. Magnificate omnes Dominam mecum, & exaltemus nomen MARIÆ in æternum, nam nomen

nomen MARIÆ, nomen Sanctissimum, nomen dignissimum, nomen potentissimum.

5. O MARIA esto mihi MARIA! ô dulcis MARIA! recognosce, quod JESU CHRISTI Filii tui in me est, & absterge, quod mundi & amoris proprii in me est.

6. O Nomen MARIÆ! nomen dulce; nomen MARIÆ, nomen delectabile; nomen MARIÆ, nomen gloriosum & salutiferum. Quid est enim MARIA? nisi Stella maris; ergo ô MARIA! propter nomen Sanctum tuum luceas mihi in procelloso mari hujus mundi naviganti.

7. Protege me dulcissima Virgo MARIA sub umbra alarum tuarum: & non recedat in æternum mellifluum Nomen tuum ab ore & à corde meo.

8. O! Virgo dulcissima & suavissima fac ut mori nequeam, nisi invocato hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo MARIA, MARIA.

9. Gloriosum ô MARIA & admirabile est Nomen tuum: qui illud retinent & invocant, non expavescent in puncto mortis. Invocabô & ego semper nomen tuum, ut me tuearis in morte à rugientibus præparatis ad escam; ut me Stella maris deducas ad portum salutis.

10. Data est tibi ô Virgo Sanctissima! omnis potestas in cœlo & in terra, & in manu tua est vita & salus nostra, loquere ergo pro me bona, loquere Filio tuo dulcissimo, impetra mihi gratiam & veniam.

11. O MARIA! monstra te esse Matrem, & respice filium inter adoptivos infimum. Respice & non despiciet Filius tuus; recipe

& non ſeducet inimicus. Quod ut à te impetrem vivus, & obtineam mortuus, per illud tibi chariſſimum, & mihi dulciſſimum Nomen Matris ſupplico.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

SCio verè mi dulciſſima MARIA Virgo & Mater, & certus ſum, quia ſi quid petierimus Patrem in nomine tuo, dabit nobis. Peto ergo, ut per te accipiam in ulnas cordis mei dilectum Filium tuum JESUM. Peto, ut intret ſub tectum meum licèt indigniſſimũ Dominus meus & DEUS meus.

Tu ſi vis, potes me juvare, omnia etenim tibi data ſunt à Filio tuo, ut jure dicat ſervus tuus BERNARDUS: Ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum; redemptio captivorum, liberatio damnatorum, ſalus denique univerſorum.

Sperent in te, qui noverunt Nomen tuum ô MARIA! quoniam non derelinquis clamantes ad te, & quærentes per te Filium tuum, quem ego hìc ſub candido ſpecierum Sacramentalium velamine latentem, firmiter credo ac profiteor.

Nomen tuum & memoriale tuum ô Domina mea! in deſiderio animæ meæ, ſed etiam ſpiritu meo, & totis præcordiorum affectibus ſuſpiro ad te ô JESU vita mea, DEUS meus & omnia! Et ſicut deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea, ſuſcipere Te, uniri tibi in hoc SS. Sacramento, ac transformari in te.

In

In Festo Omnium Sanctorum.

1. O Ter magne DEUS! supreme infinitarũ perfectionum Author, gratias tibi pro bonis donisq; omnibus naturæ, gratiæ, & gloriæ, quæ in Sanctos tuos effudisti & effundes.

2. O! Sancti Sanctæq; omnes fideles, Sponsæ Christi, saluto & veneror vos, gratias ago DEO meo, quòd vos elegerit & in sublimi gloria collocaverit.

3. O Sanctissima JESU ac prædestinatorum omnium Mater! monstra te esse Matrem, illos tuos misericordes oculos de summo cœlorum habitaculo ad nos converte, & JESUM benedictum Filium tuum nobis post hoc exiliũ ostende placabilem.

4. Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Dominum nostrum dictis prophetastis, & ardentissimis desideriis è cœlo ad terram traxistis, succendite me illo igne, quem Dominu misit in terram, & voluit vehementer accendi. Feliciter ardebo, si corde ita succendar.

5. Sancti Apostoli & Evangelistæ, impetrate obsecro mihi, ut totus dulcedine amoris divini plenus, totus flammâ divinæ charitatis incensus diligam DEUM ex toto corde meo, totisq; medullis præcordiorum meorum, habeam DEUM in corde, in ore, & præ oculis, semper & ubique.

6. Sancti Martyres, gratulor vobis, quia Salvatori vestro vitam pro vita, sanguinem pro sanguine reddidistis. Utinam & ego, sicut vos, effundere possem sanguinem, & fieri victima in holocausto fidei, spei, charitatis!

Orate

Orate, ut ſim ſaltem DEO mèo amoris victima incruenta, ſi cruenta non ero.

7. Sancti Pontifices & Confeſſores fideles dominici gregis Paſtores, ad me reſpicite adhuc peregrinantem in hoc exilio, & mittite de cœlo opem, elevate me ab hac ſordida terra, ut mihi mundus crucifixus ſit, & ego mundo.

8. Sancti Monachi & Eremitæ, illibatam mihi mentis & corporis puritatem obtinete, ut hujus vitæ curſu peracto mundus ab omni labe in conſpectu Domini merear præſentari!

9. Adjuro vos Sanctæ Virgines & Viduæ filiæ Jeruſalem, habitantesq; in ea animæ beatæ, ſi inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo, præ magno faciei ejus videndæ deſiderio.

10. Omnes Sancti Pœnitentes, Innocentes, item Conjugati olim, impetrate mihi frequentiſſimos ac pretioſiſſimos excellentiſſimi erga DEUM amoris actus nunc, ac potiſſimum ultimo die atque momento; ut ſit pretioſa in conſpectu dilecti DEI, vita mea, mors mea, æternitas mea.

11. Omnes Sancti, qui SSS. Trinitati, Crucifixo JESU, SS. Euchariſtiæ Sacramento, Virgini SS. ſingulari pietate addicti fuiſtis in hac vita, impetrate mihi duo hæc præſidia, Crucifixi vulnera, & MARIAM; ut vivam & moriar in oſculo Domini ſicut Moyſes.

12. Omnes Sancti meæ nationis! omnes Sancti, qui inter prædeſtinatos omnes DEO eſtis proximi atque chariſſimi: omnes Sancti & Sanctæ DEI, quorum nomina ſunt in li-

bro vitæ: impetrate mihi, juvate me ut DEUM vobiscum videam; ut in templo Sancto gloriæ suæ DEUM meum unâ vobiscum benedicam, æternùm benedictus.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

JESU mi amantissime! quid invenisti in me, quod trahat te à summo cœlorum, ex splendoribus Sanctorum, & descendere faciat in abyssum miseriarum? Quid reperisti in me, quòd elegeris ad me venire, & mansionem apud me facere?

Ecce cœli cœlorum te non capiunt, imò columnæ cœli contremiscunt, Angeli velant facies suas, reverentur Archangeli, & tu dicis: Venite ad me omnes, & ego reficiam vos?

O quàm bonus es & fuisti mi DEUS erga electos omnes, ac etiam erga me! Agnosco tuam liberalitatem, & amorem. Nam cū essem parvulus & abjectus in domo mea, de pulvere erexisti me, & constituisti cum principibus populi tui, ut comederem panem, & biberem vinum in mensa tua, omnibus diebus vitæ meæ.

Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis mi JESU, ut ostenderes in me divitias misericordiæ tuæ, & parares mihi mensam, habentem omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem?

Ad vos itaque clamo omnes Sancti & Electi DEI, omnes beati Cœlites, qui nunc ad mensam gloriæ cœlestis, DEO per visionem beatifi-

beatificam fruimini, impetrate mihi tantum erga Sanctiſſimum Sacramentum à me brevì ſumendum, devotionis affectum, pleniſſimum Angelica puritate, profundiſſima humilitate, ardentiſſimo ac planè igneo fervore charitatis, cum quanto vos idem diviniſſimum CHRISTI Corpus & Sanguinem in via ſumpſiſtis.

Impetrate mihi tantam menſuram ac plenitudinem cœleſtium Virtutum, donorum, ac meritorum, quantam vos omnibus Communionibus veſtris, ex eodem divinæ liberalitatis fonte per JESUM Chriſtum hauſiſtis, & veſtris precibus aliis impetraſtis.

In Feſto Præſentationis Beatiſſimæ.

1. O! DEO, Angelis, hominibusq; amabilis Parvula, triennis MARIA, quam Joachim & Anna, Parentes feliciſſimi, trimulam hodie in Sanctis Sanctorum victuram DEO, præſentarunt in templo, munus præ omnibus hactenus datis majus! offer me nunc, & in agone meo munus Sanctis Sanctorum æternis.
2. O templum DEI! ô Sancta Sanctorum! ego me tibi præſento in ſervum. Ad te ô Domina unice id pertinet curare, ut ita vivam, ita moriar, ſicut decet tuum, & à te in templum gloriæ in Sancta Sanctorum præſentandum.

3. Maternæ tuæ curæ Virgo Sancta hoc ipſum tranſcribo, ne me aliter, quàm tibi dedic tum, & prædeſtinatum decet, vivere permittas.

4. Fac me pia Mater vivum templum gratiæ DEI. Offer me templo gloriæ; ut ſim

ædificatio DEI, pone in corde meo altare aureum, cujus Sacerdos ſit amor DEI, qui ei, alendo divino igni, ligna ſuggerat per ſingulos dies.

5. Impetra mihi ô dulciſſima Parvula, ut ſim inter ignitos lapides in illa urbe amoris DEI, cujus turres gemmis ædificabuntur, id eſt, amoris actibus pretioſis!

6. O mi DEUS! ſint obſecro oculi tui, & cor tuum in hoc templo tuo, quod tibi millies dedicavi; ut oculos meos & cor meũ cuſtodiant, & faciant, ut ſemper te gerãm in oculis & in corde. Ita cor meum erit domus orationis aſſiduæ, locus Sanctus, inæſtimabile Sacramentum.

7. De vivis & electis virtutum, tibi maximè placentium lapidibus, architecto amore tuo, in me obſecro æternum Majeſtati tuæ præpara mi DEUS habitaculum: ut cor meum ſit aurea domus tua, quies tua, deliciæ tuæ.

8. Nec Salomonis templum fuit adeo ſumptuoſum, quàm hoc meum, ſeu tuum in me; cujus ædificatio, expiatio, dedicatio conſtitit pretio magno valde, ſanguine Filii tui DEUS! veſtias ergo illud cedris DEI. Cogitationes meæ ſint in illo tibi Sancta Sanctorum. Pone in medio ejus tuæ voluntatis oraculum, & arcam fæderis æterni. Sacratiſſimam Virginem Matrem, quæ eſt fæderis arca.

9. Nihil erat in illo templo quod non auro tegeretur. Tege, imò imbue, intus & foris, quidquid cogito, dico, ago, illo tuo auro ignito, quod naſcitur in montibus Sanctis, in

corde

corde tuo DEUS! ut nihil in me sit, quod amore illo solido coopertum non sit.

10. Pone in me mi DEUS! auro tectos Cherubinos, qui me doceant scientiam Sanctorum, id est amoris tui, adde Seraphinos, qui me pretioso illo tui altaris igne perpurgent, illuminent ac inflamment. Ut ita igneis & aureis Seraphinorum ac Cherubinorum alis, ope tuâ, ad te subvectus intellectus meus, & voluntas mea videat te, amet te, ac immortaliter vivat in te, in templo Sancto gloriæ tuæ.

Eodem Die

Actus ante S. Communionem.

O Pretiosissima Parens! Parentum tuorum manibus hodie vel potiùs tua oblatione & ardentissimo affectu, DEO in ancillam, in sponsam præsentata & oblata, imperfectum meum videant oculi tui, loquere pro me bona dilectissimo Filio tuo.

Memoriam fecisti mi DEUS mirabilium tuorum dans escam timentibus te, ac panem cœli dans nobis. Veni ergo Domine & noli tardare, reple bonis tuis esurientem animam meam suscipiamus hodie misericordiam tuam in medio templi tui, per MARIAM.

Quo affectu ac devotione, puritate ac promptitudine mentis suæ præsentavit se hodie in templo Virgo Mater, æternisque tuis obsequiis mancipavit, & gratissimam gustui tuo divino ex se ipsa oblationem fecit, hoc eodẽ affectu feror in te Domine, ac cor meum do, dono, subjicio, ut non ampliùs sit meum, sed tuum, cupiens eadem plenitudine in te

trans-

transfundi, quâ hæc Virgo à primo sui ortûs instanti transfusa in tuam possessionem & hæreditatem fuit.

In Festo Sancti Tui Nominis.

1. SAncte N. cujus nomine ac patrocinio me, jam inde ab ipsa baptismi mei hora munivit optimus DEUS meus; commenda me DEO, divinæ Matri, ac Sanctis omnibus; illis potissimum omnibus Electis DEI, quicunque hoc tuum, ac meum, nomen in terris olim magnâ virtute ornârunt.

2. Respice ô Sancte Patrone! ex illa æternæ securitatis ac lætitiæ urbe, me tibi cognominem, hîc adhuc inter quotidiana æternùm pereundi pericula exulem ac timentem.

3. Effice Sancte & Electe DEI, ut sicut idem tecum nomen gero, ita tuo & nomini & exemplo, Sancta heroicorum tuorum factorum imitatione respondeam.

4. Suggere cordi meo, quæ DEUS vult; & tardi cordis mei duritiem ac surditatem vince.

5. Sensus meos omnes, & cor meum guberna, MARIAM Reginam nostram & Sanctos omnes, ac Sanctas DEI, tibi pro auxilio adjunge: totum me Sacratissimæ Trinitati, per JESU Sanguinem, & MARIÆ manus, ex toto dedica, in holocaustum æternum: omnes omninò (etiã quas indifferentes dicimus) actiones meas ad majorem DEI gloriam, offer ad thronum gratiæ ejus, & gloriæ.

6. Ope tuâ obsecro mihi assiste cum sociis tuis Sanctis, nunc, & in hora mortis, ut

omnia ac singula momenta vitæ ac mortis meæ, sint mihi, tibique æterno solatio; JESU & MARIÆ, æterno honori & amori, in felici Sanctorum omnium æternitate, ad quam, quòd DEUS te prædestinaverit, & dotibus ad illam necessariis decoraverit, gratulor tibi.

CAPUT XII.

Aspirationes Viatoris pro felici morte ad CHRISTUM.

NOn intres in judicium cum servo tuo Domine JESU! quia non justificabitur in cõspectu tuo omnis vivens.

Ne memineris bone JESU, iniquitatum mearum: citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Ne tradas Domine JESU, bestiis animam confitentem tibi, & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.

Illumina mansuetissime JESU! oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eũ.

Tuus sum ego, salvum me fac Domine, & ne perdas cum impiis DEUS animam meam.

Salvum fac servum tuum, Domine DEUS, sperantem in te.

O JESU esto mihi JESUS! & salva me. Jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te & in æternum fruar te.

O mi dulcis JESU! quando corpus meũ morietur, fac ut animæ donetur paradisi gloria.

In te

In te Domine JESU speravi non confundar in æternum.

Alii Affectus ad JESUM Agonizantem.

JESU agonizans & in cruce moriens pro me, immitte, quæso, Spiritum tuum in cor meum, illoque animam meam vivifica, quoniam Tuo solo Spiritu vivere volo, tam in hujus præsentis vitæ meæ tempore, quàm in mortis meæ articulo.

JESU in cruce agonizans & moriens pro me; adoro te adoratione Latriæ debita Majestati tuæ divinæ, insuperque mori totis viribus cupio, ut morte mea quàm citissimè, & condignissimè agonizantem morientemq; te pro me in cruce venerer, ac morte mea quoad possum, compensem mortem tuam.

JESU in Cruce agonizans, & moriens pro me; per hunc agonem tuum, & per Spiritũ, quem in manus Patris æterni commendasti, obtestor te, ut instans mortis tuæ influat in mortis meæ instans; illudque dignificet, & in conspectu SSS. Trinitatis gratum atque pretiosum reddat. Instanti igitur mortis tuæ, agonique tuo pretioso, instans mortis meæ agonemque meum humillimè repræsento, recommendo, unio, consecro.

JESU agonizans & moriens in Cruce pro me, ibidemque orans pro crucifixoribus tuis Patrem; obsecro ut ores quoque eundem pro me crucifixore tuo, impetresque mihi mortẽ sanctam, & charitate perfecta consummatam.

JESU agonizans & moriens in Cruce pro me; stillantem tepentemq; amore mei sangui-

nem

nem Tuum colligo & lambo devotus, optans simul ac petens à Te; ut in hora mortis meæ adesse mihi præsens cum gloriosa Matre tua, Sanctisq; tuis digneris, adnumeresq; me saltē ultimis redemptis, & electis Tuis, & in illo decretorio agonis mei momento, secundùm magnam misericordiam, copiosamq; redemptionem Tuam miserearis mei.

JESU agonizans & in Cruce moriens pro me, cupio, propono, & à te peto, ut instans ultimum vitæ mortisq; meæ consummativū, sit ardentissimus tui amor, quo cor meum & accensum ignescat, & vulneratum immoriatur, & consumptum incineretur, & concrematum favillescat.

JESU agonizans & in Cruce moriens pro me; amo te quàm possum ignitissimè & æstuosissimè, quomodo etiam amare te volo, statuoque in mortis meæ agone, in quo ut cor meum amoris Tui ignibus Seraphicis Marianisque ac insuper Tuis æstuet, palpitet, concutiatur, eorumque actu & æstu conficiatur, ac emoriatur, Tu mi JESU propter agonis mortisque tuæ instans, misericordissimè facito.

Ad Beatissimam Virginem.

MAter DEI memento mei nunc & in hora mortis.

Adsis mihi Domina in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis.

O Sanctissima Virgo! per pretiosissimā mortem tuam, & illos actus amoris DEI, quos tunc elicuisti; per omnem misericordiam, quâ ulli succurristi, memento mei nunc & tunc.

Gere

Gere curam mei finis, ut tua defensione munitus ingrediar beatam æternitatem. Experiar te Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

Per te accepi gratias pia Mater, per tuas etiam manus commendo & offero Spiritum meum DEO meo; ut illum videam, videã, videam; amem, amem, amem æternùm.

O JESU rogo te per MARIAM! ô MARIA rogo te per JESUM! ô JESU & MARIA rogo vos per SSS. TRINITATEM! ô SSS. TRINITAS rogo te per amorem quo te amas; miserere mei, ut felix moriar ad majorem tuam gloriam & amorem: ut vos amem æternùm.

Ad SS. Angelos & omnes Sanctos.

SUccurrite, subvenite ô! vos omnes beatissimi Spiritus Sancti Angeli DEI, & cum in extremis vestram opem non amplius implorare potero, ne me deserite.

Sancte Angele Custos, defende me in hoc prælio, ut non peream in tremendo judicio.

Sancti DEI omnes intercedere dignemini pro animæ meæ salute.

Moriatur anima mea morte Justorum, sed vivat prius vitâ Justorum. Amen.



HOMA-

HOMAGIA

In vita & morte DEO præstanda.

Reddite quæ sunt DEI DEO. Mat: 22.

1. AGnosco te ô mi DEUS! ut supremū Dominum meum, primum Principium & ultimum finem meum. Authorem naturæ, gratiæ, & gloriæ: & profundissima cū humilitate te adoro Dominum vitæ & mortis, tibiq; sponte sacrifico vitam meam.

2. Credo te mi DEUS unum in essentia & Trinum in Personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Credo, teneo, ac profiteor fidem illam, quam CHRISTUS docuit, quàm prædicaverunt Apostoli, quā Sancta Romana DEI Ecclesia docet: ac profitetur, & singulos Catholicæ fidei articulos paratus sum sanguine meo subsignare, & morte mea confirmare.

3. Doleo Domine & quidem ex animo, quòd non merui vitam meam alio modo pro obsequio tuo amittere, sanguinem scilicet fundendo cum SS. Martyribus pro nominis tui confessione, sed quia his indignus sum, en etiam hanc mortem meam lubens amplector in incruentum amoris tui sacrificium.

4. Spero misericors Domine, per sanguinē & merita JESU Christi, ab infinita bonitate tua, ac clementia remissionem peccatorum, quibus te summum Bonum meum gravissimè offendi. Spero firmissimè me à paterna libera-

beralitate tua obtenturum gratiam copiosam, & gloriam sempiternam.

5. Amo te amabilissime DEUS ex toto corde meo, super omnia, propter infinitam Bonitatem tuam. Vellem si possem, amare te illo amore, quo te amant omnes Sancti, & JESUS CHRISTUS Filius tuus; & quo te ipsum infinitè amas. Fac ut in æternùm amem te in regno amoris & beatitudinis.

6. Gratulor tibi de te, gaudeo de infinita gloria tua. Gaudeo de divinitatis tuæ thesauris infinitis. Utinam Cherubinorum, Seraphinorum, Angelorum omnium, Sanctorũ omnium, Beatissimæ Virginis Matris, ac denique ipsius JESU corde possem amare ac laudare te, gaudere de te, & gratulari tibi.

7. Veneror, approbo, laudo, & ab omnibus laudari cupio judicia tua omnia occulta, horrenda; tuam de nobis & quidem æternùm duraturam dispositionem.

8. Doleo, doleo, doleo! quòd unquam ullo modo Te maximum, dulcissimum, optimum DEUM meum offenderim. Doleo! non propter infernum, vel purgatorium, quæ tamen credo & timeo. Doleo! non propter cœlestem gloriam: quam tamen credo & spero, sed doleo propter te, optime super omnia, pulcherrime super pulchra omnia, dignissime super omnia DEUS.

9. Doleo! quòd ullum temporis momentũ perdiderim, quo te mi DEUS non amavi. Utinam possem redimere, & excellentissimis excelsissimæ charitatis actibus implere omnes horas illas, ô DEUS, qui charitas, qui ignis consumens es!

10. De-

11. Deteſtor omnia peccata in toto mundo quomodocunq; commiſſa & committenda contra te mi DEUS! utinam potuiſſem, ac poſſem omnia impedire in totidem bona convertere! utinam poſſem omnia inſtantia & momenta actionum peccaminoſarum, bonis ac heroicis actibus implere.

11. Deteſtor omnes cogitationes præſumptuoſas, & magnificientes merita mea, quas Spiritus malignus in mortis meæ articulo poſſet inſpirare, humiliterq; confiteor, me non poſſe habere ex me ipſo niſi nihilum, niſi peccatū, niſi damnationem æternam. Ac proinde Domine DEUS te ſolum & unicum Authorem ſalutis & felicitatis meæ agnoſco.

12. Rata nunc habeo mi DEUS bona omnia, quæcunque in tota vita mea, ex Te, circa Te, propter Te habui; ratos habeo pios motus ac ſenſus & actus meos omnes ſub omni latitudine illorum ac ſublimitate eosdē nunc elicitos à me volo imò illos, qua poſſum elicio. Approprio mihi merita Filii tui, & facio illa mea, illisq; unio & dignifico omnia bona mea. Approprio mihi omnes actus bonos à quocunque elicitos & eliciendos, eosq; tibi mi DEUS, quaſi meos offero. Omnia opera totius vitæ meæ, quanta quanta ſunt mala & imperfecta retracto, & corrigo ad tuum placitum.

13. Statum Religioſum (ſi eſt Religioſus) quem tot annis tenui, approbo, amplector, & exnunc ingredior, totiusq; mundi res & ſpes pro tuo amore & ſervitio calco.

14. Approbo omnia bona opera omnium hominum & Angelorum. Approbo quidquid boni

boni unquam factum vel futurum est: & utinam augere bona illa possem in infinitum.

15. Pro omnibus, & singulis beneficiis tuis, mihi quomodocunque in tota vita mea & ante vitam præstitis, & post vitam præstandis, gratias ago tibi mi DEUS, quantas possum, ago quantas debeo, ago quantas Christus pro suis obtulit & Beatissima Virgo, quantas omnes Sancti obtulerunt & offerent; deinde ago tibi gratias pro omnibus proximorum, atque adeò creaturarum omnium bonis.

16. Volo voluntatem meam tuæ dare in victimam. Quidquid vis, quantum vis, quomodo vis, & ego volo. Visnè Domine ut hoc anno moriar? hoc mense? hâc die? hâc horâ? hoc momento? an lentâ morte? an inopinata? volo & ego. visne ut in inferno omnes cruciatus & omnes damnatorum pœnas æternùm sustineam? lubens hoc faciam, quoniam sic placitum est ante te.

17. Nolo, quidquid non vis ô DEUS meus! volo, quidquid vis. Doleo quòd fuerit tempus, in quo nolui, quæ volebas; & volui quæ nolebas.

18. Decretum mortis à tua divina manu, eo animo excipio, quo animo excepit Christus JESUS Filius tuus, decretum mortis suæ pro me, in instanti Conceptionis suæ & in crucis morte. Item eo animo amplector, quo animo excepit nuntium Incarnationis; expressitque illis verbis; fiat mihi &c. Pretiosissima Parens Virgo MARIA.

19. Spiritum meum non alibi, quàm in suavissima tua voluntate, JESU Christi latere, Pretio-

Pretiosissimæ Parentis meæ manibus, Ecclesiæ Romanæ Catholicæ fide (in Religione mea) emittere atque deponere exeuntem ex hoc corpore volo atque cupio.

20. Non merui quidem te mi DEUS videre beatificè, nec merebor in æternum: cupio tamen æstuantissimis desideriis videre, quia tu me ad hunc finem condidisti, sanguine Filii tui redemisti, gratiam largiris, & merendi per Christi Sanguinem, facultatem.

Desiderium bonæ Mortis.

Cupio dissolvi & esse cum CHRISTO
Rom: 7. 24.

OPto mori: quia mortalis sum naturâ meâ, & DEI Creatoris mei sic factus sum voluntate, fiat ergo voluntas ejus.

Opto mori: testimonium & protestationē, tum supremæ potestatis, dominiique in me divini: tum totalis meæ rerumque omnium à DEO dependentiæ.

Opto mori: ut primi originalis peccati pœnam etiam mihi justo judicio DEI inflictam exsolvam morte, tandemque illud finaliter expiem.

Opto mori: ut sim extra periculum omne peccandi, vel in minimo, contra dignitatem, Majestatem, Sanctitatem, Bonitatem DEI mei.

Opto mori: ut mea morte mortem JESU Christi Domini mei, quâ me ille ab æterna morte redemit, honorem, imiter, eique mortuo, & ipse mortuus assimiler.

Opto mori: ut sequar exemplum Pretiosissimæ

ſiſſimæ DEI Matris MARIÆ Dominæ meæ: quæ carens alioqui moriendi debito, mori tamen voluit & ipſa, ut ſuâ morte mortem Filii honoraret.

Opto mori: ut in articulo mortis meæ, omnes DEI mei voluntates circa me abſolutiſſimè impleantur.

Opto mori: ut citiùs finem ultimum, ad quem creatus ſum, aſſequar.

Opto mori: ex deſiderio quàm primùm accedendi ad Sanctos, eosque videndi: tum pretioſiſſimam DEI MATREM Verbi quoq; Incarnati ſacratiſſimam Humanitatem: præ omnibus autem Uni-Trinam Beatiſſimi DEI Eſſentiam; ut mediante morte meâ, tandem DEO æternaliter ac beatifice conjungar in gloria conſummata.

Opto mori: ne amplius exoſâ vitâ meâ alios ſcandalizem.

Opto mori: ut in Eccleſia ſepultus nunquã amplius avellar & recedam à præſentia Auguſtiſſimi Sacramenti.

Opto mori: ut exhilarem Cor Beatiſſimæ Virginis, cor Sancti Patris N. quando poſt mortem gaudens gaudebo in DOMINO, & miſericordias Domini cum Sanctis omnibus in æternum cantabo.

Opto mori: ut finaliter de Theſauro Eccleſiæ Sanctorumq; communione participem.

Aſpirationes Morientis.

1. PAter in manus tuas commendo Spiritum meum. *Pſal.* 39.

2. Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Infelix

felix ego! quis me liberabit de corpore mortis hujus. *Rom*. 7. 24.

3. Educ de custodia animam meam Domine ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi. *Psal*. 141.

4. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Psal* 121.

5. Paratum Cor meum DEUS, paratum cor meum Tibi & ad Te *Psal*. 56.

6. Ecce sponsus venit, exeamus obviam ei. *Math*. 25.

7. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te ô DEUS! *Psal* 41.

8. Sitivit anima mea ad DEUM, fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini. *Psal*. 41.

9. Misericordias Domini in æternum cantabo. *Psal*. 88.

10. Adjuro vos Filiæ Jerusalem, ut nuntietis Dilecto meo, quia amore langueo. *Canti*. 5.

11. Tædet animam meam vitæ meæ, quia non video Deum Deorum in Sion.

12. O quando vacabimus & videbimus? videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus? ô quando erit finis sine fine? *S. August*.

13. O Fons vitæ perennis, quando sitim meam extingues in me! ô beata æternitas, & æterna beatitudo quando perennabo in te.

14 JESUS & MARIA dulcissimi mei Amores, patiar ego, moriar ego amore vestri: totus sim vester, nullus meus in æternum.

15. Æterna Sapientia dulcissime JESU, absorbeat, quæso, medullas, & viscera animæ

meæ ignita & melliflua vis amoris tui: ut amore amoris tui moriar, qui dignatus es pro me indigno in ligno Crucis mori. *S. Aug.*

16. JESU nostra redemptio. Amor & desiderium. DEUS Creator omnium, Homo in fine temporum. Quæ te vicit Clementia, ut ferres nostra crimina? *Hymn. Eccl.*

17. Desidero te millies, mi JESU! quando venies; me lætum quando facies? me de Te quando saties? *S. Bernardus.*

18. Mori desidero, ut videam Christum, vivere renuo, ut vivam cum Christo. *S. Aug.*

19. Eja Domine moriar, ut te videam, videam ut hîc moriar. *Ibidem.*

20. Veni Domine, & noli tardare, veni Domine JESU, & visita me in pace, Veni & educ vinctum de carcere &c.

Suspiria coram CHRISTI *Crucifixi effigie.*

AGnosce ô Domine! creaturam tuam non à Diis alienis creatam; sed à te solo DEO vivo & vero: Ne me perdat Domine iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

Respice Domine Sancte Pater de excelso cœlorum habitaculo. Ecce vox sanguinis Fratris nostri pro nobis clamat ad te de Cruce. Audi Pater vocem sanguinis Filii tui.

Respice pie Pater innocentes manus Filii tui, quæ distillant pretiosum sanguinem, ut dimittas iniquitatem meam. Intuere illud lanceâ perfossum pectus, & amore mei apertū Cor, meque ex sacro illo fonte renova. Defige oculos ô Pater cœlestis in faciem hanc

dilecti

dilecti Filii tui, & in membra conquassata Christi tui, & per miserias, quas ille amore mei sustinuit, miserere mei.

Eja dulcissime Redemptor Domine JESU! per illas lacrymabiles voces, quas in Cruce moriturus edidisti: DEUS DEUS meus quare me dereliquisti? ne quæso derelinquas me in hora mortis meæ.

En suavissime JESU in manibus, in pedibus, & in toto Corpore descripsisti me. Cernitur in toto Corpore sculptus amor, lege scripturam tuam hanc & salva me.

Respice in me oculis misericordiæ tuæ Domine JESU, Rex æterne, DEUS & Homo, Crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquã manare cessabis.

Recordare Domine creaturæ tuæ, quàm tuo Sanguine redemisti. Illa ovis amissa ad Pastorem meum redeo: Vocem tuam novi non alienorum. Potesne vocem spernere balantis oviculæ tuæ & fugientis ad te?

Scio equidem me conspectum tuum non mereri; quia dum vitam meam considero, confusio est mihi potius appellanda, quàm vita. Sed in Spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipe me ô bone JESU salus & vita mea. Suscipe me secundùm magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti januã vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi. Tua me manus inducat in locum refrigerii, & vel in ultimam mansionem ex iis, quas parasti servis tuis timentibus te.

Quando moribundus animi territi signa ostendit, inculcandum est ei illud de S. Bernardo Abbate, qui in ægritudine extrema gravissimis & aureis planè verbis inimicum accusantem confudit; ita habet Author vitæ, qui tunc præsens aderat.

Cumque extremum jam Spiritum trahere videretur, in excessu mentis suæ ante Tribunal Domini visus est præsentari. Adfuit autem & Sathan ex adverso, improbis eum accusationibus pulsans: Ubi verò omnia ille fuerat prosecutus: & Viro DEI esset pro sua parte dicendum, nihil territus aut turbatus ait: Fateor: non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum cælorum obtinere. Cæterum duplici illud jure obtinens Dominus meus, hæreditate scilicèt Patris, & merito Passionis, altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono, jure illud mihi vendicans non confundor; in hoc verbo confusus inimicus. L. 1. C. 12.

Quædam clarâ voce moribundo suggerenda.

PRotestor, quòd morior verus Catholicus, in Fide, Spe & Charitate in DEUM. Protestor, quòd volo mori mancipium JESU & MARIÆ. Protestor, quod exnunc & pro reliquo vitæ meæ tempore nolo consentire ulli tentationi Dæmonis.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum. JESU Fili David miserere mei. DEUS in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina. Bone JESU dic animæ, meæ salus tua ego sum. Bone JESU, qui venisti perditum redimere, noli redemptū damnare. Domine JESU suscipe spiritum meum. Fiat voluntas tua. Addant

Addantur hæc in aurem.

ABrenuntio tibi Sathana Vade Sathana. Domine vim patior, responde pro me, ne derelinquas me Domine DEUS, ne discesseris à me.

Bone JESU, in quem credidi, miserere mei. Bone JESU in quo speravi miserere mei. Bone JESU, quem dilexi miserere mei. Recordare JESU pie, quòd sim causa tuæ viæ, ne me perdas illâ die.

O! Mater DEI memento mei. MARIA Mater gratiæ, Mater misericordiæ tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. Eja bona Mater & Advocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos converte. O clemens! ô pia! ô dulcis Virgo MARIA. Angele DEI sit tibi cura mei.

O JESU & MARIA! dono vobis cor meũ, animam meam. JESU MARIA, amores mei, patiar, moriar amore vestri. O JESU, esto mihi JESUS & Salvator. JESU agonizans, morti tuæ mortem meam unio. JESU pro me mortue, mors tua sit vita mea. O bone JESU exaudi me, intra Vulnera tua absconde me. & ne permittas me separari à te. Domine JESU suscipe spiritum meũ. Tu es Christus Filius DEI Vivi, Dominus meus & DEUS meus.

O MARIA! sis mihi propitia.
Amore tui morior mi dulcis JESU.
O JESU, JESU, JESU, esto mihi JESUS

Cum

Cum jam in agone sui exitûs anima anxiatur, dicantur sequentes orationes.

PRoficiscere anima Christiana de hoc mundo: In Nomine DEI Patris Omnipotentis, qui te creavit: In Nomine JESU Christi Filii DEI Vivi, qui pro te passus est: In Nomine Spiritûs Sancti, qui in te effusus est. In Nomine Angelorum & Archangelorum. In Nomine Thronorum, Principatuum, & Potestatum. In Nomine Cherubim & Seraphim. In Nomine Patriarcharum & Prophetarum. In Nomine Sanctorum Apostolorum & Evangelistarum. In Nomine Sanctorum Martyrum & Confessorum. In Nomine Sanctorum Monachorum & Eremitarum. In Nomine Virginum & omnium Sanctorum ac Sanctarũ DEI: hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua sit in Sancta Sion; per eundem &c.

DEUS Misericors, DEUS Clemens, DEUS, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas veniâ remissionis evacuas; respice propitius super hunc famulũ tuum N. & remissionem sibi omnium peccatorum suorum totâ cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violatum est; & unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituũ, miserere lacrymarum ejus, & non habentem fiduciã, nisi in misericordia tua, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christũ Dominum nostrum. Amen.

Commen-

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurque te Domine JESU Chriſte, Salvator mundi, ut propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharū tuorum ſinibus inſinuare non renuas. Agnoſce Domine creaturam tuam, non à Diis alienis creatam, ſed à te ſolo DEO Vivo & Vero: quia non eſt alius DEUS præter Te. & non eſt ſecundùm opera tua. Lætifica Domine animam ejus in conſpectu tuo: & ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitavit furor ſive fervor mali deſiderii. Licèt enim peccaverit, tamen Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non negavit, ſed credidit, & zelum DEI in ſe habuit, & DEUM qui fecit omnia, adoravit. Amen.

Oratio ad Beatam Virginem.

INtemerata & in æternum benedicta Virgo MARIA, famulo tuo in hoc extremæ neceſſitatis articulo ſubveni, illos tuos miſericordes oculos ad illum converte: oſtende illi dulciſſimam faciem tuam, & in virtute Sanctæ Crucis inimicos ejus omnes diſperde. Libera eum ex omni anguſtia, ut tecum & cum beatis Spiritibus Redemptori ſuo æternas gratiarum referat actiones. Reminiſcere miſericordiarum tuarum, ô Mater Miſericordiæ! & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum animæ illius ſuccurre.

Poſt exſpirationem.

SUbvenite Sancti DEI, occurrite Angeli Domini ſuſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Su-

℣. Suſcipiat te Chriſtus, qui vocavit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. ℟. Suſcipientes animam ejus, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Et ne nos inducas &c.

℣. A porta inferi. ℟. Erue animam ejus. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. Domine exaudi orationem &c.

Oremus.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. ut defunctus ſæculo tibi vivat, & quæ per fragilitatem humanæ converſationis peccata commiſit, tu veniâ miſericordiſſimæ pietatis abſterge, Per CHRISTUM Dominum noſtrum.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, te ſupplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc ſæculo migrare juſſiſti; ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviſcaris in finem, ſed jubeas eam à SS. Angelis ſuſcipi, & ad patriam paradiſi perduci, ut quia in te ſperavit & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat, ſed gaudia ſempiterna poſſideat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Requiem æternam &c.

Orationes pro omnibus CHRISTI fidelibus ubicunque agonizantibus.

O JESU Crucifixe! per merita SS. Genitricis tuæ, per merita & interceſſionem SS. Ange-

Angelorum, Patriarcharum, Prophetarũ, A-postolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Viduarum, itemque dilectæ Sponsæ tuæ Ecclesiæ, te supplices exoramus, ut miserearis omnium illorum, qui in hora mortis constituti turbantur; & propter vehementiam hostilis impetûs vacillant.

A morte perpetua & æterna, libera eos Domine. A terrificis visionibus inimici, libera &c. A regione gelidissima & ferventissima: libera &c. Ne audiant in regione umbræ mortis & tenebrarum blasphemari nomen tuum. Ne tradantur in manus bestiæ infernalis, libera &c. Ab inani fiducia & securitate non in te fundata, libera. A corde obstinato & in peccatis obdurato, libera. Per mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ, per Nativitatem tuam, per catenas, funes, vulnera, alapas, sputa, spinas, crucem, & mortem tuam, libera. Per gloriam resurrectionis tuæ, & per triumphum tuæ in cœlum ascensionis, libera eos Domine.

℣. Ne tradas Domine bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Oremus.

CLementissime JESU invocamus clementiã tuam per charitatem illam infinitam, quæ te ad moriendum pro genere humano impulit, ut miserearis omnium agonizantium, & iis condones excessus commissos cogitatione, verbo, & opere, & ut suppleas, quod in

eis

eis desideratur, applica illis infinita merita tuæ Passionis, & pretium Sanguinis tui, quem pro nobis effudisti.

Assistat illis Sanctus Michaël Archangelus & per manus Sanctorum Angelorum deportentur ad Paradisum tuorum Electorum: ut liberati de principe tenebrarum, & abysso pœnarum, in consortium veniant Sanctorum tuorum resuscitati cum gloria, ùt filii & hæredes regni tui. Amen.

Quidam Religiosus, ùt refert Cæsarius, impetravit sibi gratiam ex hac vita migrandi sine purgatorio ad Cœlum hâc precatiunculâ.


DOmine JESU per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in Cruce, maximè quando Anima tua Benedicta egrediebatur de corpore tuo: miserere animæ meæ in egressu suo. *Vel* Domine JESU instanti mortis tuæ, & instanti mortis Matris tuæ, omniumq; Electorum tuorum instans mortis meæ commendo: benedic isti propter illa.

Concludo Melliflui Doctoris S. BERNARDI Verbis.

DIgnus est morte, qui tibi Domine JESU recusat vivere (adeoque te laudare, te glorificare) & mortuus est. Propter temetipsum DEUS fecisti omnia, & qui vult esse sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia.

Ad M. D. G. B. M. S. V. I. C. H.

INDEX.



INDEX.

Oratio-

Ad

CA-

INDEX

